Digitized by Google

N4
10-G
4

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
4 K
55

MAG 3026

H4-10.G.4

Digitized by Google

Digitized by Google

ETHICORUM
LIBRI QUINQUE
IN TRES TOMOS DISTRIBUTI

AUCTORE

JACOBO ANTONIO BACCI

SEMINARII LUCENSIS RECTORE

TOMUS II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

L U C Æ MDCCLX.

Ex Typographia Jacobi Juſti
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

ETHICORUM

LIBER III.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Virtutibus, & Vitiis.

I. PAtere aditum ad felicitatem per honeſtam actionem, intercludi vero per turpem; rurſus quæ ſit honeſta actio, quæ turpis, & quæ regula & norma rerum gerendarum, duobus ſuperioribus libris ſatis arbitror explicatum. Conſtat autem facta, dicta & conſilia, quæ honeſta ſunt & conſentanea rationi, ad virtutem pertinere; & ad vitium ea, quæ ſunt turpia & rationi contraria: iccirco ad beate vivendum neceſſe eſt virtutis cujuſque & vitii naturam habere perſpectam: inde enim hoc conſecuturum fore confido, ut quiſque in dictis & factis, honeſtatis formam ſectetur pleniſſimam cum venuſtatis & gratiæ, tum etiam utilitatis &

Digitized by Google

fructus; fugiat vero turpitudinem, qua nihil poteſt eſſe deformius, nihil magis homini exitiale ac perniciosum.

II. Ordinis autem tuendi gratia, hæc eſt futura partitio: dicam primum de virtute & vitio univerſe: mox de prudentia: deinde de juſtitia; tum de fortitudine: poſtremo de temperantia, & ad ſingulas has virtutes, quæ ſunt omnium principes, alias attexam comites, & vitia contraria.

III. Lectorum erit curare, ut hæc non leviter prætergrediantur aures, ſed ita in animis ac mentibus inhæreſcant, ut acceptæ doctrinæ facta cohæreant; *ſecus ſimile aliquid facient*, ait Ariſtoteles (*lib.2. Ethic. cap.4.*) *quod ægroti, qui medicos illi quidem libenter audiunt & diligenter, ſed nihil præſtant eorum, quæ præſcripta ſunt: quemadmodum igitur illis nunquam bene habiturum eſt corpus, qui ita curantur; ſic nec his animus, qui iſto modo philoſophantur*: quod quidem mihi videtur eſſe turpiſſimum; *ut enim ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam* (*Cic. Tuſc. quæſt. lib.2.*) *barbare loquatur, aut ſi abſurde canat is, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cujus profitetur ſcientiam: ſic philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cujus magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitæ profeſſus delinquit in vita*. Hoc ne accidat cum aliis, tum mihi maxime cavendum eſt.

Digitized by Google

PARS I.

CAPUT I.

*** *** ***

Quid ſit Virtus.

I. VIrtus non uſurpatur hoc loco pro animi robore ac fortitudine militari, ut apud Ciceronem (*orat. pro Leg. Man.*) *non enim ſolum bellandi virtus in ſummo atque perfecto imperatore quærenda eſt*. Nec pro facultate ac vi à natura datâ ad faciendum aliquid, ut ad videndum, ad audiendum, ad progrediendum, quo ſpectat illud ſimiliter Ciceronis (*de Leg. lib* 1.) *nam nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione ſita eſt, ſed in natura*. Nec tandem pro arte, aut diſciplina, quæ, cum perficiat intelligentiam, poſita eſt in perſpiciendo, quid aut verum ſit, aut in unaquaque re, ut in muſica, ut in pictura, ut in oratoria arte conſentaneum. In quam rem, inquit ipſe idem Cicero (*Off. lib.*1.) *ſe alii ad philoſophiam, alii ad jus civile, alii ad eloquentiam applicant, ipſarumque virtutum in alia alius mavult excellere*. Itemque (*de Orat.* *lib.*

Digitized by Google

lib.2) *alterum eſt, in quo vis illa divina virtuſque cernitur; ea, quæ dicenda ſint, ornate, copioſe varieque dicere*.

II. Verum ſumitur virtus pro animi perfectione bene & laudabiliter comparati: iccirco definitur a Tullio, quem ſæpius nomino (*lib.4. Tuſc. qq.*) *affectio animi conſtans convenienſque, laudabiles efficiens eos, in quibus eſt; & ipſa per ſe ſua ſponte, ſeparata etiam utilitate, laudabilis*; hoc eſt, tum demum animus virtutis eſt particeps, cum ita eſt comparatus, itaque confirmatus frequentia & conſuetudine præclare factorum, ut nunquam niſi conſilio, niſi ſerio, niſi ſponte, niſi alacriter, bene & laudabiliter faciat: ex quo conſequens eſt, ut ſit & ipſe laudabilis, dum virtutem ſectatur honeſtam per ſe & expetendam, ſublatis etiam omnibus emolumentis & fructibus, qui tamen nunquam ſunt a virtute disjuncti, ut ſupra dixi (*lib.1. cap.3.*) Cum hæc ſit virtutis vis & effectus dicitur alio in loco virtus a Tullio (*lib.1. de Leg.*) *perfecta & ad ſummum perducta natura*: perficit enim naturam, evehitque ad faſtigium.

III. Sed veniat in medium Ariſtotelica definitio, in qua lubet hærere (*Ariſt. lib.2. Ethic. cap.6.*). Eſt igitur virtus *habitus animi judicio ſuſceptus, in mediocritate poſitus ea, quæ nos attingit, ratione ſic rectus, ut prudens præſcripſerit*. Virtus habitus eſt, hoc eſt firma & conſtans affectio, ut a Cicerone eſt traditum, uſu parta diuturno & actione multiplici (non enim fit ex unica actione habitus, ſed ex multis, ut dicam) mentis conſilio adſcita, non temere, qua qui præditus eſt, is conſtanter, expedite, jucunde in actionibus officiiſque verſatur ejuſdem generis. Quæ quidem tres ſunt conditiones ad habitum neceſſariæ, ut ſapienter ſcriptum eſt a Philoſopho.

IV. Quo in loco illud ſtatuo, in virtute affectionem cerni oportere, agendique facilitatem. Affectio pars eſt ſuperior, qua vis continetur & natura virtutis, & eſt quaſi anima, præſcribens ac definiens modum, ex quo virtus ſtrictim ac preſſius amor ordinis dicta eſt a Malebranchio (*lib. de inquir. Ver. p.1 tr. mor. cap.2 & 3.*) ſi credimus Egmundo Purchotio (*Ethic. p.3. cap.1.*): amor vero is in chriſtiano homine eſt caritas; quæ in ordinis tuitione verſatur: ut enim id diligamus, quod eſt extremum ac ſummum bonorum,

&

& in id referamus omnia, ordo poſtulat; ſecus conſequitur perturbatio & magna confuſio: icciroo ait vir & ſanctitate & doctrina & ingenio ſummus Thomas Aquinas (2. 2. *quæſt.*23. *art.*7.) ſine caritate virtutem eſſe plane nullam, quod accepit ex Auguſtino (*lib.*4. *contra Julianum num.* 17.) addiſque idem Thomas (*art.*18.) caritatem formam, eſſe animamque virtutum, ſine qua virtus vigere nullo modo poteſt, aut omnino conſiſtere. Quo efficitur, in Romanis olim & Græcis ſuperſtitione imbutis, quippe qui expertes erant caritatis, ſimulacra tantum quædam fuiſſe virtutum, non formam, non vim atque naturam.

V. Itaque improborum familiaritatem & conſuetudinem cenſeo fugiendam eſſe plurimum; cum enim ordinem, quem ratio præſcribit, non ament omnino, & officia deſerent & amicitiam & fidem commoditatis ſuæ utilitatiſque gratia, cum res & tempus ita ferent; quod experiundo licet cognoſcere. Credo equidem, qui a Dei amore diſcedit, ejuſque amicitiam & juſſa contemnit, aut emolumenti, aut gloriæ, aut voluptatis cauſa, is homines conſtanter ac vere diliget, ſervabitque jura ſanctæ ſocietatis; ſed illuc redeat, unde diſceſſit, oratio.

VI. Agendi facilitas pars eſt inferior, quæ virtuti quaſi famulatur. Hanc efficiunt ſpiritus animales ut vocant, qui, ſublatis omnibus, quæ impediunt & obſtant, fluunt & refluunt per nervos, & in cerebro formas exprimunt & quaſi depingunt, & facilius deinde, occaſione oblata, eodem feruntur, ut dixi in libris Metaphyſicorum (*p.*3. *cap.*7. *quod eſt de habitibus*) & rurſus paullo poſt explicabo. Facilitas illa virtutis eſt quaſi corpus, & poteſt ſine virtute conſiſtere, ut corpus humanum ſine anima: fieri enim poteſt, aliquem effectum eſſe temperantem diuturna neceſſitate aut avaritia, & fortem ambitione, aut ſuperbia, aut turpi quæſtu, ſublata bona affectione, quæ virtutis eſt forma: affectio hæc quidem ineſt in voluntate; facilitas autem in corpore, quæ virtuti æque ac vitio, ſeu rectæ ac perverſæ voluntatis affectioni inſervit & paret; quare aut bona aut mala dici poteſt, prout varia eſt affectio animi & comparatio, quæ cum illa communicat turpitudinem, honeſtatemve quodammodo. Ex quo poteſt intelligi, virtutem ſecundum ſuperiorem partem

in

in vitium tranſire nunquam poſſe: tollatur enim omnino neceſſe eſt virtutis vis & natura, affectione bona ſublata; ſecundum vero inferiorem poſſe, quod mox arbitror explicatum.

VII. Rurſus poteſt intelligi quid ſentiendum putem de operoſa illa controverſia, quæ inter Thomiſtas & Scotiſtas jampridem excitata eſt. Thomiſtæ enim morales virtutes, quæ ad ejus, in quo ſunt, bonum referuntur, ut fortitudinem & temperantiam, ad appetitum rationis expertem, (ſentientem intellige) eas vero, quibus aliorum commoditati providetur, ut juſtitiam, ut caritatem, ad voluntatem pertinere arbitrantur (*D. Thom.1.2. q.56. art.4.*). Scotiſtæ autem virtutum omnium ſedem locant in voluntate (*Scotus in 3. diſt.33. q. unica*). Quibus ego aſſentior: nam affectio, in qua vim naturamque virtutis ſitam eſſe vidimus, ineſt in voluntate: eſt enim abſurdum putare, appetitum, qui rationis eſt expers, virtutis eſſe participem, quæ cum ſit ipſa per ſe laudabilis, adjunctam habeat neceſſe eſt libertatem: libertas autem non eſt ſine ratione.

VIII. Verum ſubtilia hæc & minuta, ut mihi quidem videtur, relinquamus, quæ a multis ſunt pertractata & præſertim a Joſepho Aguir [*de Virt. & Vit. diſp.4. q.7. quæ 5. ſectionibus continetur.*] & eleganter quamquam paucis a Flamminio (*lib.2. de Felicit. cap.9.*) cui placet, mentem ipſam, quæ bono quodam habitu confirmanda eſt, ſedem eſſe virtutum, non voluntatem; qua in re, cum alios erroris poſtulet, ipſe decipi & labi videtur: nam bona affectio, quæ virtus eſt, voluntatis eſt, non intelligentiæ, ſi alteram ab altera velis ſecernere ſaltem propter officium. Reliquæ definitionis partes, ne rerum obruamur varietate, conſequentibus capitibus ſunt exponendæ.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

An Virtus omnis in mediocritate conſiſtat.

I. DIxi ſuperiori capite, virtutem moralem, quæ nempe more & voluntate ſuſcipitur, ſeu mores format, eſſe habitum in mediocritate poſitum, ſeu in medio. Medium duplex, ut auctor eſt Ariſtoteles (*lib.2. Ethic. cap.6.*) hoc eſt vel quod ab rei natura, vel quod a ratione ducitur. Primum eſt, quod æque abeſt ab utraque extremitate, & cum a natura ſit, unum idemque eſt apud omnes, ut ſex pro rei medio ſunt inter decem & duo: æque enim ſuperant, ac ſuperantur. Hoc autem medium a proportione arithmetica ſpectatur. Alterum eſt, quod modum ita ſervat, ut eum nec tranſeat, nec deſerat, definiturque ratione ac prudentia, ac ducitur a proportione geometrica, nec idem eſt apud omnes: eſt enim habenda ratio eorum, ad quos comparatur: ſic, ut Ariſtoteles ait (*cit. loc.*) *non .... ſi cui decem minas edere nimium ſit, duas parum, ſex minas Magiſter ludi præſcripſerit: eſt enim hoc fortaſſe nimium, vel parum ei, qui capiat, ut Miloni parum, Tyroni nimium.*

II. His conſtitutis, fere convenit inter philoſophos, (*hac de re D. Thom. 1. 2. q. 64. art. 1.*) in mediocritate ſitam eſſe virtutem; primum, quod ea opera, in quibus ars cernitur, tum demum ſunt abſoluta & perfecta & ſcite facta, cum nihil habent, quod ſit nimium, aut parum; nihil, quod illis detrahi aut addi poſſit, quæque idcirco hærent in mediocritate, non rei quidem, ſed ejus, quæ a nobis ducitur, quæque varia eſt pro rerum, temporum, locorum varietate: quare huc referuntur præcepta legeſque artium, ut in his qui velint excellere, ii modum, ſeu mediocritatem exquirant & perſequantur. Itaque & virtus, quæ omni eſt arte præſtantior & certior actionum dux, formaſque exprimit plenas honeſtatis, ſeu efficiens eſt præclare factorum, cuſtos eſt & in-

indagatrix aureæ mediocritatis: quemadmodum enim in operibus arte factis eſt nimium & parum, ita etiam in affectionibus animorum & actione qualibet humana: ſic iraſci & timere & confidere & concupiſcere & triſtari & gaudere & dormire & loqui & ſilere omnino poſſumus, & nimium & parum; utrumque non recte fit.

III. Deinde inductione ſatis conſtat, virtutem fere eſſe in mediocritate poſitam, hoc eſt mediam inter extrema vitiorum (*vid. Ariſt. lib. 2. Ethic. cap. 7.*) nam fortitudo mediocritas eſt inter audaciam, quæ modum ſuperat, & metum, qui a modo deeſt: temperantia inter intemperantiam, quæ nimium eſt, & ſtuporem, ſeu nullius voluptatis ſenſum, qui eſt parum: in dandis accipiendiſque pecuniis mediocritas liberalitas dicta eſt; quæ modum tranſit, profuſio; quæ ab eo deficit, avaritia: magnificentia mediocritas inter id, quod parcum eſt & quod ſumptuoſum, ſeu inter *parcitatem & ſumptuoſitatem*, ſi quod verbum fabricari liceat, ut nimium ſit, ait Ariſtoteles (*lib. 2. Ethic. cap. 7.*) βαναυσία (hoc eſt conſectatio quædam ſplendoris ac magnitudinis, ubi minime oporteat) parum autem μικροπρέπεια, quam poſſumus parcitatem reddere: in honore & infamia mediocritas magnitudo animi appellatur; exuperantia oſtentatio inepta, vel animi elatio; defectio parvus puſilluſque animus: modeſtia mediocritas eſt inter ineptam ac timidam verecundiam, & petulantiam, quorum alterum parum eſt, alterum nimium: medio quodam loco conſiſtit manſuetudo, ſeu clementia, extremorum id, quod ultra modum progreditur, iracundia, quod a modo deficit & parum eſt, lentitudo. Quæ modum tenet comitas, quæ modum egreditur, ſcurrilitas, quæ a modo deficit, ruſticitas. Prudentia mediocritas, imprudentia deeſt a modo, hunc ſuperat verſutia. Chriſtiana humilitas & ipſa mediocritas eſt; quæ modum deſerit, ſui nimia & immoderata dejectio; quæ modum tranſit, ſuperbia; atque eadem plerumque eſt aliarum virtutum ratio.

IV. Tres igitur ſunt affectiones, duæ vitioſæ, quarum una immoderata eſt, altera a modo deeſt, & una virtus cuſtos mediocritatis. Huc ſpectat illud Horatii (*lib. 1. Serm. ſat. 2.*)

Dum

Digitized by Google

Dum vitant ſtulti vitia, in contraria currunt.

. . . .

Paſtillos Ruffillus olet, Gorgonius hircum.
Nil medium eſt . . . . .

Et rurſus; (*de art. Poet.*)

In vitium ducit culpæ fuga, ſi caret arte;

Et (*Satyr.* 1. *lib.* 1.)

. . . . *Non ego avarum*
Cum veto te fieri, vappam jubeo, aut nebulonem;
Eſt inter Tanaim quiddam, ſocerumque Viſelli.
Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.

Ac tandem (*lib.* 1. *Epiſt.* 18.)

Virtus eſt medium vitiorum & utrinque reductum.

V. Hoc autem ſimiliter verum eſt, ſeu virtus in habitu, ſeu in actione cernatur: habitus quidem hæret in medio, quoniam objecta ei res media eſt inter duas extremitates, quarum utraque cùm a morum regula ac norma diſcedat atque aberret, in vitio eſt. Sed præſertim actio, quæ virtùtis eſt propria, in mediocritate verſatur: nam menſuram moribus præfinitam neque ſuperat, neque ab ea deficit; ſed æquat omnino. Mediocritatem autem dico, non eam, quæ ex rei natura, ſed ex eo, quod recta ratio præſcribit, ducenda eſt: ridiculum enim ſit ſedem ita certam dare virtuti, ut in ea quaſi vinculis conſtricta teneatur. Sequitur illa quidem rationem &. prudentiam ducem. Sic iraſci interdum, gaudere, triſtari remiſſius, aut vehementius virtuti eſt contentaneum, ut res & tempus poſtulat.

VI. Verum inter morales virtutes juſtitia, quæ in contractis permutatiſque rebus cernitur, non eſt in medio ſita: habet enim tantum extremum, quod deeſt, hoc eſt, injuſtitiam non vero extremum, quod ſuperat: qui enim plus dat quam debet, prodigus eſt, aut liberalis, non injuſtus. Ea tamen in rei medio conſiſtit, propterea quod tribuit cuique

Digitized by Google

quod debet, non parum, aut nimium: V.G. ei pendit nummos aureos centum, cui debentur, non plus minuſve; quare medio hæret loco, qui ſemper unus idemque eſt.

VII. Juſtitia vero ejus generis, quæ in diſtribuendis honoribus, gradibus præmiiſque verſatur, ac muneribus magiſtratuum, habet extrema contraria: violari enim poteſt exuperantia, ut ſi quem princeps ampliori præmio afficiat, quam is mereatur; aut defectione, ut ſi quem parcius remuneretur quam ejus merita in rempublicam, ac benefacta poſtulant: eademque eſt juſtitiæ vindicis ratio: nam adverſus eam facit, qui peccantem mitius punit, quam oporteat, vel acerbius: tranſit enim modum puniendo, vel deſerit. Cæterum in eo virtutum genere, quæ theologicæ ſunt appellatæ, nullus profecto eſt exuperantiæ, ſed tantum defectioni locus: quis enim minus credere, ſperare, amare poteſt, quam oporteat, magis non poteſt (*D. Thomas* 1. 2. *q.* 64. *art.* 4.)

VIII. De mediocritate, quæ virtus ſit, aut forma virtutis, nobiſcum non conſentiunt Stoici; quippe qui Ariſtotelem reprehendunt, quaſi virtutem polluerit, eam ſtatuens mediam inter vitia contraria, tamquam participem extremorum quodammodo; ſed quod reprehendant, id non vident: cum enim virtus eſſe non poſſit, niſi ab utraque vitioſa extremitate diſcedat, hoc eſt ab eo, quod parum eſt & quod nimium, quis non videat, eam ab his, quæ non attingit unquam, pollui nullo modo poſſe?

IX. Licet autem parum & nimium in vitio ſit, ut dixi, non tamen eodem modo: nam fere unum extremum magis mediocritati repugnat, quam alterum: *ut magis eſt fortitudini contraria*, ait Ariſtoteles (*lib.* 2. *Ethic. cap.* 8.) *non audacia quidem, quæ modum tranſit, ſed ignavia, quæ a modo & ratione deficit; & temperantiæ non ſenſus privatio & vacuitas, cum ſit defectio; ſed intemperantia, quæ exuperantia eſt.* Hujus autem rei Ariſtoteles affert cauſas duas: una eſt ex ipſa re: nam cum unum extremum propius accedat ad medium; non hoc, ſed contrarium magis medio repugnat: quæ enim longius aberrant a medio, eadem magis ſunt ipſi contraria: altera eſt ex nobis: ad quæ enim nos magis quodammodo propendemus natura, ea medio magis contraria videntur eſſe: V. C. quia natura procliviores ſumus ad vo-

voluptates, iccircoque ad intemperantiam, quam ad modeſtiam, intemperantia magis eſt mediocritati contraria.

X. Qua de re hæc regula eſto: cum vis virtutis in cohibenda ac frenanda affectione potiſſimum cernitur, tum vitioſa exuperantia magis diſtat a mediocritate, eique magis repugnat. Quapropter temperantiæ magis contrariam eſſe dixi intemperantiam, quam ſtupiditatem; contra cum vis virtutis & efficacitas maxime apparet in affectione animi provehenda augendaque, defectio, ſeu quod parum eſt, longius aberrat a medio: eam ob rem magis inimica eſt liberalitati avaritia, quam pecuniarum effuſio.

XI. Conſtat autem, extrema longius abeſſe inter ſe, quam utrumque abſit a medio, ut res magna longius diſtat a parva, quam utraque a media. Hoc etiam inde poteſt intelligi, quod quædam extrema ad medium videntur accedere, ſed non extremum ad aliud; quod argumento eſt extremorum diſſimilitudinem eſſe maximam. Conveniunt tamen in eo, quod utrumque extra modum eſt & in vitio, qua parte non longius diſtant ipſa inter ſe, quam a media virtute, quæ moderatio eſt & ordo, & in laude ponitur. De his hactenus. Lubet modo, quæ ſunt hujus loci, pauca addere ad mores accommodata.

XII. Enim vero cum in unaquaque re difficile ſit, eam, in qua virtus eſt ſita, reperire mediocritatem, quemadmodum & ſcopum ferire difficillimum, non autem vel ſupra, vel infra, vel deorſum, vel ſiniſtrorſum; iccirco magnum eſt opus virtutum adeptio; quo ſpectat illud Juvenalis (*Satyr.6.*)

Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cycno.

Virgilius aut quiſquis eſt auctor epigrammatis de viro bono:

Vir bonus & prudens, qualem vix repperit unum
Millibus e multis hominum conſultus Apollo.

Iraſci, ait Ariſtoteles (*lib. 2. Ethic. cap. 9.*) *quivis poteſt, largiri pecunias, ſumptuſque facere, idque facile; at vero iraſci & largiri pecuniam cui rectum eſt & quantum, quando, qua de cauſa, quoque modo iraſcendum, dandumve eſt, nec cujuſvis eſt, nec fa-*

Digitized by Google

cile. Quapropter quæ præclara, laudabilia & pulchra, eadem ſunt rara. Itaque ſapienter monet, omnes, qui mediocritatem inveſtigant & exquirunt, primum ab eo debere, quod magis illi contrarium eſt, diſcedere: ut ſi quid neceſſe ſit peccare, levius peccetur; *quoniam igitur*, inquit, *modum tenere difficillimum eſt, ſecunda, ut ajunt, navigatione, minimum malum eſt eligendum*. Deinde videre quæ in vitia ſit quiſque proclivior, ab iiſque debet ſe in contrariam partem deducere; ita enim veniet ad mediocritatem: quod quidem faciunt ii, qui ligna contorta ad rectum dirigunt. Addit poſtremo, fugiendam eſſe maxime voluptatem, quæ rationem perturbat, eique eripit libertatem cum ad judicandum, tum ad ſervandam mediocritatem. Ea vero abjecta, minus a ſcopo aberrabimus.

XIII. Attamen ſi quis medium & decorum non attingat omnino, ſed paulum ab eo deflectat, non ſtatim vituperandus: difficile quippe eſt in medio ita hærere, ut nulla plane ſit hinc, aut inde inclinatio: quare multo moroſiores ſunt ii, qui nullum queunt alienum vitium pati, perfectionem abſolutionemque requirentes in omnibus: notum eſt illud Horatii (*Satyr. lib.1. Sat.3.*)

> *Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille eſt,*
> *Qui minimis urgetur* . . . . .

Et rurſus illud Virgilii (*lib.6. Æneid. v.743.*)

> *Quiſque ſuos patitur manes.*

XIV. Verum his iniquiores, qui ad virtutes transferunt vitiorum nomina, aut contra: nam qui amans eſt diſciplinæ, regendique peritus ac prudens, eum vocant ſeverum, auſterum, acerbum; qui fortis, audacem; qui tenax propoſiti, voluntate ac ſententia obſtinatum; qui temperans eſt, ſtupidum, ſeu nullius ſenſus participem; qui ingenuus ac ſimplex, contemptorem deriſoremque, aut viciſſim; eademque eſt ratio cæterorum: idque idcirco contingit, quod quædam eſt virtutum vitiorumque ſimilitudo ac vicinitas, ut audacis cum forti, prodigi cum liberali, maxime ſi fiat medii

cum

eum altero extremorum collatio: *quemadmodum enim*, ait Ariſtoteles (*lib.2. Ethic. cap.8.*) *ſi id, quod æquale eſt, cum re minore comparetur, majus eſt; ſin cum majore, minus: ſic medii habitus ſi cum iis, qui abſunt a modo, conferantur, ſuperant, ſi cum iis, qui modum tranſeunt, deficiunt & in perturbationibus & in actionibus: fortis enim ſi cum ignavo conferatur, audax & fidens; ſi cum audaci viro, ignavus timidusque videatur .... & liberalis cum avaro comparatus, prodigus, cum prodigo avarus habebitur*, ideoque, pergit egregie Ariſtoteles, *declinant a ſe, ac protrudunt extremi medium, uterque ad alterum; appellantque fortem virum, audax quidem ignavum, ignavus audacem*. Quare cum infinita ſit eorum multitudo, qui in extrema vitia prolabuntur, modice ferendum eſt, ſi omnes hi bonos viros vituperant, eisque vitia quidem affingunt quique pro libito: idcirco qui Ludis, oblectamentis, voluptatibus, otio, jucundis, quæ noſtræ ætatis ſunt propriæ, familiaritatibus delectantur, alios, quibus placent utiliora, accuſant ruſticitatis, ne alia perſequar.

XV. Hoc tamen arbitror evenire, non tantum quia virtutes ſimilitudine quadam accedere videntur ad vitia: quare cum multa ſit ſapientum paucitas, quorum eſt de virtute ferre ſententiam, plurimi vehementer errent in judicando, quod argumentum eſt ignorantiæ & inſcitiæ; ſed etiam aliis de cauſis, quarum duæ ſint in primis notæ. Una eſt ſuperbia: qui enim putet, aut ſaltem fateri velit errare ſe, & a via, quæ media eſt ac recta, diſcedere, videmus fere neminem: quotus enim quiſque eſt, qui non ſua laudet, ſi ſuperis placet, etiam vitia? Id autem non poteſt, niſi reprehendat aliorum facta contraria; ſecus nefarium ſe inſipientemque fateatur, neceſſe eſt: quod ſuperbia non patitur: quo efficitur, illud eſſe vere dictum, improborum vituperatione bonos viros laudari maxime. Altera eſt morum perverſitas, invidentia, malevolentia, quæ late patet: ita enim judicamus, ut ſumus affecti, quod dixi alio in loco (*Logicæ p.2. cap.4.*)

XVI. Caveant autem oportet cum omnes, tum præſertim adoleſcentes eorum familiaritatem, qui vitiis virtutis nomen, aut viciſſim attribuunt: nam ſenſim pravæ opiniones, ac falſa judicia eorum animis adhæreſcent, ex quibus influet

fluet vitium in mores: *trahunt porro ad ſe*, inquit Plato (*dial.* 8. *de Rep. vel de Juſto*) *conſuetudines*, *ac dum clam ſerpunt*, *magnum excreſcunt in numerum*. . . . *tandem juvenilis animi arcem occupant*, *præſentientes*, *vacua eſſe doctrinarum honeſtorumque officiorum*, *& verarum inſuper actionum*; *qui ſane optimi omnium cuſtodes ſervatoreſque in hominum piorum mentibus extant*. . . . *Falſæ vero & ſuperbæ petulanteſque rationes*, *& opiniones eorum in locum ſuccedentes*, *eumdem talis hominis locum obtinent*. Et poſteaquam dixit, opinionum pravitate occupatos adoleſcentes eo venire, ut nullum admittant ſubſidium oblatum laboranti animo, nulloſque monitus ſapientum, tum addit: *Et pudorem quidem appellantes fatuitatem*, *in exilium turpiter expellunt*; *temperantiam vero ignaviam vocantes reprobanteſque ejiciunt*; *modeſtiam quoque in moribus*, *& in ſumptibus moderationem tamquam ruſticitatem & illiberalitatem penitus deteſtantur & fugant*, *& ipſæ una cum multis futilibuſque cupiditatibus invaleſcunt* .... *Cum hæc depulerunt ex ejus animo*, *quem occuparunt*, *& purgarunt magnis impenſis jam initiato*, *poſt hæc petulantiam*, *licentiam*, *prodigalitatem*, *impudentiam ſplendidas ingenti caterva coronatas deducunt*, *extollentes applaudenteſque*; *dum petulantiam quidem ingenuam educationem*; *licentiam vero & libertatem & prodigalitatem*, *magnificentiam*; *impudentiam fortitudinem vocant*. *An non ita quodammodo juvenis tranſit ex innutrita neceſſariarum cupiditatum affectione in reſolutam licentiam non neceſſariarum futiliumque voluptatum?* Hac Platonis oratione ætatis noſtræ mores perbelle exprimuntur, quaſi lineamentis ac forma. Modo ad poſtremam, quæ ſupereſt, definitionis ſupra traditæ partem veniamus.

CA-

CAPUT III.

An Virtus poſſit eſſe ſine Prudentia.

I. QUoniam dixi primo capite, virtutem eſſe habitum ratione ita rectum, ut prudens præſcripſerit, quæſtio incidit, poſſit eſſe ne virtus ſine prudentia, quæ eſt recta rerum agendarum ratio. Negant philoſophi & præſertim Ariſtoteles (*lib.6. Ethic. cap. ultim.*) & ipſe Epicurus, qui in epiſtola ad Menicœum data [*apud Laertium lib.10.n.27.*] ait, ex prudentia reliquas virtutes omnes oriri. Ambroſius item [*lib.2. Off. cap.14.*] cenſet, cum qualibet virtute conſociationem eſſe prudentiæ. Quod quidem iis eſt conſentaneum, quæ conſtituta ſunt capite ſuperiore: videre enim in actionibus affectionibuſque mediocritatem, cujus indagatrix eſt virtus, maxime pertinet ad prudentiam, quæ adjuncta conſiderat, ut tempus, ut locum, ut finem, ut alia generis ejuſdem; proſpicit conſequentia, aſſumitque ea, quæ magis ad finem conferunt, & in omni conatu naturæ viam, & in omni ſtudio atque actione virtutis decorum, modum, ordinemque præſcribit; ac tandem regit actionem, quæ cæco quodam impetu fertur, niſi prudentiæ lumen acceſſerit. Nemo ergo aut fortis, aut juſtus, aut temperans eſſe poteſt, qui non ſit idem prudens; ſecus excedit, aut deficit, nec tenet modum.

II. Hoc etiam ex eo poteſt intelligi, quod ut Ariſtoteles ait [*lib.6. Ethic. cap. ult.*] *omnes, qui virtutem definiunt, cum habitum eam dixerunt, & in quibus cernatur; tum eum eſſe adjungunt, qui rectæ rationi ſit conſentaneus; atqui ea demum recta ratio eſt, quæ prudentiæ congruat; ergo hoc omnes quodammodo divinare & augurari videntur, habitum eum virtutem eſſe, qui prudentia dirigatur. Sed tamen parva facienda mutatio eſt: neque enim in eo habitu ſolum virtus eſt, qui rectæ rationi ſit conſentaneus, ſed in eo potius qui ſit cum recta ratione conjunctus. Recta autem de his rebus ratio jam nomen habet prudentiæ.*

III.

Digitized by Google

III. Eam ob rem Socrates (*apud Platonem in Protag.*) & Ficinus (*in argumento*) omnes virtutes rationes putavit, hoc eſt prudentiam, aut ſcientiam, in quo reprehenditur ab Ariſtotele (*lib. 6. Ethic. cap. ult.*) qui vult eas tantum cum ratione & prudentia eſſe copulandas: ait enim: *quæ proprie virtus vocatur, eſſe ſine prudentia nullo modo poteſt. Itaque omnes virtutes prudentiæ nomine appellant. Et Socrates quidem partim recte quærebat, partim aberrabat: nam quod virtutes omnes prudentias putavit eſſe, erravit; quod autem eas non ſine prudentia cenſuit, præclare dixit*; quod & nobis videtur: quoniam non idem ſit juſtitiam V. Cl. ſine prudentia non poſſe conſiſtere, ac juſtitiam eſſe prudentiam; ſin minus una erit virtus, non plures.

IV. Quamquam ergo virtutes differunt inter ſe forma & natura; uno tamen prudentiæ quaſi vinculo continentur; quippequæ nullæ ſunt, ſublata conſultatione, ſagacitate, ſolertia: quemadmodum etſi lineæ non ſint medium, quod centron Græci vocant; tamen eas in medio videas eſſe conjunctas. Quæ cum ita ſint, rurſus efficitur, ſummæ eſſe prudentiæ ſapientiæque de virtutibus judicare, ideoque id ſibi non ſuo jure aſſumunt, qui pietate, qui literis, qui vario doctrinarum genere, rerumque uſu non valent: hi tamen ſunt, qui ſæpe de alienis actionibus, quarum ſunt plane neſcii, garriunt quicquid in buccam venit. Sed ad alia pergamus.

CAPUT IV.

Moralium Virtutum partitio.

I. DEfinitionem conſequitur virtutum partitio. Fuerunt olim philoſophi, quibus eſt viſum, unam eſſe virtutem, cujus multa ſint nomina. Præter Socratem, de quo dixi, hæc Menedemi Eretrienſis ſententia fuit, & Ariſtonis Chii, & fortaſſe Zenonis (*apud Plutarch. lib. de virtute morali*) *qui prudentiam definiens in tribuendis rebus juſtitiam, in ſequendis aut fugiendis temperantiam, in ſuſtinendis for-*

fortitudinem nuncupat: quamquam licet hæc ita interpretari, ut cuique virtuti oporteat copulatam eſſe prudentiam: varia enim ſit virtus neceſſe eſt pro varietate rei, in qua cernitur; eademque eſt vitiorum ratio.

II. Eſt autem celebris & uſitata diviſio, qua in partes quatuor, hoc eſt, in prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam virtus tributa eſt cum a veteribus, ut Platone (*lib. de Rep.* 4. & 6.) ab Ariſtotele (*lib. de virt. aliiſque in locis Ethic.*) a Cicerone (*lib.* 1. *Off.*) a Seneca (*ep.* 90. *prope finem*) tum a noſtris, ut ab Ambroſio [*in cap.* 6. *Lucæ tom.* 3.] ab Hieronymo [*in ep. ad Nepotianum* 34. *tom.* 4. *par.* 2.] immo eadem extat diviſio in ſacris literis (*Sap.* 8. *v.* 7.) *ſobrietatem enim & prudentiam docet* (ſapientia) & *juſtitiam & virtutem* ſive ἀνδρείαν, hoc eſt fortitudinem. Hæ quatuor a noſtris Cardinales ſunt appellatæ, velut principes, quibus aliæ nituntur, ut fores cardine, quod dicam ſuo loco. Quæ autem his copulantur, eas comites vocat Cicero, quaſi comitentur dominam virtutem illam.

III. Porro reliquas virtutes omnes ad quatuor, quas enumeravi, pertinere arbitrantur vel ut ſubjectas ſpecies, vel ut partes, ſine quibus virtus princeps integra atque abſoluta eſſe non poſſit; vel tandem ut facultates & adminiſtras ad aliquid faciendum, quod officium ſit principis virtutis quaſi ſecundarium: iccirco hæ tres partes pro ſcholarum more dicuntur *SUBJECTIVÆ*, *INTEGRALES*, *POTENTIALES* (*vid. D. Thom.* 2. 2. *q.* 48. *art. unic.*) Sed num virtutes ſingulæ ad quatuor earum partium aliquam referri queant, non magni refert quærere.

IV. Rurſus aliæ ſunt virtutes, quæ in affectionibus animique perturbationibus moderandis maxime cernuntur; ut temperantia in frenanda libidine, fortitudo in continendo dolore; aliæ, quæ in actione, etiam nulla repugnante cupiditate, ut juſtitia in tuendo jure ſocietatis, in pactis, in conventis, in contractarum rerum fide, liberalitas in dandis pecuniis.

V. Deinde alia vulgaris eſt virtus, cerniturque in iis, quæ in communi hominum more ſunt poſita, & humanis viribus, ac naturæ conſentanea. Alia vero, quæ *ſupra nos eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.* 7. *Ethic. cap.* 1.) *quæ eadem heroica & di-*

vina dicenda eſt, ut Homerus Priamum de Hectore loquentem facit, quod is virtute præſtanti eſſet,

Non hunc mortales, ſed Di genuiſſe videntur.

Hæc virtus in eo extat opere, quod ſive ipſum per ſe, ſive propter adjuncta difficile omnino eſt & arduum, & a communi conſuetudine longe remotum.

VI. Præterea alias eſſe virtutes eorum, qui incipiunt convenienter naturæ vivere; alias eorum, a quibus magna quædam ad honeſtatem eſt facta progreſſio; alias tandem eorum, qui morum perfectionem abſolutionemque ſunt aſſecuti. Hæc vero virtutis diſtributio ad multiplicem ejus ſtatum pertinet; initio enim infirma eſt, & tot perturbationum fluctibus jactatur, ut tantum vix queat impetum ſuſtinere; mox firmior adverſus pravarum affectionum æſtum: poſtremo, compreſſis cupiditatibus, hæret pacata ac tranquilla, neque ulla permovetur vi concitatæ tempeſtatis. Alia, quæ huc ſpectant, prætermitto: quoniam miram habet difficultatem virtutum partitio.

CAPUT V.

Sint ne Virtutes inſitæ in natura.

I. Virtutes eſſe inſitas in natura divinitus, Socrati & Platoni eſt viſum (*In Menone, in Protagora, in Euthydemo*) animumque earum obliviſci, cum ex uno corpore in aliud migrat, quaſi in tenebricoſum carcerem; excitari vero eaſdem exercitatione & induſtria: quæ ſententia ex duplici errore conſecuta eſt, in quem lapſus eſt Plato; eorum alter quidem eſt animorum procreatio multo ante corpora, alter μετεμψύχωσις, ut Græci vocant, quam ipſi verba fabricantes tranſmigrationem dicimus. Hæc a nobis alio in loco (*Metaphyſic. lib.2. p.3. cap.4. & Logic. part.3. cap.7.*) ſunt ſomnia repudiata.

III.

Digitized by Google

II. Itaque, ut ad rem veniam, ſunt in animis noſtris ſemina innata virtutum, & quaſi igniculi a natura dati. *Nunc parvulos nobis*, ait Cicero (*Tuſc. qq. lib.3.*) *dedit igniculos* (natura) *quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat: ſunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum.* Quod fortaſſe accepit ab Ariſtotele (*lib.6.Ethic.cap.ult.*) *natura enim*, inquit, *& juſti & temperantes & fortes gignimur, reliquarumque virtutum principia & ſemina, ſimul atque in lucem editi ſumus, continemus in nobis.* Hæc fundamenta dicuntur a Seneca (*ep.* 108.): *omnibus natura fundamenta dedit, ſemenque virtutum, omnes ad omnia iſta* [ad virtutes] *nati ſumus.*

III. Porro ipſum idem nominatur a doctiſſimo ac ſanctiſſimo viro Thoma Aquinate (1. 2. *q.*63. *art.* 1. §. *Utroque autem modo*) inchoatio virtutis, quod quid ſit, infra videbimus: neque enim his efficitur, eſſe in nobis virtutis partem aliquam, ſeu virtutem mancam & inchoatam a natura tributam: quoniam in infante conſtat nihil eſſe omnino virtutis: quippequæ nuſquam eſt ſine ratione (ſemper excipio virtutes, quæ ſunt acceptæ divinitus): ſed tantum id volumus, nos idoneos factos eſſe a natura ad ea perdiſcenda, inveſtiganda ac gerenda, quæ ſunt honeſta, quæ decora, quæ pulchra: eſt enim nobis data ratio, ac mens divina jubens ea, quæ bona ſunt, prohibenſque contraria; inhærent in mente principia rerum agendarum, atque hæc eadem ſunt, quæ ſemina, igniculi, ſcintillæ, impetus nuncupantur: inde enim elicitur & excitatur honeſtas actionum ſingularum; inde exiſtit in præclara impulſus atque contentio (*vid. Lipſium manud. ad Stoic. phil. lib.* 2. *diſſert.* 11. *tom.* 4.) parata ſunt inſtrumenta atque præſidia, quæ opportuna eſſent, ac neceſſaria ad bene ſapienterque vivendum, & ingenitæ in nobis affectiones quidem illæ, quibus & moveamur & impellamur ad ea, quæ noſtri muneris ſunt. Ea vis & honeſtatis principium, et quaſi lineamentum dicitur ab Ariſtotele (*lib.6. Ethic. cap. ult.*) virtus ingenita, quam a vera virtute ſecernit; ex qua vir bonus nominatur.

IV. Non eſt autem hæc, quæ a natura eſt inſita, eadem in omnibus: *neque enim idem eſt*, inquit Ariſtoteles (*cit. loc.*

loc.) *ad omnes virtutes accipiendas aptiſſimus; verum hanc jam, illam nondum ille percepit*. Et Seneca (*epiſt.* 95.) fatetur, quoſdam ſine accurata inſtitutione evaſiſſe probos ac magnos, & profeciſſe, *dum nudis tantum præceptis obſequuntur*. Et paullo poſt: *ita quidam*, inquit, *ex hominibus egregiam ſortiti indolem, in ea, quæ tradi ſolent, perveniunt ſine longo magiſterio, & honeſta complexi ſunt, cum primum audierunt*: E quorum numero fuiſſe Curios, Fabricios, Coruncanos putandum eſt, de quibus Tullius meminit (*lib.* 2. *de nat. Deor.*) tamquam Pyrrhi bello animi robore & virtute celeberrimis. Idcirco dictum eſt ab Ariſtotele, nos gigni natura & juſtos &, temperantes & fortes: omnibus enim a natura quodammodo mores, ſuus cuique, tributi videntur, ita ut quidam in magnanimitatem, in liberalitatem, in beneficentiam inclinent atque propendeant, non in vitia contraria.

V. Hoc autem non a virtute naſcitur, ſed a bonitate naturæ, quæ pendet a corpore, ex quo aliquid in animum moreſque influit, ut ſupra dixi (*lib.* 2. *cap.* 13.) & oſtendit Galenus (*in libello*, *Quod animi mores corporis temperiem ſequuntur*. Huc ſpectat illud Horatii (*Odar. lib.* 4. *Od.* 3.)

Fortes creantur fortibus, & bonis.
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ Columbam.

Parentes enim cum filiis eoſdem ſpiritus humoreſque communicant, idcircoque earum ſimiles, quas ipſi habent, propenſiones inclinationeſque naturæ.

VI. Quamquam vero virtutum ſemina illigata ſunt in natura, ut dixi; non tamen virtutes ipſæ innatæ ſunt & animis noſtris infixæ, & nobiſcum natæ (etſi ſecundum naturam cum ſint, naturales dicuntur): nam, quæ nobis inſita ſunt a natura, in iis antecedit facultas actiones, quod fit in ſenſibus, quos non videndo aut audiendo percepimus; ſed cum haberemus, iis uſi ſumus. At virtutum ſumus compotes, earum prius officiis muneribuſque functi. Moralis & voluntaria virtus, ut Ariſtoteles ſcribit (*Ethic. lib.* 2. *cap.* 1.) more, a quo nomen duxit, parva immutatione facta, (nam

(nam ἠθικὴ ἀπὸ τοῦ ἔθους dicta eſt) omnino comparatur; *ex quo perſpicuum eſt*, inquit, *nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura*.

VII. Scilicet ad virtutem comparandam duo ſunt maxime neceſſaria, doctrina & exercitatio. Primum quidem mens noſtra graviſſimis cum ſit tenebris circumfuſa propter eam labem, quæ a primo parente in omnem manavit poſteritatem, non ſatis videt, quid deceat, aut non deceat, niſi doctrinæ quaſi facis lumen acceſſerit; iccirco præclare Tullius (*Tuſc. qq. lib.2.*) *ut ager*, inquit, *quamvis fertilis ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt; ſic ſine doctrina animus*; & Seneca (*ep.108.*) *omnes ad omnia iſta* (honeſta) *nati ſumus: cum irritator acceſſit, tunc illa animi bona velut ſopita excitantur. Irritator autem*, addit Lipſius (*manud. ad Stoic. phil. lib 2. diſſ.10. tom.4.*) *eſt doctrina, quæ ſcientiam boni malique dividit, & ne in eligendo aberres, facit*; nec ſecus Horatius (*Odar. lib.4. Od.3.*)

Doctrina ſed vim promovet inſitam,
Rectique cultus pectora roborant.

VIII. Quid quod morum pravitate, opinionum perverſitate & malæ conſuetudinis corruptela, & educatione, & exemplis minus honeſtis & lectione poetarum, aliiſque hujus generis, imprudentia illa & ignoratio, quæ nobis domeſtica eſt & penitus infixa, creſcit in dies & nonniſi doctrina repelli poteſt? Juſtos quidem natura nos eſſe factos, ait Cicero (*lib.1. de Leg.*) cui, ut aliis olim, ignota erat prima illa contagio peccati, quacum naſcimur; *tantam autem eſſe corruptelam malæ conſuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi extinguantur a natura dati.*

IX. Ubi ergo fieri primum poteſt, conſentaneum eſt, pueris, qui rudes ſunt admodum, formam pulcherrimam honeſtatis proponere, eoſque bonis moribus inſtituere, adhibitis, ſi opus ſit, admonitoribus & magiſtris, qui, quod rectum eſt a natura datum, adjuvent accendantque doctrina: *itaque noſtrum eſt*, ait Cicero (*lib.5. de Fin.*) (*quod noſtrum dico, artis eſt*) *ad ea principia, quæ accepimus, conſequentia exquirere quoad ſit id, quod volumus, effectum*. Quo efficitur

ei-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

erraſſe Platonem, qui virtutem ait (*in Protagora*) doceri non poſſe.

X. Vix autem credibile eſt quanta ſit doctrinæ ſapientiæque cum virtute conjunctio: expulſis enim tenebris, nebulaque ſublata, cum ſpecies virtutis cernitur, qua nihil poteſt eſſe præſtantius, quis ejus amore ſtudioque non teneatur? quis ab ea ſinat divelli ſe? Propterea ſi quem ad virtutem adhortamur, aut revocamus a vitiis, eas ſolemus rationes afferre, quibus is intelligat, quid ſit id, quod ſequendum eſt, aut fugiendum: ſcimus enim ex opinionum perverſitate, rerumque ignoratione naſci malefacta; ex recto autem judicio præclare geſta: quandoquidem facimus, ut judicamus; qua de cauſa a nobis definita libertas eſt vis judicandi potius, quam eligendi: appetimus quippe aut id, quod bonum eſt, aut quod videtur eſſe; atqui ſi recte de rebus judicamus, ne videri quidem unquam profecto poſſit id bonum & ſequendum, quod turpe eſt: neque enim decipi poteſt is & aberrare, cui divinus quidam ſapientiæ radius præit viamque præmonſtrat, eaſque ponit ob oculos univerſas, quæ animis tenduntur, inſidias, & complicatas obvolutaſque, & enodationis indigentes boni notiones evolvit & explicat, & in lucem evocat; quod facilius facit in ſolerti ac præſtanti natura, quæ cum arte, tum rationis opera & judicii bonitate utatur in uſu notionum & accurata quadam ad res ſingulas applicatione; hæc enim malorum eſt cauſa inconſiderate & temere ἀξιώματα, ut Græci vocant, ad res ſingulas accommodare. Illud V.C. ineſt in animo: quod bonum eſt, ſequendum; quod malum, fugiendum; at cum ad facta venitur, ut eſt apud Lipſium (*tom.4. manud. ad Stoic. phil. lib.2. diſſ.11. tom.4.*) alias tibi effingis notiones, hoc, aut illud bonum, malumve eſſe, quæ reipſa non ſunt, & ſic ipſe te fallis. Doctrina itaque opus eſt ad ea repellenda, quæ falſa & prava ſunt, ad bene vivendum, adipiſcendamque virtututem pleniſſimam dignitatis. Accedat deinde oportet exercitatio & diſciplina, de qua mox dicam.

M.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Sitne Virtutum efficiens honeſta actio.

I. MOre & conſuetudine comparari virtutem, ſupra diximus, & hæc eſt omnibus defendenda ſententia. Seneca (*de tranquillit. animi cap.* 10.) ex conſuetudine perferendi labores, ait, naſci patientiam. *Nullo melius nomine de nobis natura meruit, quam quod, cum ſciret, quibus ærumnis naſceremur, calamitatum mollimentum conſuetudinem invenit, cito in familiaritatem graviſſima adducens. Nemo duraret, ſi rerum adverſarum eamdem vim aſſiduitas haberet, quam primus ictus.* Quæ vero tolerantiæ, eadem eſt aliarum virtutum ratio.

II. Quod cum videant legum ſcriptores, tantum in eo ſtudii & operæ ponunt, ut conſuetudine & exercitatione bonos cives efficiant: *eſt enim hac omnium, qui leges imponunt*, ait Ariſtoteles (*lib.* 2. *Ethic. cap.* 1.) *ſententia & voluntas, quod, qui minus recte faciunt, aberrant: quippe cum hac una in re praſtet vitioſæ bene conſtituta reſpublica.*

III. Ad auctoritatem accedit hæc ratio: quemadmodum enim oratores bene dicendo, architecti ædificando, citharedi utendo fidibus exiſtunt maxime; ita etiam *tum juſti, temperantes forteſque efficimur maxime*, ut eſt apud Ariſtotelem [*lib.*2. *Ethic. cap.*1.] *cum ea facimus, quæ juſta ſunt, quæ modeſta, quæ fortia*; quod & valet in reliquas ſcientias & diſciplinas: nemo enim artifex, nemo doctus, nemo fortis, nemo juſtus naſcitur; ſecus nec culturæ eſſet, nec doctrinæ locus.

IV. Deinde ſatis conſtat, perverſa conſuetudine interire virtutes, atque oriri vitia contraria: cum enim ea ſæpe faciunt homines, quæ injuſta ſunt, quæ temperantiæ repugnant, injuſti atque intemperantes efficiuntur, quod & fit in artibus: nam perverſe dicendo, quod multi faciunt, eo tandem veniunt, quemadmodum Lucius Craſſus ajebat, ut ſem-

ſemper inepte dicant; cum vero perverſa conſuetudo vitium, recta pariet virtutem : quæ enim contraria ſunt, eorum eadem eſt ratio.

V. Sed quid opus eſt plura dicere? Quiſque diſcit experimento, cum in iis diu multumque verſatur, quæ honeſta ſunt, ſe id conſequi, ut ea præſtet facilitate mirabili, quæ prius difficillima viderentur: facile temperat a vino, a ludis, a turpi quæſtu, ab iracundia, a voluptatibus; imo etiam jucunde.

VI Quamobrem abſoluti habitus jam adepti, perfectæque virtutis indicium eſt primum quidem facilitas, quæ in ſubitis actionibus apparet maxime, ut ille ſit fortis, qui ſubito caſu non commoveatur. *Itaque fortis videtur eſſe*, ait Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap.8.*) *in ſubitis, repentiniſque terroribus & caſibus omni animi perturbatione & metu vacare potius, quam in províſis; quod ea magis ab animi habitu proficiſcantur, ſintque minus præparata: nam quæ proviſa ſunt & præmeditata, conſilio etiam & ratione quivis approbare ac ſequi poſſit.*

VII. Aliud deinde ejus, quæ in animo ineſt, argumentum virtutis eſt voluptas, quæ ex benefactis capitur; ſecus aliter eſt omnino, ſi ægre quid facias: *habitus autem quales ſint*, ait Ariſtoteles (*lib.2. Ethic. cap.3.*) *ex voluptate ac dolore, quæ facta & opera conſequuntur, perſpici debet: nam qui ſe a corporis voluptatibus abſtinet, eoque ipſo lætatur, is temperans; qui id moleſte acerbeque fert, is intemperans putandus eſt. Et qui, moleſta quæ ſunt, forti & magno animo perfert, & ex eoque voluptatem percipit, aut certe non fert graviter, fortis; qui ægre fert, is habendus ignavus.*

VIII. Hæc autem voluptas, ea multo eſt major, quam turpes & conſcelerati capiunt ex malefactis: eſt enim ſuavior quæ exiſtit ab honeſtate, quam quæ a cognitione rerum latentium & occultarum; cum tamen iſta ſit maxima, ut a Plutarcho eſt ſcriptum (*lib. Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicureos*) qui narrat, Archimedem, arcano quodam invento artis ſuæ, quaſi furore percitum vias plateaſque circumeundo clamaſſe: *εὕρηκα*, hoc eſt, *inveni*; neminem autem accepimus helluonem, ut eſt apud Plutarchum, tanto animi ardore ſtudioque dixiſſe *manducavi*, ab hominum memoria.

IX.

IX. Porro in gerendis rebus facilitas ac voluptas efficit, ut habitus ſit inſtar naturæ, idcircoque quemadmodum ea facimus, in quæ natura propendet, etiam nihil tale cogitantes, ſimiliter ea faciamus, ad quæ habitu & conſuetudine impellimur. Eam ob rem cum animus perfectæ virtutis eſt particeps, etiam in ſomnis abhorremus ab his, quæ ſunt turpia, quod etiam magnum indicium eſt conſummatæ virtutis, quæ cum natura cohæret: id enim fit natura, non voluntate.

X. Ex quibus poteſt intelligi, paucos eſſe & perraros, qui perfectionem habeant, abſolutionemque virtutis: quotus enim quiſque eſt, qui, quæ honeſta ſunt, etſi dura atque ardua, faciat & facile & cum voluptate? Adhortandi ſunt homines, exterrendi etiam minis & clamoribus, ne ab honeſtate diſcedant, & niſi ſibi diligenter caveant, labuntur in turpitudinem.

XI. Quoniam dixi, virtutem conſuetudine comparari, nulla autem ſit conſuetudo ſine actionum frequentia, liquet oportere plura facere & ſæpe, quæ virtuti ſint conſentanea, ejus aſſequendæ cauſa. Conſentanea, inquam: nam in eodem genere ſit actio neceſſe eſt, in quo & virtus; ita quidem ut a dapibus V.C. & conviviis abſtineas propter temperantiam, ut ſis hujus virtutis particeps: ſi enim quis abſtineat cupiditate pecuniæ, avarus eſt, non temperans. Ex quo conſequens eſt, idem eſſe actionum genus, quæ habitum præcedunt, & quæ conſequuntur, (quamquam ſecus cenſet Piccolomineus (*Phil. mor. gradu* 2. *cap.* 10.) in eo tantum diſcrepant, quod quæ virtutis ſunt cauſa, perfectionem, facilitatem, voluptatemque non habent adjunctam; ſecus autem, quæ a virtute oriuntur.

XII. Enimvero ſingulæ actiones idcirco efficiunt virtutis habitum, quod partem ejus aliquam elaborant & fabricantur, ut ita dicam, eoque majorem, quo actio eſt vehementior (placet enim in habitu partes ineſſe, ſeu gradus) tandemque id abſolvunt omnino, quod inchoatum eſt (*vide Vaſqueſium in* 1.2. *diſp.*79. *cap.*8. *& Suareſium Metaph. diſp.*44. *ſect.*9. *n.*12.): inchoatur enim facilitas ad aliquid prima actione, & creſcit acceſſione conſequentium, & demum efficitur conſtans & firma, qualis ea eſt, qua habitus continetur:

quamquam actionibus, quæ habitum antecedunt, ad eum tantum muniri viam, putat Thomas (2.2. *q.24. art.6. ad 2.*) ejuſque aſſeclæ, & Joſephus Aguir (*de virt. & vit. diſp 4. quæſt.3. ſect.6. num.21*) a quibus eſſe arbitror recedendum.

XIII. Hoc autem loco duplex incidit quæſtio; prima eſt una ne poſſit animus honeſta actione, quæ vehementior ſit & heroica, compos eſſe virtutis. Alii ajunt (*Scotus in 1. diſt.17. q.3. apud Aguir. diſp.4 de virt. q.3. ſeſt.5. num.40.*) præſertim ſi nullum ſit vitium repellendum virtuti contrarium. Alii negant (*Aguir. cit. loc. num.42.*) & fere Thomiſtæ, quibus ego aſſentior: vix enim quis una actione conſequi poteſt, ut prompte, perfecte, cum voluptate faciat id deinceps, quod olim eſt factum, ſi natura tantum dux ſit ad honeſtatem. Quid quod fere repugnare oportet naturæ, refrenare adverſantem cupiditatem, ea removere, quæ afferunt difficultatem, & interdum vitium ſimiliter, quod innaſci cœpit, virtuti contrarium; V. C. liberalitatis gratia eſt contemnenda pecunia, eaque omnia commoda poſthabenda ſunt, quæ largiori parantur divitiarum copia, non timenda pericula, quæ evenire poſſunt temeritate fortunæ, ne alia perſequar; & quamquam hæc facere omnia non ſit neceſſe; tamen una actio vix id præſtabit, ut virtus firma ſit & conſtans, & inſtar habitus inhæreſcat in animo radicitus. Hoc vero experimur quotidie: ſcimus enim quantum ſtudii & operæ inſumendum ſit in una comparanda virtute: repreſſæ enim cupiditates rurſus tumultuantur & inſaniunt. Nihilominus vehemens quædam actio multum confert ad virtutem, & interdum fortaſſe tanta poteſt eſſe contentio, ut eam fere omnem altius imprimat & infigat in animum præſertim ſublimem & erectum maxime.

XIV. Altera quæſtio eſt, poſſit ne interior tantum actio procreatrix eſſe virtutum. Poteſt quidem: nam virtus eſt voluntaria & in nobis ſita: *virtus autem ipſa*, ait Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap.5.*) *itemque vitium in noſtra ſunt poteſtate;* & Seneca (*lib.3. de Benef. cap.18.*) *nulli præcluſa virtus eſt, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, ſervos, reges & exules, non eligit domum, nec cenſum, nudo homine contenta eſt*: noſtræ autem non eſt voluntatis ſemper ea facere, quæ apparent extrinſecus V. C. nos exercere,

in

in liberalitate, in magnificentia, in fortitudine, cum copiæ aut vires non ſuppetunt, aut res & tempus non ferunt: quis enim cum podagra laborat, armis & militari virtute ſubveniat periclitanti patriæ; aut amicis pecunia, qua caret? Itaque ſine actione, quæ extra ſit, poteſt quiſque compos eſſe virtutis.

XV. Deinde ex opere & facto voluntati id faciendi, quod honeſtum eſt, nulla fit honeſtatis acceſſio, ſublatis adjunctis, ut ſupra dixi (*lib.*2. *cap.*17.) igitur virtus non in facto, ſed potiſſimum cernitur in voluntate, quæ ſi ita affecta eſt, ut frequenter optet & velit ea facere, quæ decent, quæ præclara ſunt, quæ pulchra, cum non poſſit, ſibi comparat augetque virtutem. Ex quo altus & excellens animus capit liquidiſſimam voluptatem: quamquam enim non utatur fortunæ muneribus, ut divitiis, ut opibus, ut honoribus, ut dignitate, ut aliis generis ejuſdem; tamen id habet, ſi velit, quod eſt optimum, quodque animum ornat, & locupletat partem hominis digniſſimam, ideoque omnibus fortunæ bonis longe antecellit. Quapropter hilari atque excelſa ſint mente, qui virtutem tenent præſtantiſſimum, immutabile ac ſempiternum bonum.

XVI. Si cui tamen a natura inſtrumenta ac præſidia ſunt data, quibus poſſit ſeſe in virtutibus exercere, non ſolum voluntate, ſed facto, is virtutem adipiſci nullo modo poteſt, ſi cum ſe offert occaſio, & ratio præſcribit, opera negligat ac prætermittat, non propterea quod hæc virtuti comparandæ ſint neceſſaria, ſed quoniam, cum in nobis eſt ſitum ea facere, quæ ſunt honeſta, nec tamen facimus, ſatis conſtat, nos nec velle facere, icċircoque nullum & inane & ridiculum eſſe propoſitum voluntatis, quippe quod caret efficacitate, cujus rei admonemur ab Joanne (*ep.*1. *cap.*3. *v.* 17. *&* 18.) Huc ſpectare arbitror, quod ait Zeno (*apud Ciceronem lib.*1. *Acad.*) qui primus non *virtutis uſum modo, ut ſuperiores, ſed ipſum habitum per ſe eſſe præclarum aſſeruit, nec tamen virtutem cuiquam adeſſe, quin ea ſemper uteretur*, hoc eſt, cum poſſet, ut interpretor. Immo ſi qua ſit parta virtus, eam qui ſinit obſoleſcere, humilis & abjecti animi eſſe dicitur a Claudiano (*in Panegyr. de* 4. *Honorii conſulatu.*)

Vile latent virtus; quid enim ſubmerſa tenebris
Proderit obſcuro veluti ſine remige puppis,
Vel lyra, quæ reticet, vel qui non tenditur arcus?

XVII. Quamquam vero deſint adjumenta virtutum, non ardens ſtudium ac vehemens præclare factorum; fateri tamen oportet, vix eſſe firmam virtutem, ac plenam ſucci & ſanguinis, niſi voluntatis appetitionem egregia item atque honeſta opera conſequantur: neque enim æque difficile eſt & velle & facere, ſed hoc multo difficilius. Petrus [*Matthæi cap.26. v.35.*] non timide, ſed audacter ait in collegarum cœtu atque frequentia, promptum eſſe ſe ac paratum ad oppetendam mortem, ſi oporteret; at paullo poſt turpiſſime lapſus eſt incommodorum metu. Plura occurrunt in facto, quæ non licet omnia cogitatione comprehendere; & alia ſunt, quæ proſpicimus, ac quæ experimur: hæc enim nos propius attingunt; illa abſunt longius. Audimus interdum quoſdam, qui, cum domi ſunt, videntur velle in medios hoſtes irruere, eoſque profligare ac delere, & fortaſſe putant ſe animi robore præditos eſſe, ac virtute ſingulari; ſed viſis hoſtibus, & exaudito armorum ſtrepitu, & buccinæ clangore excitantis ad prælium, pallent, concidunt ac fere ſtupent; iccirco præclare dictum eſt a Biante [*apud Ariſtotelem lib.5. Ethic. cap.1.*] *Magiſtratum virum oſtendere*: ſunt enim qui velint plura facere prudenter, juſte, conſtanter, liberaliter, ſplendide, comiter etiam & peramanter, ſi fungantur munere magiſtratus, & præficiantur communitati: ſed non reſpondent facta voluntati: experimento virtus & diſcitur, & apparet.

XVIII. Itaque ſapienter ajebat Demetrius (*apud Senecam de Provid. cap.3.*) nihil eſſe homine illo miſerius, cui nihil adverſi accidit: non enim potuit experiri quid valeat: quippe conſtat, navis gubernatorem in magnis tempeſtatibus, & militem in acie cognoſci. Quæ cum ita ſint, fatemur, nos illis debere plurimum, qui id agunt vel inſcii, ut conſtantia, magnanimitas, tolerantia, aliæque virtutes excitentur & proferantur in lucem, utcumque tandem ſint animati: quamquam enim nocere velint, maxime proſunt etiam maledictis, ſi ſapimus.

XIX.

XIX. Deinde perfecta virtus omnino eſſe non poteſt ſine prudentia, ut ſupra dixi (*cap.*3.) prudentia vero non eſt ſine uſu, & uſus ſine facto & actione; ergo nec virtus perfecta poteſt ſine actione conſiſtere. Eo accedit, quod virtus indagatrix eſt mediocritatis, ut paullo ante vidimus (*cap.*2.) quæ vero non apparet extrinſecus, ſed tota in animo eſt, vix poteſt indagare mediocritatem: indagationi enim tantum locus eſt, cum, habita ratione adjunctorum, ut rerum, ut loci, ut temporis, ut modi, id ſequimur, quod medium eſt, icircoque laudabile, extrema declinantes, quorum utrumque in vitio eſt: vix autem, facto ſublato, licet adjuncta ſingula, atque extrema perſpicere, quippequæ varia ſunt pro rerum, locorum ac temporum varietate.

XX. Non tamen conſequens eſt, virtutem eſſe nullam ſine actione, quæ extra ſit: nam cum voluntas ea appetit, quæ ſunt honeſta, quale eſt patriam tueri, amicos juvare, indigenti ſubvenire; quamquam non poſſit hæc facere, virtutem colit, ejuſque ſibi habitum conſuetudine ac more comparat; ſed tantum conſequens eſt, virtutem vix eſſe perfectam, ut dixi.

XXI. Hoc autem loco monet Ariſtoteles (*lib.*2. *Ethic. cap.* 1.) non parvi, ſed magnopere, atque adeo ad ſummam referre *utrum ſic, an ſecus jam inde a puero aſſueſcamus*, & ex Platonis ſententia addit (*cap.* 3.) inſtitutos eſſe omnes oportere ab ineunte ætate, *ut lætemur bonis rebus, doleamuſque contrariis; recta eſt enim hæc educatio*. His tamquam initiis vita omnis nititur, hoc eſt, ut male, vel bene poſuimus initia, ſic cætera ſequentur: eamdem enim fere viam tenet adoleſcens, quam ſemel ſuſcepit, in omne poſterum tempus, ut divino oraculo edocti ſumus (*Prov.*22.6.): honeſtæ conſuetudinis tanta vis eſt, ut hæreat naturæ, atque ad id faciendum alliciat ſponte, facile, alacriter, quod eſt laudabile: *natura tenaciſſimi ſumus eorum*, ait Quintilianus (*Inſtitut. lib.* 1. *cap.*1.) *quæ rudibus annis percipimus*. Aquilæ, ut auctor eſt Juvenalis (*Satyr.* 14. *v.*81.) propterea quod ita aſſueverint, cum in lucem editæ & ſuſceptæ ſunt, non ut vultur cadavere, ſed cervis & apris utuntur ad vitæ uſum:

Sed

Sed leporem aut capream, Famulæ Jovis & generoſæ
In ſaltu venantur aves: hinc præda cubili
Ponitur; inde autem cum ſe matura levarit
Progenies, ſtimulante fame, feſtinat ad illam,
Quam primum rupto prædam guſtaverit ovo.

Nec ſecus Plato (*dial.* 4. *de Rep.*) *quale*, inquit, *cujuſque fuerit puerilis educationis initium, talia fore etiam, quæ ſequuntur*. Itaque adoleſcentes præclare factis & laudabili conſuetudine imbibant animo virtutem, præbeantque ſe dociles ad accipiendam optimam diſciplinam, ut hortatur Horatius (*Epiſtol. lib.* 1. *ep.* 2. *v.* 24.)

. . . . *Nunc adbibe puro*
Pectore verba puer, nunc te melioribus offer.

Sciant ſe illis debere plurimum, a quibus non modo literis, ſed etiam pietate inſtruuntur. *Tantum valet inſtitutio*, ait Ambroſius (*de Abel lib.* 2. *cap.* 1. *tom.* 1.) *ut vincat naturam*. Itemque conſuetudo & exercitatio.

XXII. Cæterum ad virtutis exercitationem tria ſunt, quæ vehementer conferunt; exempla, bonorum familiaritas, criminum naturæque inveſtigatio. Exempla habemus cum externa, tum etiam domeſtica ad imitandum; ea vero oportet intueri diligenter; quoniam ad virtutem exemplis & factis, quam verbis excitamur, accendimurque vehementius. Auguſtinum exempla eorum, qui caſte honeſteque vixiſſent, inflammarunt ad continentiam (*lib.* 8. *Confeſſ. cap.* 11. *num.* 27.) & Simon Macabæus cum amnem trajeciſſet omnium primus (*Macab.* 1. *cap.* 16. *v.* 6.) perfecit exemplo, ut milites omnes præeuntem ducem ſequerentur; quod quidem precibus, adhortatione, juſſu, auctoritate impetrare non potuiſſet.

XXIII. Alterum adjumentum exercendæ virtutis, bonorum conſuetudo eſt: *nulla res*, ait Seneca (*ep.* 94.) *magis animis boneſta inducit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quam bonorum virorum converſatio: paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, aſpici frequenter. Occurſus mehercule ipſe ſapientium juvat, & eſt aliquid, quod ex magno viro vel tacente*

Digitized by Google

cente proficias. Immo magnum in virtute progreſſionis indicium eſt, ſi juvenes, bonos ament & ſuſpiciant, eorumque familiaritate delectentur: eos enim amamus, quibuſcum nobis eſt morum ſtudiorumque ſimilitudo. Illud itaque veriſſime dictum, talem eum eſſe, quales hi ſunt, quibus familiariter uti ſolet.

XXIV. Tertium adjumentum maxime utile & ſalutare eſt ſcrutari penitus naturam rationemque omnem aut bene, aut male factorum. Hoc autem perficere poteſt quiſque per ſe, aut perfici poteſt per alium. Per alium quidem, ſi cui doctores ſunt ac magiſtri, quod olim factum apud Indos a gymnoſophiſtis accepimus, ut ſcriptum eſt ab Apulejo (*lib.* 1. *Florid. tom* 2.). *Igitur ubi menſa poſita*, inquit, *priuſquam edulia apponuntur, omnes adoleſcentes ex diverſis locis, & officiis ad dapem conveniunt. Magiſtri perrogant, quod factum a lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius ſe commemorat, inter duos arbitrum delectum, ſanata ſimultate, reconciliata gratia, purgata ſuſpicione, amicos ex infenſis reddidiſſe: itidem alius ſeſe parentibus quidpiam imperantibus obedìſſe: & alius aliquid meditatione ſua reperiſſe, vel alterius demonſtratione didiciſſe. Denique & cæteri commemorant. Qui nihil habet afferre, cur prandeat, inpranſus ad opus foras extruditur*. Saltem ſi quis eorum actiones attentius conſiderat, & reprehendit minus prudenter aut geſta, aut dicta, id æqua mente ferant adoleſcentes, immo hilari & grata: valet enim hoc ad perpoliendum animum, qui ſæpe vitiorum labem, qua inquinatur, non videt; præſertim cum nondum maturitatem quamdam aſſecutus eſt.

XXV. Verum ad virtutem maxime confert admonitorem, reprehenſoremque habere domeſticum: quiſque cenſor ac judex ſit ſui, quid quoque die dixerit, audierit, egerit, commemoret veſperi, ut facere ſolebat Cato (*apud Ciceronem de ſenect.*) Pythagoreorum more. Huic rei diligentem operam dabat Publius Sextius, ut conſummato die (*Seneca lib.* 3. *de Ira cap.* 36.) cum ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum, *quod hodie malum tuum ſanaſti, cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es*? Et ipſe Seneca ſecum exquirebat attentius quid interdiu peccaſſet: *utor*, inquit, (*cit. loc.*) *hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico,*

cum

cum ſublatum e conſpectu lumen eſt . . . . . . totum diem meū cum ſcrutor , facta ac dicta mea remetior , nihil mihi ipſe abſcondo , nihil tranſeo : quare enim quidquam ex erroribus meis timeam , cum poſſim dicere ; vide ne iſtud amplius facias : nunc tibi ignoſco. His peractis, ſomnum ait eſſe multo ſuaviorem.

XXVI. Hoc idem faciendum monet Pythagoras (*in aureis carminibus*)

Neque ſomnum mollibus oculis admittas
Priuſquam diurnorum operum ſingula ter animo percurras :
Ubi tranſilii ? quid feci ? quid mihi , cum oporteret , non peractum eſt ?
Exorſus autem a primo percenſe ; & deinde
Turpibus quidem perpetratis increpare , bonis delectare :
Hæc elabora , hæc meditare , hæc te amare oportet ,
Hæc te in divinæ virtutis veſtigia conſtituent .

Extat etiam vetus epigramma in eam rem, ſeu Virgilius illud ſcripſerit, ſeu quiſquis alius de viro bono : hic enim

Non prius in dulcem declinat lumina ſomnum ,
Omnia quam longi reputaverit acta diei :
Quid prætergreſſus , quid geſtum in tempore , quid non ;
Cur iſti facto decus abſuit ? aut ratio illi ?
Quid mihi præteritum ? cur hæc ſententia ſedit ,
Quam melius mutare fuit ? . . . .
. . . .
Quid volui , quod nolle bonum foret ? utile honeſto
Cur malus antetuli ? num dicto, aut denique vultu
Perſtrictus quiſquam ? cur me natura magis, quam
Diſciplina trahit ? Sic dicta & facta per omnia
Ingrediens , ortoque a veſpere cuncta revolvens ,
Offenſus pravis , dat palmam & præmia rectis .

Prætereo Plutarchum , qui ut actiones quiſque ſcrutetur ſuas, & alienam admittat admonitionem ac diſciplinam, ſapienter & erudite præſcribit (*in libello : Quomodo quis ſuos in virtute paranda ſentire poſſit profectus*). Priſca hæc commemora-

ra-

ſavi, ut quid facere chriſtianum hominem oporteat divinis legibus inſtitutum, cuique compertum ſit: ſed ad alia pergamus.

CAPUT VII.

Quo nam modo ſit Virtutis procreatrix honeſta actio; tum qui contingat, ipſam eamdem remitti, aut interire Virtutem.

I. HOneſta actio virtutem efficit, ut dixi capite ſuperiore; at quo tandem modo, facile non eſt explicatu. Equidem quid hac de re ſentiam, docui alio in loco (*Metaphyſic. lib.*2. *p.*3. *cap.*7.) ubi eſt de habitibus diſputatum univerſe. Illud itaque mihi veriſimile viſum eſt, virtutis habitum pendere plurimum ab intelligentia, ab ratione, a mentis firmo judicio: ſi quid enim geritur, quod honeſtum eſt, ſentimus idem eſſe cum utile & fructuoſum (neque enim eſſe virtus poteſt ſine præmiis ac fructibus) tum etiam jucundum maxime: quoniam, ut ſcribit Gregorius ille Magnus [*Hom.*36. *in Evang. tom.*1.] in eo diſcrepant corporis & animi voluptates, quod illæ, cum abſunt, deſiderium vehementer excitant, & inflammant ad potiundum, & mox ſatietatem atque faſtidium creant adeptæ. Hæ contra nec appetuntur, antequam præſentes ſint, nec multis ſunt gratæ & probatæ, immo fere omnibus ſuſpectæ & inviſæ. Verum cum in animum influunt, tunc incenditur habendi retinendique ſtudium propter inſatiabilem ſuavitatem; & quanto magis earum ſapor percipitur, tanto magis id cognoſcimus, quod ametur vehementius: iccirco appeti prius non poſſunt quam attingantur; quia cujus ſaporis ſint, ignoratur: quis enim id appetat, quod ignorat? Ex quo extat illud [*Pſalm.* 33. *v.*9.] *Guſtate & videte*, eſſe ſuavem Deum. Accedit eo, quod uſu ipſo experimur, aut leves, aut nullas eſſe difficultates, quæ ab honeſtate animum abducunt & avocant.

Digitized by Google

II. Porro ſi pergimus conſtanter operam dare virtuti ac benefactis, ea cognitio altius menti inhæreſcit vi earum formarum, quas in phantaſia (ſic enim vocant Græci) abſolutiores fingunt ſpiritus nervis incluſi, ac diſcurrentes celeritate mirabili: neque enim ſine cognitione quidpiam geri poteſt virtuti conſentaneum; cum vero illuſtrior ſit effecta cognitio præſtantiæ, voluptatis, emolumentorum & fructuum, quorum quaſi parens eſt virtus, augetur etiam in eam voluntatis contentio; ex quo exiſtit habitus honeſtus ac laudabilis. Quare contingit interdum, ut tantus ſit impetus, tam inflammatus ardor, ac vehemens eorum, quæ ſunt honeſta, ut contineri non poſſit: neque enim fieri poteſt, ea non mirifice amari, quæ ſcimus eſſe pleniſſima cum dignitatis, tum etiam jucunditatis & commodorum.

III. Ex hoc autem licet cognoſcere, quantum momentum habeat ad virtutem & comparandam & retinendam & augendam meditatio, contemplatiove rerum cæleſtium & divinarum, ejuſque utilitatis, quæ capitur ab recte factis. Sunt etiam frequentius audiendi ſapientes viri, qui virtutis pulchritudinem, præſtantiamque commendant; quoniam tunc menti clarius objiciuntur argumenta ac rationes, quibus animus confirmatur in ſuſcepto conſilio conſervandæ honeſtatis. Eamdem ob cauſam ad virtutem maxime inflammant exempla, quæ cernuntur, rerum præclare geſtarum, aut eorum monumenta mandata literis, a quibus ſanctiſſime eſt acta vita: hinc enim poteſt intelligi, virtutem eſſe cum glorioſam & utilem, tum etiam ad conſequendum facillimam. Mirum itaque quanta ſit virtutis cum intelligentia ſapientiaque conjunctio.

IV. Verum alio præſidio virtus indiget, ut ſit ſempiterna, hoc eſt, conſtantia & animi firmitate; quoniam interdum jactari ſolet procellis ac tempeſtatibus, & vi præſertim inſanientis cupiditatis: huic impigre & ſtrenue eſt repugnandum, eoque majori alacritate, quod nemo, ſecus ac in mari fieri ſolet, abſorberi & naufragium pati poteſt invitus. In primis autem ſemper exorandus eſt Deus, ab eoque id efflagitandum, quod ipſi non poſſumus propter imbecillitatem fragilitatemque naturæ, maxime cum periculis ſepti ſimus. Neque bona conſuetudine ita niti debemus,

ut

ut non ſemper ſimus in metu, ne labamur in vitium, divina ac peculiari ope ſublata (*videatur Muratorius Phil mor. cap. ult.*)

V. Sed videamus quo pacto virtus remitti poſſit, aut penitus interire. Hoc contigit deſuetudine, aut vitio contrario. Deſuetudine quidem: nam formæ in cerebro expreſſæ, quibus referuntur pulchritudo, voluptates, opportunitateſque virtutum, remoto uſu, ſenſim incipiunt obliterari, & interdum aliarum acceſſu, vi & copia obruuntur omnino (*vide Suarez Metaph. tom.2. diſp.44. ſect.12. n.12.*) præſertim cum difficile ſit, data otioſa ceſſatione in officio virtutis, quaſdam, quæ ſint illi contrariæ, non excitari cupiditates, quod innuit vir ſanctus Thomas Aquinas (1.2. *q.53. art.3.*) & fuſius Vaſqueſius (*in 1. 2. diſp.81. cap.2. & 3.*) & Suarezius (*cit. loc. num.4 & ſeqq.*) qui eam ob cauſam putant, habitum remitti, tollive fortuito. Si tamen nulla ſe offerat occaſio exercendæ virtutis, ut liberalitatis, ut magnificentiæ, ut fortitudinis, ceſſatio in actione, quæ ſit extrinſecus, non obſtat, quominus retineri virtus queat; modo, quæ ad eam pertinent, ea velis facere cum poſſis, ut ſupra dixi: nam & actione interiore virtus conſtat.

VI. Deinde tollitur virtus omnino vitio contrario: quippe quod cum ſit propenſio in id, quod eſt turpe, non poteſt cum virtute conſiſtere, quæ in id inclinat ac propendet, quod honeſtum eſt: virtuti autem contrarium eſt & nimium & parum, ut vidimus (*lib.3. cap.2.*) *Hoc igitur in primis intelligendum eſt*, ait Ariſtoteles [*lib.2. Ethic. cap.2.*] *iis omnibus, quæ ſunt in hoc genere, ab eo, quod nimium & parum eſt, interitum impendere natura (perſpicuis enim rebus ad obſcuras illuſtrandas utendum eſt) id quod licet in viribus & valetudine cernere: nam & profuſæ, & remiſſæ nimium exercitationes labefactant vires, evertuntque funditus; & poculenta ac eſculenta, ſi modum tranſeant, vel infra modum adhibeantur, labefactant valetudinem eodem modo; ſin moderata ſint & modica, pariunt, augent ac tuentur: quod idem & in temperantia & in fortitudine, cæteriſque virtutibus contingit . . . . . tollitur enim temperantia, tollitur fortitudo ab eo, quod nimium eſt, & parum.* Multo ſubtilius his de rebus

Digitized by Google

diſputare ſolent Scholaſtici; ſed nos utiliora ſectantes reliqua prætermittimus.

CAPUT VIII.

An Virtutes pares ſint inter ſe.

I. PAradoxon fuit Stoicorum, inter alia, quæ Ciceroni (*in proœm. Paradox.*) videntur eſſe longe veriſſima, virtutes pares eſſe inter ſe: ex quo conſequens eſt, & recte facta eſſe paria: *atqui*, ait Cicero [3. *Parad.*] *quoniam pares virtutes ſunt, etiam recte facta, quando a virtutibus proficiſcuntur, paria eſſe debent*; & illud rurſus conſequens, homines pares eſſe, qui virtute ſint præditi; quippe qui pares habent virtutes, & omnes ex ſententia Stoicorum, quam videas explicatam a Seneca (*ep.66.*) *virtutes*, inquit, *inter ſe pares ſunt, & opera virtutum, & omnes homines, quibus ille contigere*. Nec ſecus Plutarcus [*de Stoic. repugn. num.8.*) qui velle, inquit, Stoicos, nec virtutem majorem eſſe virtute, neque recte factum recte facto; & quod ad homines pertinet, in quibus ineſt virtus, hæc Cicero [3.*Parad.*] *nec bono viro meliorem, nec temperante temperantiorem, nec forti fortiorem, nec ſapiente ſapientiorem poſſe fieri, facillime poteſt perſpici*. Ex quo licet concludere, parem eſſe virtutem & patriam fortiter conſervaſſe, & muſcæ morſum virili animo ſuſtinuiſſe (*vide Plutarchum de comm. notitiis*). Cum vero, ut Stoicis viſum eſt, quod bonum eſt, idem ſit virtus, nullumque eſſe bonum poſſit præter virtutem; cum virtutes ſint pares, etiam bona paria ſint, neceſſe eſt; & quidem *nullum bonum alio bono majus, aut minus*, ajunt Stoici [*apud Plutarcum de comm. notitiis.*]. Cujus rei alia etiam a Seneca affertur ratio & cauſa [*ep. 66.*] *ſi ratio*, inquit, *divina eſt, & nullum bonum ſine ratione eſt, bonum omne divinum eſt. Nullum porro inter divina diſcrimen eſt; ergo nec inter bona*.

II. Ne vero putentur hæc digna riſu, & temere eſſe dicta; præſto eſt non ex vulgi opinione, ſed ex philoſophia ratio duplex: una quidem inde ducta, quod virtus eſt conſen-

ſentiens, & conſtans prudentia indagatrix mediocritatis; quæ cum nec deſit, nec ſuperet, ſemper eſt eadem & una; ergo & virtus eadem: quo efficitur, alium alio, ut dixi, non poſſe eſſe meliorem; *una*, ait Tullius (3. *Parad.*) *virtus eſt conſentiens cum ratione & perpetua conſtantia. Nihil huic addi poteſt, quo magis virtus ſit, nihil detrahi, ut virtutis nomen relinquatur.* Quod & urget Seneca (*epiſt.66.*) *una inducitur humanis virtutibus regula: una enim eſt ratio recta, ſimplexque. Nihil eſt divino divinius, cæleſti cæleſtius.*

III. Altera eſt, quod virtus eſt omnis abſoluta & perfecta, ut Stoicis placet: perfectum autem ſummum; atqui ſummo nihil melius, aut majus; itaque una virtus alia major eſſe non poteſt; ſed nec minor; par igitur: *etenim ſi benefacta*, ait Cicero (3. *Parad.*) *recte facta ſunt, & nihil recto rectius, certe ne bono quidem melius quidquam inveniri poteſt*; quod idem eſt apud Senecam (*epiſt.66.*) *nihil invenies, ait, rectius recto, non magis quam verius vero*; & paullo poſt: *quid accedere perfecto poteſt?* Fatentur tamen in quo benefit, id poſſe aliud alio eſſe, majus, aut minus: ipſum quidem illud benefacere, unum eſſe, unamque virtutem; quippe quam in ſe, non in materia rebuſque conſiderant. Hæc fere Stoici (*vide Lipſium Manud. ad Stoic. Philoſoph. lib.* 3. *diſſ.*4. *tom.*4.)

IV. At noſtri ſecus, & merito: Primum itaque inter virtutes, quæ ſpecie ac natura diſcrepant, qualis eſt juſtitia, temperantia, fortitudo, aliis eſt alia præſtantior (*D. Thomas* 1.2. *q.66. art.* 1.) Species autem, ac natura virtutis ducitur præſertim a rebus, in quibus cernitur; quarum iccirco maxima habenda eſt ratio, ſecus ac Stoicis eſt viſum: nam qualis habitus quiſque eſt, ex re objecta licet cognoſcere. Eam ob rem juſtitia fortitudini, & hæc temperantiæ anteponenda eſt: quoniam juſtitia verſatur in tuenda ſocietate, qua reſpublica continetur; quod quidem bonum eſt maximum: fortitudo autem, & temperantia in perturbationibus inhærent; & illa quidem impellit in id, quod eſt multo difficilius, quippe quod vitam attingit ſummum bonorum in terris; hæc vero ad ea pertinet, quæ ſunt faciliora, hoc eſt, ad vitæ tantum uſum opportuna & neceſſaria; iccircoque præſtat temperantiæ fortitudo (*vid. D. Thomas* 1.2. *q.66. art.* 4.)

Ex

Digitized by Google

Ex quo conſequens eſt, & recte facta non eſſe paria; quippequæ ab inæqualibus virtutibus proficiſcuntur, & natura ac ſpecie disjunctis.

V. Huc accedit, quod ne paria quidem ſunt ea, in quibus honeſta actio verſatur; quamquam una & eadem ſit virtus, a qua exiſtit: quoniam & mori pro patria, & muſcæ morſum ferre toleranter, utrumque ponitur in recte factis; ſed cum alium alio ſit multo difficilius, illud magis eſt laudabile, hoc minus. Et quidem Regulum (*vid. Lucium Florum in 2. Liv. decad. lib. 8. & Ciceronem de Finibus lib. 2.*) & Mutium illum Scevolam [*Livius dec. 1. lib. 2.*] quiſque laudat; cum, qui unius muſcæ moleſtia non ſit permotus, puto a nemine eſſe laudatum. Quapropter recte facta non ſunt paria: ſi enim paria ſunt, æque etiam laudanda.

VI. Si ita eſt, ne tertium quidem illud Stoicorum verum eſt, pares eos eſſe, qui virtute ſint prædili: quoniam neque par eſt virtus omnis, neque benefactum. Habitus ipſe virtutis remiſſior poteſt eſſe, aut vehementior; ideoque non par in multis; itaque nec illi pares, in quibus ineſt; cum ineſſe poſſit non eodem modo. Porro quoſdam bonos viros dicimus, non ſanctos, quamquam utroſque volumus virtutis eſſe participes; ſed alius eſt alio melior. Eam ob cauſam nec bona paria. Leve autem, quod ait Seneca: ſumit enim, nullum eſſe inter divina diſcrimen; ita quidem, quæ in Deo ſunt, ea paria ſunt; at quæ divinitus cum rebus creatis communicantur, inter ea multum intereſt: ſunt enim aut largius tributa, aut parcius.

VII. Quibus efficitur, quoſdam eſſe virtutis gradus, ut frigoris, ut caloris, nec virtutem omnem eſſe ita perfectam, ut nihil huic addi poſſit, aut demi: neque enim, ſi quid demas, ſtatim nulla eſt. Ad hunc modum non malus ſagittarius dicitur, ſed bonus, cum ſignum propius attingit (*D. Thomas 1. 2. q. 66. art. 1.*) quamquam præſtantior eſt & melior, ſi ferit omnino. Nec valet a re phyſica ad mores tranſlata ratio, quaſi cum nihil poſſit eſſe recto rectius; ita nec aliquid bono melius: quandoquidem virtus non eſt, ut linea, quæ ſi recta eſt, non poteſt eſſe rectior: hæc quippe eſt lineæ rectæ natura; at virtutis non eadem, ad quam vel contendere præclarum & honeſtum eſt, etſi non attingas plane

ne faſtigium: igitur & infra faſtigium quædam virtus eſt (etſi non abſoluta illa quidem) ſeu potius perfectæ virtutis pars, aut major, aut minor, pro ut longius, aut propius abeſt a ſummo: nam & fortis eſt, levem aliquam ærumnam pati æquo animo; at qui in vitæ diſcrimen ſe conjicit honeſtatis cauſa, is multo illo fortior.

VIII. Quamobrem mediocritas, cujus eſt virtus inveſtigatrix, paret aliquanto latius: virtus quidem, quæ ex omni parte perfecta eſt, ita tuetur mediocritatem, ut non poſſit eſſe vel ſupra, vel infra; ſecus perfectio abſolutioque tollatur neceſſe eſt: verum & ea virtus eſt, quæ non longe diſtat a medio (*vid. Ariſtoteles lib. 2. Ethic. cap. 9. & quæ ſupra dixi hujus lib. cap. 2.*), neque enim accedit ad extremorum alterutrum, quod in vitio ponitur; ſecus vix unquam eſſet in terris virtus: quoniam quæ nam tanta eſt, cui nihil poſſit addi? Reſpublica illa ſapientum Stoicorum fere nuſquam eſt gentium, niſi in mente. Fuere nihilominus e noſtris quidam, qui voti etiam religione ſe obſtrinxerint ad id ſequendum, quod eſſet optimum, ut ſanctiſſima femina Tereſia; tunc autem videtur virtus ſummum locum attigiſſe; non tamen deſperandum, ſi eo non veneris, quaſi expers ſis omnino virtutis, in quo lapſi ſunt Stoici (*vid. S. Thomas 1. 2. q.66. art.1.*). Sed oportet eniti vigilantius, & tandiu, quoad re, quantum proficias, non pœnitebit. Nihilominus debemus Stoicis, qui cum virtutem collocarint in ſummo, nos monent pergendum eatenus, quatenus eam aſſequamur perfectam omnino; qualis præſertim ineſſe debet in homine chriſtiano, a quo religionis noſtræ auctor ac moderator cæleſtem Patrem imitandum edicit ac jubet. (*Matthæi 5. v.48.*)

CA-

CAPUT IX.

An Virtutes uno quaſi vinculo inter ſe contineantur.

I. COpulatas eſſe virtutes alii negant, ut Scotus (*3. ſent. diſt. 36. apud Cajet. in 1-2. q. 65. art. 1.*) alii ajunt, cum veteres, tum noſtri, & hoc fere convenit inter omnes. Veteres quidem, ut Ariſtoteles, qui (*lib. 6. Ethic. cap. ult.*) eam cum ſolvat rationem, qua quis diſputare poſſit, ſejungi ſepararique virtutes; neque enim idem eſt ad omnes accipiendas aptiſſimus; reſpondet, *in iis quidem, quæ a natura dantur virtutibus* (quas nempe ſupra diximus, ſemina eſſe innata virtutum) *id contingere poteſt; in iis autem, ex quibus vere, & omnino vir bonus nominatur, non poteſt*. Nec ſecus Plato, qui ut Apulejus ſcribit (*lib. de Philoſophia tom. 2.*) *imperfectas virtutes ſemet comitari negat; eas vero, quæ perfectæ ſunt, individuas ſibi, & inter ſe connexas eſſe*. Imperfectas dicit eas, quæ nobis ſunt a natura datæ, quæque non quidquam ſunt aliud, niſi propenſio quædam ad id faciendum, quod honeſtum eſt; quam vim poteſtatemque imperfectis virtutibus ſubjicit etiam vir S. Thomas Aquinas (*1. 2. q. 65. art. 1.*) His adde Tullium, qui non uno in loco, eſſe omnes virtutes inter ſe connexas & conjugatas, ait [*lib. 3. Tuſcul. qq.*] præſertim vero cum diſputat de tolerando dolore: *ecquid ſcis igitur*, inquit [*lib. 2. Tuſc. qq.*] *ſi quid de Corinthiis tuis amiſeris, poſſe habere te reliquam ſupellectilem ſalvam; virtutem autem ſi unam amiſeris, etſi amitti non poteſt virtus; ſed ſi unam confeſſus fueris te non habere, nullam te eſſe habiturum*? Hoc autem in primis fuit Stoicorum decretum: ut enim eſt apud Plutarcum [*Opuſc. Quomodo adoleſcens poetas audire debeat*): neque virtuti vitium ullum, neque vitio adeſſe virtutem unquam cenſet; *ſed omnino uſquequaque inſipientem peccare, ſapientem recte agere*. Quod etiam videas probari a Seneca aſſecla & æmulatore Stoico-

rum,

rum, qui omnes virtutes, ait, cum patientia cohærere (*epiſt.* 67.) quod exemplum in una re poſitum in reliquas valet.

II. Eadem noſtri, Ambroſius (*lib.*1. *Off. cap.* 17. *tom.* 4.) Auguſtinus (*lib.* 6. *de Trinit. cap.* 4. *initio tom.* 8.) Gregorius (*lib.* 22. *Mor. cap.* 1. *n.* 2. *tom.* 1.) Bernardus (*l.* 1. *de Conſid. cap.* 8. *tom.* 4.) Bonaventura (*in* 3. *diſt.* 36. *art.* 1. *q.* 3. *tom.* 5.) ſi virtus perfecta eſt: ne quid dicam de Thoma Aquinate, qui (1. 2. *q.* 65. *art.* 1.) hoc idem explicat, oſtenditque luculentius. His ego aſſentior, aliiſque, quorum fere eſt una ſententia: argumentis autem nitor, quæ gravia eſſe videantur.

III. Primum eſt, quod uſurpat Thomas (*cit. loc.*) Ariſtoteles (*lib.* 6. *Ethic. cap. ult.*) Epicurus (*apud Gaſſendum tom.* 2. *lib.* 2. *Ethic. cap.* 1.) virtutes cum prudentia connecti, ac ſine ea non poſſe conſiſtere, ut ſupra dixi [*cap.* 3.] ex quo conſequens eſt, ipſas inter ſe copulari: quemadmodum vero virtus nulla eſt ſine prudentia; ita nec prudentia ſine reliquis virtutibus; qui enim vel una virtute caret, vir bonus non eſt; igitur ne prudens quidem: quoniam, qui non bonus, idem ſtultus ſit, oportet, ut dicam (*hujus libri cap.* 22.) quamobrem ratio, ac prudentia, cum virtutes habeat adjunctas, omne vitium repellit; quo ſpectat illud Senecæ (*in Conſol. ad Helviam cap.* 13.) *cum ſemel animum virtus induravit: undique invulnerabilem præſtat .... non ſingula vitia ratio, ſed pariter omnia proſternit; in univerſum ſemel vincit.*

IV. Alterum eſt, quo utitur Alexander (*lib.* 2. *de Anima, cap.* 41. *apud Gaſſendum tom.* 2. *lib.* 2. *Ethic. cap.* 1.) hoc eſt, vitia ſingula fere obſtare, quominus virtutem unam habeas, V. C. juſtitiam; nam ſi intemperans es, non juſte facis, cum traheris voluptate; ſi timidus, cum valetudine, aut vita periclitaris; ſi avarus, cum ſpes eſt capiendæ utilitatis, aut opum amittendarum metus, ne alia perſequar. Quæ quidem ratio late patet, attingitque prudentiam, temperantiam, aliaſque virtutes. Quoniam igitur nullum vitium cum virtute conſiſtit, virtutes quodam neceſſe eſt ſocietatis nexu contineri: aliæ enim alias juvant; aliæ aliis quaſi adminiculis nituntur. *Cum aliquis tormenta fortiter patitur*, ait Seneca (*epiſt.* 67.) *omnibus virtutibus utitur fortaſſe, cum una in promptu ſit, & maxime appareat patientia. Cæterum illic eſt fortitudo, cujus patientia, & perpeſſio, & tolerantia ra-*

Digitized by Google

mi ſunt. Illic eſt prudentia, ſine qua nullum initur conſilium, quæ ſuadet, quod effugere non poſſis, quam fortiſſime ferre. Illic eſt conſtantia, quæ dejici loco non poteſt, & propoſitum nulla vi extorquente dimittit. Illic eſt individuus ille comitatus virtutum. Quicquid honeſte fit, una virtus facit, ſed de conſilii ſententia.

V. Tertium eſt, quo equidem confido plurimum, eſſe quidpiam commune, quod virtutes omnes animat & format & alit; hoc eſt, amorem ordinis, & honeſtatis; quo animus ſic comparatus debet eſſe, & conſtitutus, ut generatim & univerſe id velit, quod eſt honeſtum, quod pulchrum, quod conſentaneum rationi. V. C. cum facit fortiter, aut temperate, aut juſte, id appetat oportet, quod in eo facto honeſtum eſt; ſecus non eſt virtuti locus; poteſt enim, quod extrinſecus eſt, honeſtum videri, cum tale non ſit, honeſta rectaque affectione ſublata, quæ quidem eſt forma virtutum; eam vero affectionem, amoremque ordinis & honeſtatis omne plane vitium tollit & labefactat: qui enim non eſt ita affectus, ut dixi, cum temperat, V.C. a cibo, vel potu, non amat id, quod honeſtum eſt; hoc quippe unum eſt, idemque in omnibus, unoque habitu ac forma præditum; qui ergo id reſpuit & aſpernatur una in re, quo pacto appetat & ſequatur in reliquis?

VI. Quo videtur effici, ut Chryſippus ait (*apud Plutarcum de Stoic. repugn.*) *virtutes ſeſe invicem conſequi . . . non modo ut una præditus habeat omnes; ſed quod ſecundum unam agens ſecundum omnes agat; & neque virum perfectum eum, in quo non ſint omnes virtutes, neque actionem perfectam, in quam non omnes concurrant virtutes.* Quod quidem non ita intelligas, quaſi quæ unius virtutis actio eſt, eadem ſit omnium, quæque eſt liberalitatis, ſit & patientiæ & temperantiæ & juſtitiæ, quod profecto abſurdum eſt: nam *proprium*, ut Tullius ait (*lib. 5. de Fin.*) *ſuum cujuſque munus eſt, ut fortitudo in laboribus periculiſque cernatur, temperantia in prætermittendis voluptatibus, prudentia in delectu bonorum & malorum, juſtitia in ſuo cuique tribuendo;* ſed quaſi omnium virtutum ſtudio ita teneatur, qui aliquid recte facit, ut, ſi tempus ferat, ſeſe in aliis etiam virtutibus exerceat; cumque ſit in omnes bene animatus poſſidere dici-

ci-

Digitized by Google

citur univerſas, ut magnificentiam ſimiliter, & magnanimitatem, quamquam prematur inopia, nec magni aliquid ſit, quod gerat: accedente enim affluentia opum & divitiarum, magnificus, & in rebus ſecundis, aut adverſis magnanimus eſt futurus, omniaque facturus decore & cum dignitate (*videatur D. Thomas* 1.2. *q.65. art.1.*); interim vero ea optat facere, cum poſſit, quæ tum non poteſt. Enimvero cum ſint copulatæ virtutes, conſtat, earum nullam alteri eſſe contrariam: iccircoque nec liberalitati magnificentiam, nec chriſtianæ humilitati magnanimitatem, nec alias aliis (*vid. Aguir de virt. & vit. diſp.* 4. *q.* 5. *ſect.* 4.)

VII. Quæ cum ita ſint, duo mihi in mentem veniunt, de quibus vos arbitror admonendos. Alterum eſt, vehementer errare & decipi eos, qui ſe bonos putant; propterea quod duntaxat alienum habent animum ab una virtute, cum reliquas ſibi habere videantur: ſi enim una carent, omnibus careant, neceſſe eſt: itaque oportet eniti, ut omnium ſimus compotes: *nam . . . . ita copulatæ connexæque ſunt* (*Tullius lib.*5. *de Finibus*) *ut omnes omnium participes ſint, nec alia ab alia poſſit ſeparari*. Si quem igitur aut ſuperbum, aut intemperantem, aut invidum, aut maledicum ſcias eſſe, ſic habe, hunc omnium expertem eſſe virtutum; quamquam earum ſpecies quædam, aut ſimulacra appareant atque cernantur.

VIII. Alterum eſt, oportere nos quidem caritate, & benevolentia conjunctos eſſe cum omnibus; at conſuetudine & amicitia cum eorum nemine, qui gravi aliquo vitio teneatur adſtrictus; quippequi cum ejus virtutis, quæ vitio repugnat, expers ſit, erit omnium ſimiliter, ideoque & ab officio diſcedet pro temporum rerumque opportunitate. Eam ob rem ait Tullius (*in Lælio*) *Sed hoc primum ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe;* & rurſus (*eod. loc.*) *nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt*. Hoc monitum eſt cum omnibus, tum præſertim adoleſcentibus ſalutare, qui quos aliquo irretitos vitio eſſe noverint, eos habent interdum amicorum loco, eorumque conſuetudine delectantur; cum tamen qui vel uno vitio inquinatus eſt, atque adeo vel unam virtutem non habet, nec vir bonus eſſe, nec amicus poſſit omnino.

CAPUT X.

Quæ ſit Virtutis præſtantia.

I. NEmo eſt ſapientum, qui non ſentiat, nihil in terris reperiri, quod ſit cum virtutis præſtantia ac dignitate comparandum. Opes quidem, ac divitiæ habentur in rebus ampliſſimis, ſed ita obſcurantur & obruuntur ſplendore virtutis, ut nuſquam appareant. Quapropter, qui ea potitur, is ſolus dives jure habetur a Stoicis. *Qui ea poſſidet*, ait Empiricus (*adverſus Mathem. apud Lipſium manud. lib.3. diſſ.11.*) *quæ ſunt magnæ æſtimationis & magni pretii, eſt dives: virtus autem eſt magni pretii, & æſtimationis, ſoluſque ſapiens eam poſſidet: ſolus ergo eſt dives.* Qua de re, ait Cicero, non eſſe dubitandum. (*in Parad. 6.*) *Quis igitur (ſi quidem ut quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat, ita ditiſſimus habendus ſit) dubitet, quin in virtute divitiæ poſitæ ſint: quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri, & argenti pluris, quam virtus, æſtimanda eſt . . . . quæ qui præditi ſunt*, ait paullo poſt, *ſoli ſunt divites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas & ſempiternas, ſolique, quod eſt proprium divitiarum, contenti ſunt rebus ſuis.*

II. Deinde quod pulchrum, idem præclarum ducitur: pulchritudo autem non corporis æſtimatur a ſapientibus, quæ extrinſecus eſt omnis, ut in tabula, ſed animorum: *animi enim*, ait Cicero (*lib.3. de Finibus*) *lineamenta ſunt pulchriora, quam corporis*; immo ex hujus pulchritudine nihilo fit animus formoſior: *errare mihi viſus eſt*, inquit Seneca (*epiſt.66.*) *qui dixit*

Gratior eſt pulchro veniens in corpore virtus:

nullo enim boneſtamento eget; ipſa & magnum ſui decus eſt, & corpus ſuum conſecrat: ſed ex animi elegantia honeſtas influit in corpus; *non deformitate corporis*, ſcribit Seneca (*eodem in loco*) *fœdari animum, ſed pulchritudine animi corpus or-*

ornari ; & illud opportune addit de Clarano ſuo condiſcipulo, cujus menti minus elegans erat domicilium a natura datum. *Claranum noſtrum cœpi intueri : formoſus mihi videtur, & tam rectus corpore* (erat autem paullo inclinatior, ut puto) *quam eſt animo. Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt & ex deformi humilique corpuſculo formoſus animus, ac magnus.* Itaque, ſi fortaſſe auctoritas & elegantia non ineſt in corpore, ſit in animo, & nihil erit homine illo formoſius apud ſapientes, qui id ſpectant, quod latet, ſplendidum, ac cæleſte: quid enim ſtulti judicent, demens ſit, qui curat.

III. Præterea quod gloria, laude ac prædicatione maxime dignum eſt, id præclarum maxime; tale autem eſt una virtus, nec quicquam aliud, niſi ſit idem cum virtute conjunctum : quod enim honeſtum non eſt, aut honeſtati cohærens, ne bonum quidem; quod non bonum, nec laudabile eſt, nec prædicandum. *Virtus .... eſt*, ait Cicero (*lib.2. de Orat.*) *per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt ;* & rurſus (*lib.3. de nat. Deor.*) *propter virtutem ... jure laudamur, & in virtute recte gloriamur :* quamobrem qui veram gloriam appetit, quæ merces eſt benefactorum, ſi quando illa appetenda videatur honeſtatis cauſa, eam quærat in virtute, quam gloria tamquam umbra ſequitur, ut Tullius ait (*lib. 1. Tuſc. qq.*) & in qua verum decus poſitum eſt. Porro *eos viros ſuſpiciunt* (*Cicero lib.2. off.*) *maximiſque efferunt laudibus, in quibus exiſtimant* [homines] *ſe excellentes quaſdam, & ſingulares virtutes perſpicere.* Quo efficitur, eos turpiter errare, qui ſperant, ſine virtutis præſidio ſe aliquid conſecuturos. Tullius veniat in medium, quamquam ſæpius: nam placet viri auctoritas. *Quod cum optimum maximumque ſit* (honeſtas, gloria, tranquillitas animi, ac jucunditas, aliaque bona) inquit (*in Lælio*) *ſi id volumus adipiſci ; virtuti opera danda eſt, ſine qua neque amicitiam, neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus.*

IV. Mox etiam nobilitas in excellenti bono ducitur; atqui eoſdem nobiles, qui & probi eſſent, Stoici jure voluerunt, a quibus non pauca mutuemur, & in rem noſtram veriſſime transferamus: quo ſpectat & vulgatum illud Juvenalis [*Sat.8. v.19.*]

.. No-

Digitized by Google

. . . . *Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus.*

Quod & Ovidio viſum eſt [*lib.*1. *de Ponto. Eleg.*10.]

. . . . *Non cenſus, nec clarum nomen avorum,*
Sed probitas magnos, ingeniumque facit.

Et Senecæ [*epiſt.*44.] qui ingenuum ac generoſum eum ſcribit eſſe, qui eſt ad virtutem bene a natura compoſitus: neque enim generis ſplendor & claritas, ſed factorum animum attingit humanum, cum præſertim illa ſint naturæ, hæc voluntatis: nihil autem in benefactis & laude ponitur, niſi quod ſponte fit, ut ſupra dixi (*lib.*2. *cap.*10.) Verum ut ut eſt, utra utri nobilitati ſit præferenda, nemo ſapiens in dubium vocat: illa, quæ a factis eſt, non quæ a genere, profecto eſt multo præſtantior. Quod ſi ita eſt, quiſque igitur nobilis poteſt eſſe, ſi velit; omnes autem velle debent.

V. Tum præſtans eſt quoddam bonum libertas; ſolus autem liber is, qui ſapiens, ut Stoicis olim eſt viſum & vere & merito: ſolus autem ſapiens, qui bonus; ergo ſolus is liber eſt, qui vir bonus; quod paucis conficio: quoniam qui virtute præditus eſt, ſervit nemini, non libidini, non intemperantiæ, non avaritiæ, non reliquis turpiſſimis dominis, ac peſti vitiorum. *Non ſum imperata facturus*, ait Seneca [*epiſt.* 51.] *jugum non recipio, immo, quod majore virtute faciendum eſt, excutio.*

VI. Non ſervit vitiis vir bonus, ita nec cupiditatibus, perturbatiſque motibus animorum; non ducitur iracundia, non geſtiente lætitia, non triſtitia, non metu, aliiſque, quæ, cum impellant ad turpia, magna ex parte labefactant animi libertatem. *Non eſt emolliendus animus*, ait Seneca [*epiſt.* 51.] *ſi voluptati ceſſero, cedendum eſt dolori, cedendum eſt labori, cedendum eſt paupertati. Idem ſibi in me juris eſſe volet & ambitio, & ira.* Ne legibus quidem ipſis vir bonus tenetur adſtrictus, quibus non propter metum paret, ſed ſponte ac libenter: faceret enim ipſe per ſe, quod jubet lex: propterea quod id ſalutare maxime eſſe judicat, iccirco legem non juſtis, ſed iniquis datam, ait Paulus (1. *ad Timoth.*1. *v.*9.) VII.

VII. Eminet etiam ſupra homines, tuetur decus & dignitatem ſuam, neque fert, ab ullo ſibi eripi libertatem: nihil eſt, quod eum dejiciat ac flectat, non tyrannus, non minæ, non metus, non illecebræ, non carcer, non exilium, non ſervitus. Alacer ſemper eſt, erectus, excelſus imperantis inſtar ac dominantis quaſi Dei, putatque omnia eſſe infra ſe poſita. Diogenes ille Cynicus cum in ſervitutem veniſſet [*Stanlejus p.6. in Diogene cap.3*] eſſetque venundandus, interrogatus quam ſciret artem? reſpondit *hominibus imperare, atque ſi quis Domino egeat, ei, ut me emat, dicito*, inquit. Tum vero cum prætereuntem Xeniadem vidiſſet, fortis ac magnanimus: *huic quidem*, ait, *me vendas, velim: domino enim hic opus habet*: & profecto ita ſe geſſit, ut ipſi & liberis & familiæ imperaret (*vide & Laertium in Diogene lib.6. cap.2.*) Sed habemus magnanimitatis hujus, ac libertatis exempla domeſtica; neque neceſſe eſt a me nominari vobis Ambroſium (*Theodoretus Eccleſ. hiſt. lib.5. cap. 18*) Chryſoſtomum [*idem cit. loc. cap.22. & conſeq.*] Baſilium [*idem lib. 4. cap.19.*] alioſque.

VIII. Quid quod bono viro etiam, quæ vim habere maximam dicitur, fortuna ipſa cedit (*Tullius 5. Parad.*) quæ ſicut ſapiens poeta dixit, ſuis cuique fingitur moribus. Qui fieri hoc poſſit, Epictetus docet (*3. differt. cap.26. apud Lipſium Manud. lib.3. diſſ.12. tom.4.*) *Conſtitui*, inquit, *& ad divinam conformavi voluntatem meam. Vult me febri jactari? Et ego volo. Aliquid aggredi? volo. Potiri? volo. Non potiri? nolo. Mori? volo. Quis jam igitur probibere me, aut cogere præter voluntatem poteſt? non magis quam ipſum Deum*. Cum hæc eſt animi conſtitutio, quis dominanti fortunæ locus?

IX. Eo pervenit animus bene affectus, ut ne corpore quidem teneri videatur incluſus, quaſi carcere, ſed foras erumpat: *nam corpus hoc*, inquit Seneca (*epiſt.65.*) *animi pondus, ac pœna eſt: premente illo, urgetur, in vinculis eſt, niſi acceſſit philoſophia* [*quæ docet recte facere*] *& illum reſpirare rerum naturæ ſpectaculo juſſit, & a terrenis dimiſit ad divina. Hæc libertas ejus eſt, hæc evagatio: ſubducit interim ſe cuſtodiæ, in qua tenetur, & cœlo reficitur*. Atque ut, ad libertatem quod attinet, concludam; qui virtutis eſt

com-

compos, nihil facit *invitus, nihil dolens, nihil coactus* (*Tullius 5. Parad.*) eſt ergo liber maxime: *quid eſt enim libertas?* [*Tullius ibidem*] *poteſtas vivendi ut velis; quis igitur vivit ut vult, niſi qui recta ſequitur? qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt?* Hæc præſertim in chriſtianum hominem cadunt, qui ſcit, ſe non deſeri a Deo, nec vivum, nec mortuum, ſed tum maxime amari, cum premitur adverſis rebus, & jactatur fluctibus tempeſtatum.

X. Accedit eo, quod regnare ducitur in præclaro & excellenti bono; quis autem rex præter ſapientem & bonum. Non loquor inepta, ſed vera. Non hæc ſomnia ſunt Stoicorum; at eorum ſententiæ, qui ſapiunt: rex enim dicitur a regendo; ille igitur vere rex, qui ſe & alios regit, quorum utrumque præſtat ſapiens & bonus. Itaque regit ipſe ſe, hoc eſt, nihil facit, niſi temperatum, niſi honeſtum, niſi rationi conſentaneum, refrenatque omnem cupiditatem. Seneca ita [*in Thyeſte act.2. v.347.*

Rex eſt, qui poſuit metus,
Et diri mala pectoris.
. . . .
Qui tuto poſitus loco
Infra ſe videt omnia,
Occurritque ſuo libens
Fato, nec queritur mori.

Cum improbus contra non poſſit cupiditatibus ſuis imperare, ſed his obediat, & multa & dura & interdum contraria jubentibus [*vid. Cicero in Parad.5.*]

XI. Quod ad alios attinet, ſapientes ſolos veros reges eſſe, ait Philo [*de Agricult. tom.1.*] & alio in loco Sapientis regnum a Deo dari (*lib. de Abrabamo.*) ut enim gubernator in navi, magiſtratus in civitate, imperator in exercitu, mens in corpore, ita rex debet eſſe in genere humano, hoc eſt peritus regendi; quod & ſcribit Salomon [*Prov.1. v.5.*] *Intelligens gubernacula poſſidebit:* Sapiens autem, intelligenſque eſt is, ut ſæpius dico, qui virtute eſt præditus: *omnibus virtutibus inſtructos & ornatos*, ait Cicero (*lib.5. Tuſc. qq.*) *tum ſapientes, tum viros bonos dicimus:* ne-

Digitized by Google

neque enim vera virtus eſt ſine prudentia; neque prudentia poteſt cum rerum ignoratione conſiſtere.

XII. Et quidem eorum eſt imperare natura, qui probitate & ſapientia aliis præſtant; quoniam, cum rationem non habeant tenebris & perturbationibus impeditam, & videant, quid æquum ſit, quid iniquum, quæ alios gubernandi ratio, & civibus pariundæ tranquillitatis, & honeſtatem ſequantur, reipublicæ humanæque ſocietati conſulere & volunt, & ſciunt: *qui enim*, ait Arrianus (*diſſert.3. cap. ult. apud Lipſium Manud. lib.3. diſſ.13. tom.4.*) *in univerſum vitæ degendæ ſcientiam eſt adeptus, quid aliud illum eſſe oportet, niſi rectorem & dominum*: eſt enim rationi contrarium, improbo & ſtulto parere ſapientem.

XIII. Quod & ſentit Muſonius philoſophus Tyrius [*de Principe optimo, inter translationes e græco Stephani Nigri*] *Quis autem*, inquit, *melior Civitatum præfectus, aut dignior ac præſtantior hominum Imperator philoſopho inveniri poteſt? Quem, ſi vere philoſophus appellandus, & prudentem eſſe decet, & temperantem, & magnanimum, nec non & æquitatis ſervantiſſimum, laborum patientiſſimum, inventorum executorem: præterea audentem, intrepidum, ea maxime, quæ cæteris terrorem incutiunt, tolerantem, item beneficum, humanitatis ac frugalitatis ſtudioſiſſimum; quo quidem viro quis ad imperandum accommodatior excogitari poteſt? Nullus profecto.* Videtis, hoc loco deſcribi virum bonum, ac virtute præditum.

XIV. Quamquam vero, quæ interdum injuria eſt temporum, & perverſæ conſuetudinis ratio, & opinionum impetus, non ſemper clavum tenet, qui debet; non tamen iccirco non imperant ſapientes & boni, cum regant imperatorem, ac præfectum communitati conſilio ſuo, qui cum recti honeſtique conſcius non eſt ipſe per ſe, utatur neceſſe eſt aliena mente: ſi ſecus facit, imprudenterque & pro libito, ac male adminiſtrat ſtatum civitatis, tyrannus potius, quam rex & princeps eſt judicandus: ſibi enim ſumit, quod eſt bonorum, & ſapientum. Quo efficitur, ad eos tantum, qui virtute præditi ſunt, pertinere jus regni, ac principatus; quod olim eſt factum, cum homines propius abeſſent ab ortu: nam cæteros regendos ſibi ſuſceperunt ii, qui norunt pacare feritatem. (*vide Gravinam de jure naturali & gentium num. 11.*)

XV. Quid quod vir bonus etſi *non multos ſibi obſequentes*, ait Muſonius (*cit. loc.*) *atque obtemperantes habeat; non propterea tamen regia privatur dignitate: ſatis eſt enim ſi exiſtentibus amicis imperat, aut uxori, aut filiis, aut denique ſibi ipſi: neque enim qui paucos curat, minus eſt medicus cognominandus, quam qui multos; modo medendi peritiam teneat.* Itaque bonum, & ſapientem ſalutare placet cum Statio (*lib. 2. Syl. 2. v. 121. tom. 1.*)

Vive Midæ gazis, & Lydo ditior auro,
Troica, & Euphrate ſupra diademata felix,
Quem non ambigui faſces, non mobile vulgus,
Non leges, non caſtra tenent; qui pectore magno
Spemque, metumque domas vitio ſublimior omni
Exemptus fatis. . . . .

XVI. Tandem nihil præclarius, quam hominis cum Deo ſimilitudo & cognatio; eum vero eſſe Deo quam ſimillimum, qui virtutis eſt particeps, & judicant ſapientes, & nos ſumus edocti divinitus, ſi caritas reliquis eſt adjuncta virtutibus, quarum illa forma eſt, & abſolutio. Audiamus veteres; tum ad noſtros veniendum. Epictetus [*diſp. 2. cap. 15. apud Lipſium Manud. lib. 3. diſſert. 14. tom. 4.*] *Da mihi Deum ex homine fieri cupientem*, inquit, *& in corpuſculo iſto mortali ſocietatem Jovis agitantem.* Porro is eſt vir bonus. Et Seneca [*epiſt. 31.*] *Hoc eſt ſummum bonum, quod ſi occupas, incipis Deorum eſſe ſocius:* & alio in loco [*epiſt. 92.*] *& ſocii ejus* [hoc eſt Dei] *ſumus & membra: capax eſt noſter animus: perfertur illo, ſi vitia non deprimant:* & ſimiliter [*epiſt. 73.*] *ſemina in corporibus humanis* [hoc eſt animis] *divina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor excipit, ſimilia origini prodeunt:* & (*in Menone*) Socrates: *Dei vero ſimilis eſt*, inquit, *vir bonus, neque lapides ac ſigna, aveſque atque ſerpentes ſacra exiſtimes, hominem vero nequaquam. Immo ſacratiſſimum omnium eſt vir bonus.* Dixerat autem paullo ante, nimium indignari *Deum, quoties quiſpiam illius ſimile improbat.* Erat id ita inſitum Stoicis, ut longius progreſſi, quam deberent, bonum virum facerent Deo parem [*vid. Senecam & cit. epiſt. 73. & 53. aliiſque in locis*] quod etſi longiſſime abeſt

Digitized by Google

abeſt a veritate; nihilominus illud verum, hominem virtute præditum accedere ad Deum, cujus natura præſertim ſanctitate & perfectione, & omnium rerum convenientia continetur.

XVII. Hoc autem noſtri melius, qui ſciunt bonum e chriſtianis virum divinæ participem eſſe naturæ, habereque parentem Deum, & ipſam in ſe continere divinitatem. Sed de his patres, & theologi [ſum enim nimius in dicendo] quo quid dici poteſt, aut eſſe, aut excogitari omnino præſtantius? Quapropter qui virtutem poſſidet bonorum in terris maximum, is cenſendus eſt præſtantiſſimus ac nobiliſſimus, & dignus, quem omnes obſervent & colant, ſi quid valet ratio & religio; quamquam non utatur ſecundo flatu atque affluentia fortunæ.

XVIII. Verum pleriſque venia eſt danda, quippequi quadam laborent lippitudine, nec res penitus introſpiciant: neque enim hominem vident: quid ergo? Vident veſtem auro argentoque diſtinctam, aut togam prætextam; vident elegantes calceolos; vident concinnos & comptos capillos; vident grandem ſtaturam, quæ videatur appoſita ad dignitatem; vident interdum barbæ canitiem; vident totius corporis habitum conformatum ad venuſtatem; vident ædium magnificentiam, hortorum amœnitatem, lautam ſupellectilem, currus inauratos, lectos textili ſtragulo magnificis operibus picto, atrium plenum fumoſarum imaginum; vident famulorum copiam; vident denique, quæ circum hominem ſunt, omnia; hominem ipſum omnino non vident. Vos porro a lippitudine hac cavetote, qua plurimi conflictantur: opportunam tam gravi morbo medicinam faciet philoſophia, præſertim vero chriſtiana, qua a ſacris libris inſtituimur & erudimur.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Proſit ne animum in Virtutibus exercere?

I. Virtus non modo eſt pleniſſima dignitatis, ſed etiam utilitatis & fructus. Enimvero prima utilitas, quæ capitur ex virtute, eſt animi ſanitas, robur ac nervus: cum enim vitia ſint morbi & ægritudines animorum, neceſſe eſt ſecus de virtutibus judicare; cum contrariorum contraria ſint conſequentia. Quemadmodum vero corpus perficitur ſanitate; ita mens & ratio virtute: & ut ſanitas maximum eſt bonorum in terris, quæ ad corpus pertinent; nam, illa ſublata, nihil fere proſunt reliqua, aut certe parum; ita virtus iis, quæ animum attingunt in vita, bonis præſtat omnibus, tum quod eximium bonum eſt in ſeſe, tum quod ſempiternum, nec eripi, nec ſurripi poteſt, nec amitti ullo modo, niſi inſanias, & ex ejus poſſeſſione ipſe te ſponte dejicias: in quo corporis valetudini antecellit plurimum.

II. Ex virtute fructus exiſtit alter, quod illius eſt proprium conciliare ſibi animos, & eorum, quibuſcum vivimus (movemur enim ad diligendum, cum in aliquo virtutem & bonitatem perſpicimus) & exterorum rumore tantum, & fama; *cum aliquid*, ait Cicero (*pro Marcello*) *clementer, manſuete, juſte, moderate, ſapienter factum.... aut audimus, aut legimus; quo ſtudio incendimur non modo in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus?* Quod idem fere ſcribit alio in loco (*in Lælio*): quid dicam virtutem amari etiam ab hoſtibus? *Tanta vis probitatis eſt* [*Tullius in Lælio*] *ut eam vel in eis, quos nunquam vidimus, vel quod majus eſt, in hoſte etiam diligamus:* quippe, ut ſupra dixerat, nihil eſt amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat homines ad diligendum, cum id omnes ament & appetant, quod eſt optimum. Eſt ergo conciliatrix benevolentiæ & amicitiæ virtus.

III. Quantas vero habeat opportunitates benevolentia hominum, & amicitia, cum ex aliis, tum ex eo libello po-

teſt

teſt intelligi, quem de hac re ſcripſit Cicero (*in Lælio*) quo ſæpe utor auctore dicendarum rerum: *cætera res*, inquit, *quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus fere ſingulis; divitiæ, ut utare; opes, ut colare; honores, ut laudere; voluptates, ut gaudeas; valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis: amicitia res plurimas continet ..... itaque non aqua, non igni, ut ajunt, pluribus locis utimur, quam amicitia*. Ad amorem accedit etiam virtutis admiratio: nam eos viros nos ſuſpicimus, ut ſupra dixi ex Tullii ſententia, maximiſque efferimus laudibus (*lib.* 2. *Offic.*) in quibus exiſtimamus excellentes quaſdam, & ſingulares perſpicere virtutes; quod enim ſingulare eſt, atque excellens, id ſolemus admirari. Quamquam vero boni viri non ſemper diligantur, ac probentur initio, & ab omnibus; tamen, progrediente aliquantum ætate, magno loco habentur ſaltem a ſapientibus (nam ab improbis vituperari glorioſum eſt, ut dixi (*hujus libri cap.*2), & præmia referunt, & funguntur muneribus civitatis, ut ſcriptum eſt a Platone (*dialog.* 10. *de Rep.*)

IV. Sed fructus, qui tertio loco ex virtute naſcitur multo uberior, quo reliqua continentur omnia, eſt, quod illa benevolum nobis facit, & amicum Deum, ut ſupra vidimus (*lib.*1. *cap.* 19.) quem nihil poteſt latere, delectantque plurimum benefacta: atqui Dei amico, ut Plato docet (*ibid.*) omnia a Deo optima tribuuntur, remotis pulſiſque calamitatibus, niſi cum eædem ipſæ ad majorem viri boni commoditatem, jucunditatemve referuntur, vel ad labem aliquam eluendam vitæ ſuperioris, ut purior animus evadat, dignuſque, qui Dei ac beatorum ſocietate perfruatur. *Sic itaque de juſto viro*, pergit Plato [*ibid.*] *exiſtimandum, ſive paupertati ſeu morbis ſive quibuſvis aliis eorum, quæ mala videntur, obnoxius ſit, huic demum vel viventi, vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducere: neque enim a Diis unquam negligitur quicumque juſtus evadere, virtutiſque officiis, quoad homini licet, Deo ſimilis fieri conabitur. Decens eſt, talem virum a ſimili non contemni*. Cum ita ſit, conſtat, nihil eſſe utilius virtute hominem copulante cum Deo arcto quodam amicitiæ nexu, qua qui utitur, is bonis cumulatur omnibus ſine malorum metu; quoniam nihil

Digitized by Google

hil eſt, quod ei nocere poſſit, quem Deus protegit, tuetur, fovet. Quapropter imprudenter ac male conſulit rebus ſuis, qui Dei potius dimittere amicitiam velit, quam hominum. Quamquam enim horum etiam benevolentia ſit expetenda, cum per honeſtatem licet; tamen illud verum: *Quid eſt amicis, cum Deus faveat, opus?* Retinenda eſt eatenus humana amicitia, quatenus non repugnat divinæ, tum quod æquum hoc eſt omnino, tum quod utile.

V. Aliud virtutis præmium ampliſſimum eſt extremum bonorum cum in terris, ut fert mortalis vitæ conditio, quemadmodum ſupra vidimus (*lib.* 1. *cap.* 19.) cum poſt obitum in omne poſterum tempus: utraque enim felicitas, & quæ viæ propria eſt, & quæ patriæ, virtute comparatur: cum vero ea dicantur utilia, quæ in finem conferunt; quam porro utilem putamus eſſe virtutem, quæ ad finem ducit, ad quem cum omnia ſint referenda, ipſe nuſquam refertur? An in bonis utilibus ducantur opes, divitiæ, poſſeſſiones, pecuniæ; propterea quod ad vitæ uſum commoditatemque appoſita videantur; at virtus non ita, quæ efficiens eſt vitæ beatæ, dum vivimus, & cum animus evolarit e corpore, ævo ſempiterno?

VI. Cum ſuperioribus comparata nullius fere momenti videri poſſunt alia bona, quorum eſſe procreatricem virtutem, nullus eſt dubitandi locus, quale eſt bona valetudo, & vita diuturnior (*Prov.* 10. *v.* 27.) gloria (*Reg.* 2. 30.) affluentia fortunarum (*Prov.* 3. 16. *Pſalm.* 33. *v.* 11. & *Pſalm.* 36. 25.) Primum quidem virtus efficit etiam corporis ſanitatem: quoniam ea repellit vitia, quibus corpus ipſum læditur & tabeſcit, ut intemperantiam (vetat enim intempeſtiva convivia, immodicas potationes, ventris ingluviem, concitatam furentemque libidinem, qua nihil magis eſt ſanitati contrarium) ut avaritiam, ut ſuperbiam, quæ ſæpe ad faciendum impellunt id, quod eſt maxime laborioſum, & noxium valetudini, ut alia generis ejuſdem. Pellit ſimiliter virtus eos morbos, qui ex ægroto animo influunt in corpus, hoc eſt, perturbationes & curas, ut inceſam, inflammatamque iracundiam, ut inſolentem lætitiam, ut luctum vehementem, ut invidentiam, ut metum; vacuitas enim perturbationum, quæ ſunt in animo, maxime confert

ad

Digitized by Google

ad tuendam corporis ſanitatem. Deinde gloriam fructum eſſe præclare factorum, & cum his copulatam, ut umbram cum corpore, dixi capite ſuperiore. Divitiis vero, & opibus ii plerumque floruerunt (niſi eas contempſerint ac repudiarint) qui eſſent optimi, ut Abrahamus (*Gen. cap.* 13) ut Iſaccus (*Gen. cap.* 26.) ut Jacobus (*vid. cap.* 31. *Gen.*) ut Joſephus (*Gen. cap.* 41.) ut Joſue (*vid. lib. Joſue*) ut Gedeon (*Judic. cap.* 6 7 8.) ut Davides (2. *Reg. cap.* 5.) ut Salomon (2. *Paralip. cap.* 9.) Ac ſi quando improbis data ſunt bona fortunæ, idcirco ſunt data, ne virtutum quædam ſimilitudo ac ſpecies, quæ in eis cernebatur, fructu careret, ut dixi in libris Metaphyſicorum (*part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 12.) Sed neceſſe non eſt plura dicere: ut a vitiis mala omnia, ſic a virtute omne bonorum genus exiſtere, & ratione, & auctoritate ſapientum, & præſertim ſacris literis edocemur. Nos conſulamus oportet brevitati.

CAPUT XII.

Quæ ſit Virtutis jucunditas.

I. NIhil eſſe virtute jucundius, convenit inter ſapientes, quorum auctoritas in omni re valet plurimum. Id ſæpe ſcriptum eſt a Platone; velut in Euthydemo Socrates: *Beatiores igitur*, inquit, *ob rei hujus* (virtutis) *poſſeſſionem vos exiſtimo, quam ob regnum ſuum regem illum magnum:* & Athenienſis Hoſpes (*dialog.* 5. *de Legib.*): *utque in ſummam redigantur, quæ vita virtutis corpore, aut animo particeps eſt, ea eſt jucundior altera .... ita ut qui in ea conſtitutus eſt, felicius contrario in omnibus vivat.* Nec ſecus Platonis diſcipulus Ariſtoteles [*lib.* 1. *Ethic. cap.* 8.]: *iis autem hominibus, qui ſunt ſtudioſi honeſtatis, ea voluptatem afferunt, quæ vi ſua jucunda ſunt; quo in genere ſunt, quæ virtuti congruunt, actiones: itaque his ſunt voluptati, idque propter ſe.* Tullius vero [*integro* 5. *lib. Tuſcul. qq.*], copioſe & ornate ex Stoicorum ſententia conatur efficere, virtutem ad beate vivendum ſe ipſa contentam eſſe; quod etſi, nobis non probatur, ut ſupra

pra vidimus (*lib.* 1. *cap.* 17.) tamen ſatis indicat, quæ ſit tanti viri de virtutis jucunditate ſententia. Nihil dico de Seneca, qui Stoicus homo cum ſit, cenſet & ipſe, virtute vitam beatam contineri, multis in locis cum epiſtolarum, tum præſertim ejus libri, qui eſt de vita beata: *Libet &* (ſummum bonum) *ita definire*, ait (*cap.* 4.) *ut beatum dicamus hominem, cui nullum bonum malumque ſit, niſi bonus malusque animus*. Sed rem apertius explicat (*cap.* 6. *& conſeqq.*) Qui hunc libellum legerit, non mediocrem, ut puto, capiet animo voluptatem, ſentietque de virtute præclarius, magiſtro Seneca, quam multi cæteroquin chriſtiani homines faciant. Prætereo & Laertium, qui inter Zenonis dogmata illud ſtatuit (*in Zenone*) acceſſiones virtutis gaudium eſſe, lætitiam, & his ſimilia. Sed divina præſertim auctoritate frangimur: nam divinitus promiſſum eſt benefactis gaudium etiam in terris (*Pſalm.* 118. *v.* 165. *Iſaiæ* 48. 18. *ad Rom.* 2. 10. *& alibi*): qua in re doctores noſtri conſentiunt, ut neceſſe non ſit eorum dicta, quæ huc pertinent, memorari.

II. Nec deſunt argumenta, quæ id conficiunt, & multa & gravia: cum enim virtus ponatur in bonis honeſtis; immo ſit illud ipſum bonum; idemque, ſi non ſummum, eximſum certe, ac præſtantiſſimum ſuapte natura, ut paullo ante dixi; conſequens eſt omnino idem eſſe jucundum, quod ſupra docui (*lib* 1. *cap.* 3.). Neque enim poteſt non eſſe jucunda præcellentis boni poſſeſſio, adeptiove: *Omnia, quæ pulchra*, ait Tullius (*lib.* 5. *Tuſcul. qq.*) *honeſta, præclara ſunt .... plena gaudiorum ſunt*. Num delectent ambitioſum hominem & gloriæ cupidum honor & principatus & munera magiſtratuum; quæ vero his longe antecellit, virtus non eum delectet, qui poſſidet?

III. Neque vero tantum præclara eſt virtus, ſed & omnes habet opportunitates, ut dixi capite ſuperiore, & ſcribit Paulus (1. *ad Timot.* 4. *v.* 8.). Quod autem utile eſt, idem jucundum: nam quod utile, honeſtum; quod honeſtum, jucundum eſt: quo efficitur, virtutem maxime eſſe jucundam; quippequæ utilis eſt, & opportuna maxime, præſertim ad vitam beatam, cum in terris, tum poſt mortem in omne poſterum tempus. Habet pecunia, habent poſſeſſiones & divitiæ & opes & copiæ voluptatem, habent & dapes

&

Digitized by Google

& veſtes, propterea quod ad aliquem uſum conferunt, commoditatemque vitæ; expers autem delectationis eſt virtus, quæ ad omnia opportuna eſt, in primis vero ad vitam beatam ac ſempiternam?

IV. Quid quod virtus bonum eſt firmum & immutabile, & non poſitum in temeritate fortunæ? *Aliquod potius bonum*, ait Seneca (*epiſt.27.*) *manſurum circumſpice: nullum autem eſt, niſi quod animus ex ſe ſibi invenit;* hoc autem ait eſſe virtutem. Quemadmodum vero bonum, quod probi viri poſſident, ita altis radicibus defixum inhæret in animo, ut nulla vi labefactari poſſit; ita voluptas, quæ ex eo naſcitur, habet perennitatem: *ſola virtus*, ait Seneca (*cit.epiſt.*) *præſtat gaudium perpetuum, ſecurum;* eamque affert rationem (*de vita beata cap.4.*) quod tamquam fundamento nititur rupe, ut ita dicam, virtutis. *Hunc* [animum] *ita fundatum*, inquit, *neceſſe eſt, velit, nolit, ſequatur hilaritas continua, & lætitia alta, atque ex alto veniens, ut quæ ſuis gaudeat.* Reliqua gaudia externa ſunt, & adventitia, ut bona, ex quibus exiſtunt. *Hæc, quibus delectatur vulgus*, pergit Seneca (*epiſt.23.*) *tenuem habent, ac perfuſoriam voluptatem, & quodcumque adventitium gaudium eſt, fundamento caret.* Et alio in loco [*epiſt.98.*] *fragilibus innititur, qui adventitio lætus eſt: exibit gaudium, quod intravit; At illud ex ſe ortum fidele, firmumque eſt, & creſcit, & ad extremum uſque proſequitur.*

V. Quo efficitur, eum, qui vera ac ſancta, ſinceraque virtute præditus eſt, hilarem ſemper, & lætum eſſe: habet enim in ſe fontem liquidæ voluptatis, non extra: *quoniam igitur*, ait Philo diſertiſſimus Judæorum (*in lib. Quod deterius potiori inſidietur*) *in ſolis animi bonis pura, & minime adulterina invenitur lætitia, in ſe ipſo utique gaudet omnis ſapiens, non in his, quæ circa ſe habet: in ſe ipſo enim habet mentis virtutes, quas nobis placere æquum eſt.* Quapropter jure Seneca [*in epiſt.23. ad Lucilium ſuum data*] *nolo tibi*, inquit, *unquam deeſſe lætitiam, volo illam tibi domi naſci; naſcitur, ſi modo intra te ipſum ſit. Cæteræ hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt: leves ſunt, niſi forte tu judicas, illum gaudere, qui ridet. Animus debet eſſe alacer & fidens, & ſuper omnia erectus.* Et paullo poſt: *hoc* (gaudium) *de quo loquor, ad quod te conor perducere, ſolidum eſt, & quod plus pateat introrſus.*

VI. Hac de cauſa equidem puto, eſſe neminem eo triſtiorem, qui lætiſſimus ſtultis videatur, hoc eſt, qui domos, vias, plateaſque concurſat, qui amat elegantiam ludorum, & ſcenæ magnificentiam, & epulas & convivia, & otioſorum hominum conſuetudinem, & antemeridianas & pomeridianas ambulationes, ſaltationes nocturnas, multarum inanitatum comites, aliaque generis ejuſdem, captandæ voluptatis cauſa, quibus carere moleſtum eſt: is enim nihil habet in ſe, quo lætetur, ſed cum maximam perpetiatur mendicitatem, hinc & inde aliquid conatur elicere, exprimereque lætitiæ, qua ſummæ inopiæ & indigentiæ ſubvenire aliqua ex parte poſſit, & vivere: hoc tamen quantum quantum eſt, quod excerpit, adhibitis etiam artibus, quæ egentium ſunt propriæ, adeo parum eſt ac leve, ut famem potius augeat, quam expleat: eſt enim miſerum ſemper ab aliis velle id extorquere, quo domi careas: & tamen vulgus imperitorum hos homines lætos, ut dixi, hilareſque cenſet eſſe; ita in multis ſtirpes ſunt altæ ſtultitiæ.

VII. His oblectamentis & nugis & inanitatibus non egent viri boni; quippequi domeſticas opes habent procreatrices ac parentes perennis humaniſſimæ voluptatis, quas cum intuentur, non poſſunt, quin ipſi ſecum ſummopere gaudeant, & exultent in tanta copia rerum pulcherrimarum. An avari geſtiant inſolentius aſpectu pecuniæ, & epularum ii, qui gulæ ſunt dediti; viri boni exaggeratarum virtutum, quas ob oculos habent, opulentiſſimo patrimonio non mirifice delectentur?

VIII. Hoc tandem eſt, quod optimæ mentis conſcientia dicitur, in qua magnam vim ineſſe ad conſolandum, pervulgato eodemque veriſſimo omnium ſermone percrebuit, teſtanturque divinæ literæ (*ad Rom. cap.2. 15. Eccleſiaſt.30. v.16.*) & patres, inter quos ſcribit Ambroſius [*lib.2. Offic. cap.1. tom.4.*] conſcientiæ tranquillitate, & bene inſtitutæ vitæ ſecuritate effici vitam beatam; & Iſidorus (*Soliloquior. lib.2.*) *vis nunquam triſtis eſſe? bene vive*. Nihil enim propius accedit ad beatarum mentium voluptatem, quam bona conſcientia; quippe quæ triſtitiam omnem repellit, maximamque lætitiam inſinuat in mentem & recordatione præclare factorum, & cognitione ejus honeſtatis, quæ

cum

Digitized by Google

cum pulcherrima eſt tum intima, & certa ſpe futuræ ac magnæ mercedis, quæ ſcilicet non modo æqua ſit laborum & incommodorum, ſed redundans omnino (*Lucæ 6. 38.*)

IX. Itaque ea eſt vis conſcientiæ, ut primum in memoriam revocet omnem antiquitatem, hoc eſt, quicquid bene aut factum eſt, aut dictum, aut excogitatum, meditatumve ſapienter: hæc autem conſolatio non una eſt, ſed multis conſtat partibus: ſingulæ enim honeſtates delectationem habent & peculiarem & ſuam, eamdemque ſempiternam. Ex quo extat aureum illud Muſonii philoſophi Thyrii ad Alcibiadem (*apud Franciſcum Patritium lib. 5. de Regno in proœm.*) *cum quidpiam pulchrum per laborem feceris, labor ille quamprimum recedit; benefactum autem perpetuo remanet.* Secus contingit in vitio; quare pergit: *Cum vero turpe aliquid per voluptatem admiſeris, voluptas illa cito abit, nequiter autem commiſſum neutiquam recedit, ſed indelebili ſtigmate inhæret.*

X. Deinde conſcientia efficit, *ut ipſa ſe mens vitiis exutam*, quemadmodum ſcriptum eſt a Tullio (*lib. 5. Tuſc. qq.*) *cognoſcat, conjunctamque cum divina mente ſe ſentiat; ex quo inſatiabili gaudio compleatur;* incendaturque ſtudio ejus, quæ in Deo eſt, æternitatis imitandæ, & ſe non in brevitate vitæ collocatam putet, ſed id ſpectet, quod eſt extremum in bonis, unde rurſus exiſtit animi ſumma placatio. Ea porro animi virtute præditi cum divina mente conjunctio & copulatio cognita eſt etiam Senecæ, qui (*epiſt. 41.*) ſcribit, habitare in nobis Deum, & bonum virum ſine eo eſſe nullum: *non ſunt*, inquit, *ad Cœlum elevandæ manus, nec exorandus æditüus, ut nos ad aures ſimulacri, quaſi magis exaudiri poſſimus, admittat: prope eſt a te Deus: tecum eſt: intus eſt. Ita dico, Lucili, ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos; hic, prout a nobis tractatus eſt, ita nos ipſe tractat. Bonus vir ſine Deo nemo eſt.* Omitto reliqua: cæterum tota epiſtola lectu eſt digniſſima.

XI. Eſſe quidem juſtum hominem quoddam quaſi receptaculum divinitatis, ex ſacris literis didicimus (*Joannis 14. v. 23. ad Rom. 5 v. 5. ad Rom. 8. 9. & 11. & ad Corinth. 3. 16. & cap. 6. 19. atque alibi*) & ex SS. Patribus, quos recenſet Petavius (*de Trinit. lib. 8 cap. 4. 5. & 6. tom. 2.*) Quanto autem, & quam incredibili putamus gaudio eam affici men-

Digitized by Google

tem, quæ ſe præſtantiſſimæ honeſtatis, & tanti boni ſentit eſſe compotem? Careat ne unquam voluptate, qui ejus in ſe ipſo fontem intelligat contineri?

XII. Tandem conſcientia rectam animum conſolatur mercede propoſita, qua virtus nunquam vacat, ut ſupra dixi (*lib.1. cap.3.*) cum juſtus ſit Deus, iccircoque debitis meritiſque præmiis, immo ampliſſimis (quæ ejus eſt liberalitas ac magnificentia) muneret benefacta. Nec vero præmium omne differt eatenus, quatenus animus evolarit e corpore; vel in terris, ubi nihil eſt non plenum calamitatum, bonorum mentes complet delectatione mirabili, qua omnes vitæ ſollicitudines, & laborum moleſtiæ ita abſorbentur, ut nihil habeant amplius, quod amarum ſit, quod ingratum, quod inſuave. Ea vero quanta ſit, intelligunt tantum, qui ſentiunt. Teſtes ſunt quotquot congreſſus, & ſocietatem hominum fugientes olim in Ægyptia ſolitudine ſe totos contemplandi ſtudio dediderunt, ut Antonius, ut Paulus (*de his pauca vide apud Sozomenum hiſt. eccleſ. lib.1. cap.13.*) vitam S. Antonii deſcribit S. Athanaſius (*Tomo 2. Oper.*) ut Joannes Senenſis, de quo Caſſianus (*de inſtitutis Renunciant. lib. 5. cap. 28.*) ut alii quamplures; & qui propius a nobis abſunt, Catharina Senenſis, Tereſia, Maria Magdalena, Bernardus, Philippus Nerius, Franciſcus Xaverius, aliique, quos perſequi non eſt neceſſe: nam jure reprehendar, cum in eo hæream, quod apertum eſt & pervulgatum innumeris monumentis literarum. Hæc vero non ſatis capiunt ii, qui nunquam experti ſunt; quippe nullas alias putant eſſe voluptates, præter eas, quas communes habet homo cum belluis. Sed quanti faciendum eſt eorum judicium, qui pecudum ſunt quamſimillimi, non natura quidem, at moribus.

XIII. Ex aliis etiam fontibus in bonum virum influit delectatio: hanc enim efficit vacuitas vitiorum & cupiditatum. Vitiorum quidem, quæ, quot & quantas ærumnas illuc importent, quo pervaſerint, difficile eſt dictu: quanto autem miſerior eſt animus, qui importuniſſima hac peſte, turpiſſimaque lue polluitur & contaminatur; tanto, qui ea caret, beatior: eſt enim compos optatiſſimæ ſanitatis, quæ corporis valetudine eſt multo jucundior. Eademque eſt cupiditatum ratio, quarum una ſatis eſt ad torquendum animum

mum

Digitized by Google

mum, graviterque ſauciandum, ſi paullo ſit concitatior: quid vero ſi plures habeas multa infinite concupiſcentes, & inſolentius efflagitantes, & ſæpe contraria? *Diſtrabuntur in contrarias partes impotentium cupiditates*, ait Cicero (*Tuſcul. qq. lib.5.*) *cum huic obſecutus ſis, illi eſt repugnandum;* & Seneca (*lib.7. de Benef. cap.26.*) *Aſpice, quemadmodum immenſæ hominum cupiditates hient ſemper, & poſcant:* neque licet unquam illis ſatisfacere: quippe quæ ſunt inſatiabiles. *Quicquid cupiditati contigit*, ait rurſus Seneca (*cit. loc. cap.3.*) *penitus hauritur & conditur; nec intereſt quantum in id, quod inexplebile eſt, congeras.* Virtus autem, cum ſit expultrix cupiditatum, ut iracundiæ, ut avaritiæ, ut invidentiæ, ut ſuperbiæ, ut libidinis, moleſtiis liberat, eiſque graviſſimis, quibus animum dies noctesque conflictant dominæ, quam duræ, quam imperioſæ, quam vehementes! Pulſa vero moleſtia, quies conſequitur, ac tranquillitas pleniſſima voluptatis, ut mare pacatum eſt, ſedatis fluctibus tempeſtatum. Quis eo lætior, qui non invidet, non exardeſcit, nullis pungitur gloriæ ſtimulis, non tenetur ſtudio opum & divitiarum, ſuis rebus contentus eſt, nihil appetit, nihil ſperat amplius in terris, nihil timet ne mortem quidem, quam ſcit migrationem eſſe ad patriam, ad præmium, ad felicitatem, non interitum extinctionemque vitæ?

XIV. Itaque qui habet ornamenta virtutum, cum habeat etiam intima domeſticaque gaudia, eademque ſempiterna detractis vitiorum perturbationumque moleſtiis, ita eſt conſtitutus, ut neque loci mutatio, neque varii fortunæ caſus eum de hilaritatis poſſeſſione deturbent. Solitudine etiam, quæ improbis ingrata eſt, & receſſu delectatur: nam colloquio alterius non eget ad oblectationem, qui habet id ſecum, quo gaudeat: quare huc ſpectat illud, quod Publium Scipionem eum, qui primus Africanus appellatus eſt, dicere ſolitum, ſcripſit Cato (*apud Tullium lib.3. Officior.*) *nunquam ſe minus ſolum, quam cum ſolus eſſet*: enimvero ſolus non eſt is, quem virtutes comitantur, & honeſta conſilia de rebus gerendis: quoniam ſemper ita ſecum loquitur, ut non ceſſet unquam; & duobus rebus, quæ languorem afferunt cæteris, acuatur, otio & ſolitudine.

XV.

XV. Hæc vero etiam jucunda ob eam cauſam, quod cum in hominum frequentia verſamur, ſæpe incurrimus in eam, quæ viro bono maxime inviſa eſt, improbitatem: *Quam ſuave ſolitudo, qui odit improbos*, ait Menander (*apud Lipſium Manud. lib.*3. *diſſ.*10. *tom.*4.) Quamobrem argumentum eſt, hominem optima eſſe mente præditum, qui morari ſecum ipſe poſſit, libenterque conſiſtere; quod vulgares animi non faciunt, quorum quiſque ſe fugit; cum tamen id nunquam conſequatur: quoniam, ut Horatius ait (*Carm. lib.*2. *Od.*16.)

. . . . . *Patriæ quis exul*
Se quoque fugit?

XVI. Vivit tamen vir bonus non repugnanter etiam in hominum conventu & ſocietate, & uberrimos fructus capit ex adminiſtratione reipublicæ, & conſuetudine ſapientum & amicorum, quos vult eſſe ſui perquamſimillimos: *tranſeat idem iſte ſapiens* (hoc eſt virtute ornatus: tardis enim mentibus virtus non facile committitur) ait Cicero (*Tuſcul. qq. lib.* 5.) *ad rempublicam tuendam: quid eo poſſit eſſe præſtantius, cum contineri prudentia utilitatem civium cernat, juſtitia nihil in ſuam domum inde derivet, reliquis utatur tot tamque variis virtutibus? Adjunge fructum amicitiarum, in quo a doctis poſitum eſt cum conſilium omnis vitæ conſentiens & pene conſpirans, tum ſumma jucunditas e quotidiano cultu atque victu.*

XVII. Sed veniamus ad variam vitæ rationem, volubilemque fortunam. Huic ne duræ, adverſæque cedit virtus, & ſinit ab ea ſibi eripi jucunditatem? Minime id quidem; excelſa eſt, & ſupra nubes poſita, iccircoque non jactatur ventis & tempeſtatibus. *Talis eſt ſapientis animus, qualis mundi ſtatus ſuper Lunam*, ait Seneca (*epiſt.* 59. *vid. & epiſt.* 27.) nubibus, quæ infra ſunt, obſcurari ac perturbari non poteſt: quid enim eſt, quod virum bonum perturbet ac moveat? an paupertas, quæ opinione malum eſt, non natura? nam qui pauper eſt, & idem bonus, primum quidem caret ſupervacaneis, cum ſit parvo contentus: *etenim*, ait Cicero (*Tuſcul. qq. lib.* 5.) *quæ res pecuniæ cupiditatem afferunt, ut amori, ut ambitioni, ut quotidianis ſumptibus copiæ*

Digitized by Google

piæ ſuppetant, cum procul ab iis omnibus rebus abſit, cur pecuniam magnopere deſideret, vel potius curet omnino? Itaque ſi rem penitus introſpicias, quem vulgus locupletem putat, is eſt multo pauperior, cum plura quærat appetatque vehementius: *non qui parum habet*, ait Seneca (*epiſt.* 2.) *ſed qui plus cupit, pauper eſt*. Quid Diogenes ille Cynicus *Alexandro roganti, ut diceret, ſi quid ſibi opus eſſet; nunc quidem paulum*, inquit, *a ſole abſis: offecerat videlicet apricanti*. (*Tullius Tuſcul. qq. lib.* 5.). Illiberaliter fortaſſe id quidem dictum, ſed non valde alienum a philoſopho, qui præferebat ſe regi Perſarum, eo quod diceret, *ſibi nihil deeſſe, illi nihil ſatis unquam fore*.

XVIII. Quid vero, ſi cui virtute prædito id etiam deeſſet, quod ad vitæ uſum ſit plane neceſſarium? vel tum judicabit, hoc ſibi ex Dei, a quo ſcit diligi ſe, voluntate contingere, ſervabitque conſtanter hilaritatem; ſed profecto vix continget unquam: etenim *rerum ad vitam tolerandam ſufficientium nemo eſt pauper*, ait Plutarchus (*de Cupidit. divitiarum*): *quantulum eſt enim*, addit Seneca (*in Conſol. ad Helviam cap.* 9.) *quod in tutelam homini neceſſarium ſit? & cui deeſſe hoc poteſt, ullam modo virtutem habenti?* quod & Davides confirmat (*Pſalm.* 36.25. & *Pſalm.*133. 10. & 11.)

XIX. Deinde vir bonus, qui ſit idem pauper, caret iis, quæ vilia ſunt, quæ abjecta, quæ inania, quæ cum luto & ſordibus comparantur [*Eccleſ. cap.* 1. *v.* 1. *D. Paulus ad Philipp.* 3. 8.]; quæ idcirco pro nihilo ducere altiſſimi ingenii eſt: habet autem ea, quæ Cœlum contingunt, quæ ſublimia, quæ excelſa ſunt, quæ plena ſucci; cum quibus ſi argentum, ſi aurum, ſi pretioſi lapides conferantur; luti ſpeciem formamque præſeferunt [*Sap.*7.*v.*79.]: non videt pecuniam, at videt benefacta; non inaurata laquearia, at, quod multo eſt jucundius, cœlum ornatum diſtinctumque ſyderibus [*vid. Auguſtinum enarrat. in Pſal.* 127. *num.* 16. *tom.*4.): non accumbit lautus, ſed habet virtutum quotidianum pabulum, quo magis mens, quam palatum exquiſitiſſimis epulis delectatur.

XX. Tum vir bonus caret divitiis; ergo & rebus pleniſſimis moleſtiarum, & acquirendi cupiditate, & amittendi metu, & cura ſervandi: *ne mihi contingat* [*Euripides in*

in Medea) moleſtiam habens locuples vita, neque divitiæ, quæ meum diſcrucient animum.

XXI. Præterea, cui morum probitas maxime curæ eſt, is gaudet eſſe ſe opibus & facultatibus vacuum, quas ſapiens quiſque non modo turbulentas, ſed & periculoſas judicat: *divitiæ illæ*, ut ſcriptum eſt ab Auguſtino (*ſerm. 24. in verſum 14. Pſal. 9. num. 6.*) *quas putatis plenas eſſe deliciarum, pleniores ſunt periculorum:* ſunt enim irritamenta vitiorum, ut ſuperbiæ, ut avaritiæ, ut intemperantiæ; tandemque cupiditates omnes excitant & inflammant, quæ cæteroquin ſunt natura vehementes. Cum virtute igitur vix conſiſtunt, & ne vix quidem, ſi Platonem audiamus; *fieri vero non poteſt*, inquit (*dialog. 5. de Leg.*) *ut divitiis aliquis ſimul præſtet, & probitate:* in quam rem extat Chriſti moderatoris noſtri ſententia maxime pertimeſcenda (*Matth. 19. 24.*) Quoniam vero ineſt in divitiis periculum, erit in paupertate ſecuritas & quies. Qua de re nobis dubitare nullo modo licet: pauperes enim a Chriſto dicti ſunt beati (*Matth. 5. 3.*) quoniam participes erunt beatæ vitæ. Hæc & alia innumeros impulerunt e noſtris ſanctiſſimos viros, ut divitias opeſque contemnerent & ultro reſpuerent, ac ſeſe in paupertatis ſinum, tamquam in portum, reciperent.

XXII. *Sed dies deficiet*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib. 5.*) *ſi velim paupertatis cauſam defendere: aperta enim res eſt, & quotidie nos ipſa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus;* & deinde affert exempla Anacharſis, cujus in hanc rem deſcribit epiſtolam ad Hannonem datam, & Socratis & Xenocratis pecuniam opeſque aſpernantium. Concludo ergo cum Seneca (*in Conſol. ad Helviam cap. 9.*) in paupertate *nihil mali eſſe, quiſquis, modo nondum pervenit in inſaniam omnia ſubvertentis avaritiæ, atque luxuriæ, intelligit. (vide multa alia præclara cit. loc. & epiſt. 2. & 17. & excerpta quædam apud ipſum Senecam a Lipſio illuſtratum pag. 791. & Petrarcam dialog. 8. lib. 2. de Remed. utriuſque fort.)*; immo conſtat, iſtam eamdem paupertatem in bonis eſſe ducendam, præſertim a chriſtianis hominibus, ſi ſapiunt; eam igitur vir bonus ultro ac libenter amplectitur, non extimeſcit.

XXIII.

XXIII. Quid ergo? Mœrebit propter ignobilitatem. Si faciat, non bonus ſit & ſapiens, at ſtultus, quippe qui vulgi opinione ducitur. Jam ſupra dixi, nobilitatem eſſe præſertim animorum propriam, non corporum. Appoſite ad rem noſtram Seneca, qui cæteroquin civis erat, & ſenator Romanus ampliſſimus: *omnes*, inquit (*epiſt.* 44.) *ſi ad primam originem revocentur, a Diis ſunt . . . . . Patritius Socrates non fuit, Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia, ſed fecit. Quid eſt, quare deſperes, his te poſſe fieri parem? Omnes hi majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum.* Epiſtolam hanc perlegere vobis arbitror non injucundum fore, quemadmodum & dialogum Franciſci Petrarchæ non modo poetæ, ſed & philoſophi, qui glorianti ſibi originem generoſam eſſe reſpondet: *rurſus mihi redis ad ineptias* (*dialog.*16. *lib.*1. *de utriuſque Fortunæ Remediis*) *Quid ad te . . . alieno gloriari ridiculoſa jactantia?* (*vide & dialog.* 4. *&* 5. *lib.* 2.) Quod forte acceptum eſt a Seneca (*in Hercule furente act.* 2. *v.* 340.)

. . . . . Qui genus jactat ſuum
Aliena laudat . . . .

XXIV. Qui tamen hoc ornamento fortunæ bene utitur ad præclara gerenda, eum ajo eſſe laudabilem; at qui caret, non idcirco minus eſt felix: nam & hoc poteſt multum habere moleſtiæ: *num igitur* ait Cicero (*Tuſcul. qq. lib.* 5.) *ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offenſio ſapientem* (hoc eſt virum bonum, ut ſæpe dixi) *beatum eſſe prohibebit? Vide ne plus commendatio in vulgus, & hæc, quæ expetitur gloria, moleſtiæ habeat, quam voluptatis*: & hoc loco reprehendit Demoſthenem, *qui illo ſuſurro delectari ſe dicebat aquam ferentis mulierculæ, ut mos in Græcia eſt, inſuſurrantiſque alteri: hic eſt ille Demoſthenes.*

XXV. *At dolor eſſe videtur acerrimus virtuti adverſarius: is ardentes faces intentat* (*Tullius lib.* 5. *Tuſc. qq.*) *is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam ſe debilitaturum minatur*, & erepturum omnem hilaritatem: non tamen ita futurum eſt, ſi in conſtantem & bonum virum, quaſi in

Digitized by Google

ferreum atque æneum pectus incidat; frangetur enim, licet ſit natura violentior: quoniam qui inſtructus eſt præcellentium virtutum apparatu, ipſi irruenti objicit tanquam aggerem arcemque firmiſſimam, conſtantiam animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem conſuetudinemque patiendi, præcepta fortitudinis, duritiam virilem, & quod fortius eſt, & ſuperari omnino non poteſt, ſpem futuræ felicitatis ad quam perbrevi dolore aditus aperitur, divina promiſſa, exempla ſanctiſſimorum virorum, qui in graviſſimis tolerandis cruciatibus non modo fortes, ſed etiam læti & alacres extiterunt, & ipſius moderatoris noſtri Chriſti, quem ſequi cum glorioſum eſt, tum etiam jucundum, & dum corpus dolore cruciatur, animus exultabit, & geſtiet cæleſti ope potiſſimum confirmatus, & non modo dolorem non fugiet, ſed appetet vehementiorem: ſentiet quidem: neque enim ſtupet; ſed ita, ut velit ſentire, ideoque nec patietur invitus. Quî ergo in viro bono dolor eripiat hilaritatem? Cum potius augeat? Neque vero hæc inania ſunt dogmata Stoicorum, ſed & ſacrorum librorum auctoritate, & experientia apud Chriſtianos veriſſima. Plura dicerem, ſed ea in opportuniorem locum rejicio. Interim conſulite & Tullium (*lib.2. Tuſcul. qq. qui eſt de tolerando Dolore*) & Petrarcam (*lib.2. de Remedio utriuſque Fortunæ dial.*94. 95. 112. 113. *&* *præſertim* 114.)

XXVI. Ecquid eſt aliud, quod virum bonum e tranquillitatis ſtatu poſſit dejicere? Num exilium? At qua virtute præditus ille eſt, qui putet non poſſe ſe niſi in patria, & intra domeſticos parietes bene vivere? Socrates quærenti de patria reſpondit, ſe eſſe mundanum: *totius enim mundi ſe incolam, & civem arbitrabatur* (*Tullius lib.* 5. *Tuſcul. qq.*) *Patria eſt ubicumque eſt bene*, ait Teucius *apud eumdem Tullium* (*cit. loc.*) & ſæpe melius eſt apud exteros, quam apud cives: quid enim? Frequenter tui te contemnunt & aſpernantur; notum eſt id, quod Chriſtus dixit (*Lucæ* 4. 24.) tuæ famæ detrahunt, tibi invident, tua vituperant, & vel ea, quæ maxime laudanda videantur: exteri perhumaniter excipient veluti peregrinam mercem, quæ ſemper pluris æſtimatur, quam quæ domi naſcitur. Quod ſi habebis neminem, apud quem ſis, vel quocum vivas (quod fieri non poteſt: vir-

virtus enim amatur ab omnibus) præſto erit Deus viæ dux & comes. Deinde exilium, ſi rerum naturam quærimus, quantum demum a perpetua peregrinatione differt, in qua ætates ſuas philoſophi nobiliſſimi conſumpſerunt a Cicerone commemorati (*Tuſcul. qq. lib.* 5.) Mox exularunt non raro optimi; Hermodorus, quod inter alios excelleret, Ariſtides, quod præter modum eſſet juſtus (*Cicero cit. loc.*) & e noſtris Athanaſius, Joannes Chryſoſtomus, aliique plures. Poſtremo quanti illa civitas æſtimanda eſt, ex qua boni, ſapienteſque pellantur (*vide Petrarcam de Remed. utriuſque Fort. lib.* 2. *dialog.* 67.)

XXVII. Ne ſervitus quidem ipſa eſt boni viri jucunditati contraria: quippe qui ſcit brevi ſe in libertatem vindicatum iri, & quæ tolerat æquo animo, ea ſibi futura utilitati, & emolumento, & gloriæ ſempiternæ. Interdum etiam in ſervitute dominis imperat, eorumque ſibi benevolentiam conciliat probitate & prudentia. Joſephus (*Gen.* 41.) ac Tobias (*Tob. cap.* 1.) in ſervitutem addicti id conſecuti ſunt, quod nunquam liberi & domi ſuæ & in patria ſperare potuiſſent (*de ſervit. Petrarc. de Rem. utriuſque Fortunæ lib.* 2. *dial.* 7.)

XXVIII. In carcerem etiam conjectus vir bonus corpore quidem tenetur incluſus, ſed animo erumpit foras, terrena ſpernit omnino, cæleſtiaque contemplatur, & voluptate perfunditur, dormitque ſecurus, ut Petrus (*Act. cap.* 12.) & ſeſe conſolatur conſcientia benefactorum, ut Thomas Morus [*vide Sanderum de ſchiſmate Anglicano lib.* 1. *an.* 1535.] ut Severinus Boetius, cujus libellum in carcere ſcriptum de conſolatione philoſophiæ aureum quidem, ut perlegatis, vobis ſum auctor (*vide & præfat. in eundem lib. ſeu Boetii vitam*) ſurditas, cæcitas, aliaque, quæ mala dicuntur generis ejuſdem conſtantem innocentis hominis lætitiam non labefactant, ne alia perſequar (*vide Tullium Tuſcul. qq. lib.* 5.) & *Petrarcam de Rem. utriuſque Fort. lib.* 2. *dial.* 96. & 97. Unum addam hoc loco, bonos in rebus adverſis vivere multo pacatius, quam faciant mali in ſecundis. Hæc omnia ne ad philoſophicam quamdam oſtentationem dicta putatote: quoniam eſſe maxime vera, ſi virtus, quæ Chriſtianorum hominum propria eſt, altas in animo radices fixerit, & ra-

 tio-

tio & auctoritas & ſanctiſſimorum virorum quorum præclara geſta mandata ſunt literis, exempla convincunt.

XXIX. Neque vero bonorum lætitia, de qua hactenus dixi, elata eſt, geſtiens, exultans, immoderata, futilis, qualis eſt improborum & inſipientium; ſed modeſta, venerabilis, & compoſita: res ſevera eſt verum gaudium: *eſt enim pax & concordia animi* (*Seneca de Vita beata cap.* 3.) *& magnitudo cum manſuetudine* (*vide Lipſium Manud. ad Stoic. Phil. lib.* 3. *diſſ.* 5. *tom.* 4.) Quare, qui minus ſapiunt, quique ſpecie tantum moventur, ut pueri (ſunt autem plurimi fere ubique) ii bonos viros judicant triſtitiæ quaſi nube circumfuſos. Horum autem erit modeſta hilaritate, jociſque interdum ingenuis & liberalibus, & lepore, & urbanis ſalibus eam opinionem, quæ virtuti pernicioſa eſſe poteſt, ex vulgi mente depellere.

CAPUT XIII.

Animum in Virtutibus exercere an facile?

I. Virtutis præſtantia, utilitate, jucunditateque propoſita, ejus amore veſtros animos incendi atque inflammari non dubito; ſed vereor, ne quantum hinc rei dignitas, & fructus, & voluptas vos allicit ad potiundum, tantum inde labores difficultateſque deterreant; præſertim cum ſæpe exaudiantur eorum voces, qui virtutis domicilium eſſe ajunt in ſummo vertice collocatum; & ſic quidem virtutem extollunt, ut puſillis ac timidis ſpem illuc perveniendi eripere videantur, ut Heſiodus (*Opera & Dies lib.* 1. *v.* 287.)

At Regina gravi virtus ſudore paratur;
Eſt via difficilis, præceps, longa, aſpera ad illam.
Virtutem poſuere Dii ſudore parandam.

Et Ovidius (*lib.* 2. *de Ponto eleg.* 2.)

. . . . *Tendit in ardua virtus.*

Et

Et Saluſtius (*ad Cæſarem de Rep. ord.*) *ad virtutem una, & ardua via eſt*, ne alios perſequar.

II. Sed his oppono philoſophos magni nominis, quibus ſecus eſt viſum, & Senecam in primis: *nec ut quibuſdam dictum eſt*, inquit (*lib.2. de Ira cap.13.*) *arduum in virtutes, & aſperum iter eſt: plano adeuntur. Non vana vobis auctor rei venio: facilis eſt ad beatam vitam via*. Et multo ante Senecam Zeno [*in epiſt. ad Antigonum apud Laertium lib.7. cap.1 num.8*] *liberali ac nobili ingenio*, ait, *ſi adjiciatur modica exercitatio, neque deſit præceptoris copia, mature ad perfectam virtutis evadit frugem*. Et Cicero eos reſpuit omnino, qui virtutis difficultatem exaggerant: *neque enim ſunt*, ait (*in Lælio*) *iſti audiendi, qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt*: eademque ſententia eſt aliorum fere ſapientum; & illa quidem minime dubia, cum ſit divinæ auctoritati conſentanea (*Matth.11. 28. & 30. Prov.4. 11.*) atque adeo rationi: quod enim jucundum eſt, facile idem eſſe conveniat, neceſſe eſt: quoniam jucunda quæ ſunt, ea quærit appetitque natura, ut cibum, ut muſicen, ut odorum ſuavitates, ut alia id genus; quæ autem natura ab omnibus appetuntur, eadem ſunt ad conſequendum facilia; cum parens optima natura ſit, non injuſta ac crudelis noverca: atqui dixi capite ſuperiore, virtutem eſſe jucundam maxime, immo nuſquam, niſi in ea reperiri veram ac liquidam voluptatem (*lib.1. cap.4.*)

III. Ex quo aliud conſequitur, quod eſt comparandæ virtuti neceſſarium, id datum eſſe omnibus; ne propenſio in honeſtatem fruſtra tributa cuique videatur: iccirco in eam rem nihil neceſſarium eſt eorum, quæ pendent a temeritate fortunæ, & non ſunt in nobis ſita: non opus eſt divitiis, non generis claritate, & vetuſtate familiæ, non magiſtratu, non principatu & imperio, non longa peregrinatione terra marique, non amicorum præſidio: *non habet mittendos*, ait Seneca (*de Benef. lib.7 cap.3.*) *trans maria legatos, nec metanda in ripis hoſtilibus caſtra, non opportunis caſtellis diſponenda præſidia, non opus eſt legione, nec equeſtribus turmis*: immo hæc, aliaque hujus generis plerumque ſunt inimica virtuti, ut ſupra vidimus. Nec virtus requirit optimam corporis conſtitutionem, athletarum lacertos & robur & latera, nec egregiam ſtaturam, aut faciem.

IV.

Digitized by Google

IV. Quid ergo! neceſſaria ne ſit diuturna inſtitutio & diſciplina, in qua magnæ impenſæ ſint faciendæ? Ne id quidem: *brevis eſt inſtitutio vitæ honeſtæ*, ait Fabius (*lib.*12. (*Inſt. cap. ult.*) *beataque ſi credas: natura enim nos ad mentem optimam genuit*, & ad honeſtatem, deditque nobis igniculos & ſemina innata virtutum, quæ facile ſit excitare, *adeoque*, pergit Fabius, *diſcere meliora volentibus promptum eſt, ut vere intuenti mirum ſit illud magis, malos eſſe tam multos*. Itaque paratur virtus una voluntate: voluntas autem ineſt in omnibus, qui ſunt rationis participes, a natura data; ergo & bona voluntas data eſt omnibus: quod enim a natura tributum eſt, bonum eſt; quamquam improbitatis acceſſu effici malum poteſt. Ex quo conſequens eſt, cuique patere virtutem, ut eſt apud Senecam (*de Benef. lib.* 3. *cap.*18.) *Nulli* inquit, *præcluſa virtus eſt, omnibus patet, omnes admittit:* ergo qui eam adipiſci nequeat, ſi velit, certum eſt eſſe neminem.

V. Quapropter id verum, quod tradunt Stoici apud Galenum (*in libel. Quod animi mores, corporis temperamentum ſequuntur cap.*11.*tom.*1.) omnes homines ad virtutem comparandam aptos eſſe & idoneos; quod autem poſſunt omnes, id facile ſit oportet: nam ſi adoleſcentum greges, & puerorum, & ſenum, & feminarum, & eorum, qui melle & deliciis innutriti vixerint in ampla ac delicata domo, atque in affluentia fortunæ, id conſequuntur, ut ſint virtutis compotes; quis erit tam fracto ac puſillo animo, qui putet ad eandem pervenire ſibi difficile & arduum fore? Id inculcat Chryſoſtomus (*ſerm. de Virt. & Vit. tom.*5.) & proponit eorum exemplum, qui relicta patria & domo & copia divitiarum, & ſocietate parentum & amicorum, degunt in montibus, & fere nudi ætatem agunt, & nives, hyemalemque vim perferunt, & famem, & ſitim, & quamvis carnificinam ſubeunt parvo tecto concluſi, quaſi carcere; nec tamen hoc durum & aſperum putant vivendi genus, quæ ratio late patet, & valet in reliquos, a quibus ſancte acta eſt vita. Ex quo efficit Chryſoſtomus, virtutem comparari facile poſſe.

VI. Sed quid tandem eſt virtutem ſequi, niſi congruenter rationi vivere, & continere cupiditatem? Porro eam viam tenere, quam ratio præmonſtrat, tanto eſt facilius, quan-

Digitized by Google

quanto facilior navigatio pacato mari extra ſyrtes & ſcopulos, quam infeſto & ſcopuloſo, & fluctibus perturbato, qua de re infra dicam. Plana ſunt ea, quæ jubet ratio & natura: nemini nocendum, Deum colendum, parentes obſervandos, amicitiam non deſerendam, caritatem denique, qua ut nihil eſt jucundius, ita nihil facilius a quoque in ſe, in homines, in Deum eſſe retinendam; & ſi quando id jubere videatur, quod durum ſit, quale eſt cruciatus tolerare, & dolores, & mortem, tot hæc allevamentis emollit, quemadmodum ſupra dixi, ut omnis fere duritas, atque acerbitas depellatur.

VII. Quid quod multa ſunt conſentanea rationi, quæ ſine ullo labore effici poſſunt? Ecquis enim labor, ut ſcriptum eſt ab Jo: Chryſoſtomo [*hom.44. in. cap.12. Matth. tom. 2.*] non maledicere, non mentiri, non jurare, ab injuria abſtinere? adde ſilere, nemini invidere, nihil de aliena fama detrahere, & ſi qua ſunt alia ejus generis; cum potius laborioſum ſit ſecus facere?

VIII. An durum putamus perturbationum continere temeritatem? Sed hoc iis difficile, qui pecudes ſunt, qui belluæ, qui canes, qui urſi, qui lupi, qui leones, qui tygrides, qui ſues, aut qui ita ſe cupiditatibus dediderunt, ut earum ſervi nequiſſimi facti ſint nexu brutino; non qui homines ſunt ratione præditi tamquam domina ac regina, quæ pravis affectionibus, ut timidiſſimis ſervis imperet, earumque frangat audaciam.

IX. Nec quicquam eſt cauſæ, cur perverſitatis culpam conferas in naturam, quæ ſit ad vitia proclivior: nam videmus quam multos, qui naturam regunt, motuſque ratione moderantur, ut eſt apud Jo: Chryſoſtomum (*ſerm. de Virt. & Vit. tom.5.*) omneſque fugiunt illecebras, & ad veram gloriam incenſo animo feruntur. *Sed nos*, ut ait Cicero (*lib.5. Tuſcul. qq.*) *umbris, deliciis, otio, languore, deſidia animum infecimus, opinionibus, maloque more delinitum mollivimus.*

X. Cæterum conſuetudine virtutis officium evadit longe faciliimum: nam virtus, quippe quæ habitus eſt, facit, ut ea gerantur & prompte, & libenter, & facile, quæ ſunt honeſta; ex quo conſequens eſt viro bono, & virtutibus aſſue-

ſueto non arduum eſſe repugnare cupiditati: quoniam ad voluntatem, quæ honeſtum appetit, oditque contrarium, accedit cum natura, ut ſupra dixi, tum etiam conſuetudo, magnum quoddam adjumentum virtutis.

XI. Quod ſi pravæ conſuetudinis corruptela mentem naturamque vitiaverit, tunc initio quidem opus eſt contentione ac vi ad malum morem, qui inhæret in animo, radicitus evellendum; ſed paullo poſt ſentiet, qui enititur, pacata eſſe omnia, deletiſque hoſtibus, ſummopere gaudebit parta victoria tam brevi tempore, & ſumptu qui ſit ad fructum exiguus. Id expertus eſt Auguſtinus, qui cum turpi conſuetudine implicatus teneretur, ſublato impedimento cupiditatum, abjectiſque voluptatibus, quibus ſe carere vix poſſe arbitrabatur in omne poſterum vitæ tempus [*lib.8. Confeſſ. cap.*11. *tom.*1.] mox tam facile, alacriterque virtutem ſecutus eſt, ut brevi venerit ad faſtigium, & Deo plenus flagrare cœperit ſtudio, & amore rerum divinarum, a quibus abſtrahi nullo modo poſſet [*vide lib.*10. *Confeſſ. cap.8. & conſeqq.*]. In quam rem ait Lactantius (*lib.6. Divin. Inſt. cap.*3. *qui eſt de vero cultu*) virtutis viam *primo aditu eſſe & arduam, & confragoſam, in qua ſi quis, difficultate ſuperata, in ſummum ejus evaſerit, habere eum de cætero planum iter, lucidum, amœnumque campum, & omnes laborum ſuorum capere fructus uberes atque jucundos*: Et Heſiodus (*Opera & Dies lib.*1. *v.*289.)

> . . . . . . *Poſt quam jam ſtas in vertice ſummo,*
> *Tum facilis* [virtus] *tum ſit dulcis, licet ante moleſta.*

Sed quod maximum eſt, id eſt a me hactenus prætermiſſum: cum enim honeſtatem ſequimur, viæ dux eſt, & comes Deus: pollicetur hoc nobis: *ducam te*, inquit, *per ſemitas æquitatis* (*Prov.*4. 21.): ipſe idem nos imbecillos confirmat, jacentes erigit, a periculis tutos & incolumes ſervat; propulſat quicquid obſtat & impedit, inſinuat in animum robur quoddam, vimque divinam & firmitatem, & quod facimus, id nobiſcum facit. Hoc tanto præſidio ſepti aliquid ne difficile atque arduum eſſe, aut aſperum, aut durum poſſumus ſuſpicari? Quod Deo difficile non eſt, ne

ne nobis quidem, quibus ille præſto eſt: quare audio dicentem Paulum (*ad Philipp.* 4. 13.) *Omnia poſſum*. Quam multa, quam præclara, quam omnino incredibilia geſta ſunt a ſanctiſſimis viris facilitate mirabili? A Moyſe, ab Eliſeo, ab Jeremia, a Daniele, ab iis, quos apoſtolos nominamus, a Gregorio, ab Athanaſio, a Chryſoſtomo, a Carolo Borromæo, ab Ignatio, a Xaverio, a feminis etiam, Tereſia, Catharina Senenſi. Sed annus deficiet, ſi velim ſingulos memorare: ipſi vobiſcum recordamini.

XIII. Verum eſto cum labore conjuncta ſit exercitatio virtutum (nàm quæ eximia ſunt, non projicit natura ante pedes) quis tamen neget, multo facilius eſſe honeſte vivere, quam ſcelerate? Iccircoque, quamquam virrus non ſuapte natura, tamen facillima ſit judicanda, ſi cum vitio, improbitateque comparatur? Quam rationem præclare explicat Joannes Chryſoſtomus multis in locis [*Hom*.43. *in cap*.12. *Matth. in fin. tom*.2. *Hom*.12. *in cap*.7. *epiſt. ad Rom. tom*.4.) & præſertim (*Hom*.39. *in cap*.11. *Matth. tom*.2.) : eſt enim facilius injuriam oblivione conterere, quam ulciſci; amare ex præſcriptione charitatis, quam odia ſuſcipere, & rixas & diſcordias excitare; iracundiam continere, quam ea efferri & inflammari; nihil corporum forma ac pulchritudine permoveri, quam turpi amore tabeſcere; ſuis rebus contentum eſſe, quam avaritiæ æſtu agitari; uti manſuetudine, quam inflari ſuperbia; temperantiam ſervare, quam ex incontinentia, & ſtomachi cruditate in morbos incidere; aliorum ſecundis rebus gaudere, quam diſrumpi invidentia; eademque eſt, ratio reliquorum. Quis enim non videt quot, & quam gravia incommoda ab eo perferenda ſint, qui, contemptis virtutibus, ſequitur vitia contraria? Tot duriſſimos dominos, ac ſempiternos impoſitos cervici ſuæ, jubenteſque & multa, & ardua omnino, dies nocteſque ferat, neceſſe eſt infirmus ac ſolus, quot ſunt vitia, quibus implicatur; quod innuit Davides, cum ait (*Pſal*.37. *v*. 5.) ſe improbitatum, quaſi gravi pondere in caput incumbente, vehementer premi; & Chriſtus cum eos vocat ad ſe & invitat [*Matth*. 11. *v*.28.] qui labore & onere conficiuntur, ut afflictos reficiat ac recreet. Quo efficitur, id proprium eſſe virtutis (quamquam & hæc difficultatem ali-

K quam

Digitized by Google

quam habere videatur, ex quo Chriſti lex jugum eſt dictum) hominum mentes reficere & recreare; at vitii profligare ac proſternere, ideoque torquere maxime.

XIV. Hoc autem inde etiam licet cognoſcere, quod refrenari cupiditates, ut paullo ante dixi, & facile eſt, & fieri poteſt, ſed eaſdem expleri, fieri omnino non poteſt; quod quidem ii ſentiunt, qui experti ſunt. Quapropter jure dicuntur eſſe ignis ſimillimæ, cujus vis & impetus pabulo non remittitur, ſed augetur, fitque vehementior. Semper id a te flagitant, quod non habes; nihil eo contentæ, quod acceperint, & inſtant & urgent. *Filiam quis habet? ait* Cicero (*Parad. ult.*) *pecunia eſt opus; duas? majore? plures? majore etiam; & ſi, ut ajunt, Danai quinquaginta ſint filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam . . . . . Qui igitur non filias plures, ſed innumerabiles cupiditates habet, quæ brevi tempore maximas copias exhaurire poſſint*, quo pacto eas expleat & ſatiet? Nec vero quiſquam eſt, qui egeſtati ſubveniat, idque ſuppeditet, quod deeſt. Ex quo conſequens eſt, Chriſti legem, qua jubemur cupiditatibus repugnare (*Matth.* 16. 24.) eſſe pleniſſimam cum ſapientiæ, tum humanitatis.

XV. Deinde qui turpiter, improbeque vivit, is eat ſemper neceſſe eſt adverſus naturæ & rationis impetum, quæ a vitiis eum revocat & abducit, ſtimuliſque fodit & cruentat, ut deſinat oblique ferri, & recta pergat. Vix autem dici poteſt, quantum perferat laboris & incommodorum, ut contra poſſit obniti. Deo etiam obſiſtendum eſt id jubenti, quod eſt honeſtum, & minitanti cum pœnam in terris, cum poſt obitum ſempiternam. Occurrunt ſimiliter leges, & juſſa populorum, propoſito ſupplicii metu ſecus facienti. Adverſus hunc oportet rurſus armare temeritatem; quemadmodum & adverſus infamiam ac turpitudinem, quæ ex peccato conſequitur. Tandem ſuperbo homini, avaro, intemperanti, iracundo, invido tot, tam graves, tam perpetui exantlandi ſunt labores, ut mirum ſit, eſſe aliquem, qui non omnino eorum acerbitate conficiatur. Hoc fatentur illi ipſi, qui peccant, & præſertim cum eo devenerint, ut inſaniam corrigere & emendare non poſſint. [*Sap. cap.* 5. *v.* 7.]

XVI. Placet alia ratio, quæ fere eſt Boetii [*de Conſolat. Phil. lib.* 4. *proſ.* 2.] hauſta ex fontibus philoſophiæ magiſtræ

ſtræ morum & diſciplinæ: duos eſſe finge, quibus idem ſecundum naturam propoſitum ſit, & alter quidem id naturali officio & virtute perficiat, alter vero alio modo, quam naturæ convenit, ipſum idem velit exequi. V. C. ambulatio ſecundum naturam eſt; ejuſque rei pedum officium naturale; ſi quis igitur incedens pedibus ambulet, alter autem nitens & reptans manibus conetur ambulare; utri magis laborandum eſſe decernis? Jam vero omnes contendunt ad felicitatem, quæ probis æque, ac improbis propoſita eſt; boni quidem naturali officio virtutum; improbi autem vario apparatu cupiditatum, qui naturale officium minime eſt adipiſcendæ felicitatis. Horum ergo quinam graviorem moleſtiam laboremque perferent? nonne improbi? Quorum præterea contentio erit eo etiam laborioſior, quod nunquam id conſequentur, quod volunt.

XVII. Quæ cum ita ſint, quid cauſæ eſſe dicam, cur virtus tam multis inviſa ſit; cum tamen quæ præclara ſunt, quæ jucunda, quæ utilia, quæ tandem bonum continent omne, præſertim accedente ipſa eadem conſequendi facilitate, ab omnibus appetantur ſuapte natura? Hoc equidem in nullam aliam cauſam arbitror referendum, niſi in ſummam inſcitiam, atque inſaniam ſingularem; ita qui bonus, idem ſapiens; qui malus, is ſtultus omnino. Quamobrem infinitus numerus, ut a Salomone ſcriptum eſt (*Eccleſiaſtes cap. I. v. 15.*) inſipientum. Vos ſapite in tanta eorum multitudine, qui deſipiunt: veſtris commodis ac fortunis, veſtræ famæ, dignitati, vitæ, virtute ac præclare factis, quæ in veſtra ſunt poteſtate, conſulite. Quapropter velim, ea, quæ dixi, veſtris mentibus ita inhæreſcant, ut nulla oblivione deleantur. De virtute generatim hactenus; nunc de vitio.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Quid ſit Vitium.

I. UT virtuti, ita vitio non una ſubjecta vis eſt & poteſtas: cernitur enim vitium cum in arte & natura, tum in moribus: in arte, ut cum ait Cicero (*de Orat. lib.* 3.) *In quo illud eſt vel maximum, quod verſus in oratione, ſi efficitur conjunctione verborum, vitium eſt;* in natura, ut idem uſurpat (*de Offic. lib.* 3.) *venditorem ejus rei, quam vendat, vitia narrare.* Ut vero ad mores refertur, eſt *habitus* (ſic enim placet definire) *ſponte ſuſceptus, ad ea inclinans voluntatem, quæ ſunt contraria rationi.*

II. Cum vitium ſit habitus; conſtet autem, hunc conſuetudine comparari, conſequens eſt, vitium effici eodem modo. Itaque qui ſecus faciunt, ac poſtulat rerum contractarum fides, fortitudo, temperantia, injuſti, timidi ac intemperantes efficiuntur, *atque, ut uno verbo finiam,* ait Ariſtoteles (*lib.* 2. *Ethic. cap.* 1.) *ex ſui ſimilibus actionibus omnes habitus oriuntur.* Quamvis autem perverſa & turpis actio una vitium non eſt, ex quo vitioſus dici non poteſt is, qui ſemel peccat; tamen quælibet actio ad habitum efficiendum confert, qui eo confirmatur & augetur magis, quo major eſt actionum frequentia, & contentio, & conſuetudo diuturnior. Porro conſuetudo facilius in vitio cernitur propter imbecillitatem improbitatemque naturæ, quam in virtute, quippe quæ puſillis animis ardua videtur eſſe, & inimica voluptati.

III. Solent autem vitii, pravæque conſuetudinis initia eſſe perquam exigua; cum fere, quod in natura, idem contingat in moribus: ut enim pervetuſta & dura quercus & late patens ex parvo ſemine, ut magna flumina ex rivulo, ut ex tenui ſcintilla incendia, quibus domus urbeſque conflagrant, ut ex pervadente paulatim in navim guttula naufragium; ita immenſa vitia, altique gurgites pravarum conſuetudinum a parvo principio proficiſcuntur. Eo creſcit ſæpe

pe amor glorilolæ remiſſior, pecuniæ, voluptatis, ut ſenſim inſolens quædam evadat ſuperbia & ambitio, turpis avaritia ac libido, & intemperantia ſingularis, ex quibus maxima perturbatio ſequitur, & ſumma confuſio. A ſolutiore riſu fortaſſe cœpit is, qui impudentiſſimus eſt; & a levi ac feſtiva linguæ procacitate, qui maledicendi, aliiſque obtrectandi conſuetudine tenetur adſtrictus. Amani ſuperbia (*vid. lib. Eſther.*) Saulis (*vide lib 1. Reg. cap. 18. & conſeq.*) ac Caini (*Gen. 4.*) invidentia; Judæ avaritia (*Matth. 26.*) primum vix apparebant, ſed deinde factæ ſunt progreſſione maximæ. Hac via, hoc eſt, paulatim gignitur conſuetudo vitiorum: qui enim repente ad ſummam veniat improbitatem, videmus fere eſſe neminem; cum ſit in noſtris animis quædam inſita verecundia, & honeſtas innata, quam ſubito exuere non poſſumus, foraſque projicere, ut præclare ſcriptum eſt a Chryſoſtomo (*Hom. 87. in cap. 27. Matth. tom. 2.*)

IV. Omnis igitur adhibenda diligentia eſt, ut ſi quæ vitia innaſci cœperint, funditus elidantur: quamquam enim parva ſint in ſeſe (ſi parvum dici poteſt id, cum quo nullum aut corporis, aut fortunæ malum eſt comparandum) nihilominus ſunt quaſi ſemen ac radix, quæ latiſſime propagatur, niſi latentes malæ ſtirpis fibras evelleris. In hanc rem ait Nazianzenus [*vid. in Tetraſtichis.*]

Ob idque noxam quamlibet parvam fuge:
Nam parva primum ſit licet, creſcit tamen.

Paradoxon videtur illud Chryſoſtomi (*cit. loc.*) quamquam eſt idem veriſſimum, interdum non tanto ſtudio videri peccata eſſe vitanda graviora, quanto leviora ac parva: illa enim, ut ratio & voluntas abhorreat, vis ipſa efficit ac natura peccati; hæc autem, eo quod parva ſint, negliguntur: quare maxima ſolent effici indiligentia & incuria: Illuſtre hujus rei exemplum ponit Petavius (*Theol. Dogm. tom. 4. lib. 5. de Pœnit. cap. 3. num. 6.*) in generoſo equo, qui glebam, aut ſaxum ſi offendit, illico excitatur admoto ſtimulo, & majori impetu atque alacritate curſum abſolvit; ſic magnus quidam lapſus animum interdum ita concutit, ut inflammet ad id alacrius ſequendum, quod honeſtum eſt: contra accidit,

dit, cum lapſus eſt levior: neque enim animus permovetur; ex quo gradatim eo pervenit, ut conſuetudine prius teneatur, quam ſuſpicatus ſit, quidquam tale ex negligentia conſecuturum. Quod quidem eo conſilio dictum eſt, ut cum grave peccatum quodlibet, & vitium maxime cavendum ſit, quiſque ſibi in animum inducat, non eſſe parum curanda, & pro nihilo ducenda leviora.

V. In id vero plurimum operæ & ſtudii ponant cum omnes, tum præſertim adoleſcentes, qui, cum eſſe ſoleant rerum imperiti, non putant unquam fore, ut ſi quando in levia labantur, perverſæ conſuetudinis, graviorumque vitiorum corruptela infici & contaminari, immo quaſi vinculo conſtringi facile poſſint. Secus ac cenſent ſapientes, qui idcirco recte præcipiunt, oportere a teneris animis non modo ramos amputare vitiorum, ſed etiam radicum fibras evellere, & opus eſſe ſolertia ad ea tollenda, quæ in poſterum multo magis nocitura videantur.

VI. Dixi hactenus quid ſit, vitium habitu contineri, & quod ſit perverſi habitus initium, quæve progreſſio. Sunt autem aperta conſequentia, quibus vitii definitio comprehenſa eſt: conſtat enim, pravum habitum ſponte ſuſcipi, ac eſſe voluntarium; quippe quem efficit actio; hæc autem in nobis eſt ſita; ergo & pravus habitus, ſeu vitium ſitum eſt in nobis. Conficit hoc Ariſtoteles [*lib.3. Ethic. cap.5.*] contra nonnullos, quibus ea tempeſtate eſt viſum, virtutes eſſe quidem voluntarias; at vitia non ita, & neminem ſua ſponte eſſe improbum, quod ait Plato (*Dialog.5. & 9. de Leg. & in Protagora*). Hujus autem ſententiæ quaſi fundamenta cognoſcite. Primum quod voluntaria non eſt ægritudo corporum; itaque nec animorum, quæ eſt multo deterior. Deinde nemo malum quærit, ſed omnia omnes appetunt boni cauſa; ergo nemo eſt qui ſponte ſit malus; velut avarus, non vult ille quidem improbitatem, ſed pecuniam & opes commoditatis gratia. Mox quæ vel inſcitia, vel cupiditate & imbecillitate naturæ geruntur, vel conſuetudine & more, ea non ſponte geruntur; ex quorum genere ſunt peccata.

VII. Hanc ſententiam falſam omnino, & maxime pernicioſam refellit Ariſtoteles (*cit. loc.*) & vitia noſtræ eſſe voluntatis teſtes appellat & privatim ſingulos, & publice legiſlato-

to-

tores, *qui ſumunt ſupplicium de iis omnibus, qui flagitia admittunt, nec vi, nec imprudentia, quæ non ipſorum culpa eveneriſt: bonores autem decernunt iis, qui præclara facinora faciunt, ut illos deterreant, hos adhortentur: atqui nemo quemquam ad ea omnia gerenda hortatur, quæ nec ſunt in noſtra poteſtate, nec ſunt noſtræ voluntatis: quod nihil attinet inducere animum, vel caleſcere, vel dolere, vel eſurire, vel aliud quidvis ejuſdem generis: quia nihilominus ea perferemus*. Sed non eſt neceſſe plura dicere: nam de libertate ſatis diſputatum eſt alio loco (*lib.*2. *cap.*8.)& res eſt minime dubia: quoniam noſtri eſſe arbitrii facere, aut non facere, ipſi nos conſcii ſumus.

VIII. Eſt autem falſum, quod aſſumitur, eſſe ægritudines morboſque animorum, ut corporis: principium enim morborum, quibus corpora conflictantur, non eſt in nobis ſitum; cum perturbari ea poſſint, ex quibus pendet valetudo, invita voluntate: at actiones, quæ nocent animi ſanitati, in noſtra ſunt poteſtate, eaque appetuntur a nobis, quæ turpia ſunt, propterea quod jucunditatis, aut emolumenti aliquid habere videantur: quamquam interdum etiam morbi corporum ſunt voluntarii, & ſponte ſuſcipiuntur, ut ab iis, qui mollius vivunt, & diſſolutius, & utuntur compotationibus, aliiſque generis ejuſdem, ut ſcribit Ariſtoteles (*lib.*3. *Ethic. cap.* 5.)

IX. Illud levius, quod nemo malum quærit, ſed bonum; quaſi qui poculum bibit, quia dulce eſt, cum tamen ſciat, idem eſſe exitiale, is non ſponte venenum bibat: itaque qui vult id, quo fit improbus, aſciſcit id quidem quod videtur jucundum, vel utile; at ſponte etiam improbitatem, illud quidem in ſeſe, hanc vero ut connexam: quoniam *hoc alienum, abſurdumque ſit*, ait Ariſtoteles (*lib.*3. *Ethic. cap.*5.) *eum, qui faciat injuriam, nolle injuſtum effici, & qui intemperate vivat, intemperantem: atqui ſi quis non imprudens geret ea, ex quibus injuſtus naſcatur, profecto voluntate ſua efficiatur injuſtus*.

X. Poſtremo conſuetudo, cupiditas, imbecillitaſque naturæ non cogunt, ſed invitant & alliciunt voluntatem; eodemque modo violenta non ſunt, ſed voluntaria, quæ imprudentia geruntur, niſi hæc ejus generis ſit, quæ neque-

at

Digitized by Google

at repelli: *etenim erroris, & imprudentiæ cauſa*, ut ſcribit Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap.5.*) *in eo vindicatur, qui ſua culpa neſcierit: ut in vinolentos duplex pœna conſtituta eſt; propterea quod principium in eis ſitum ſit: eſt enim in eis ſitum, ut ne vino obruantur; quod quidem cauſa eſt imprudentiæ*. In hanc rem plura ſcribunt & Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap.5.*) & Joſephus Aguir (*in Ethic. Ariſtotelis lib.3. cap.5.*) & Piccolomineus (*in Philoſoph. de Moribus grad.3. cap.18. & 19.*) & Giphanius [*comm. in eum Ariſt. locum*]

XI. Cæterum ſecus exiſtimaſſe Platonem, ne ſuſpicor quidem: nam is, præterquamquod erraſſet in re certa contra civilem morum diſciplinam, cujus erat percupidus, contra rationem, atque adeo contra communem hominum exiſtimationem ac ſenſum, qui eſt lex quædam naturæ, ut pulchre Cicero [*lib.1. Tuſcul. qq.*]; non conſtaret ipſe ſecum: multis enim in locis, & præſertim in Gorgia, & Axioco ait, ab improbis poſt mortem graviſſimos tolerari cruciatus: eſt autem non modo ſapienti philoſopho, ſed cuique compertum, pœna non mulctari, niſi vitia, quæ ſint voluntaria; & [*Dialog.5. de Legibus*] cum ſcribit infidum eſſe, qui ſponte mentitur: ait igitur, neminem ſua ſponte eſſe improbum, quia nemo eſt, qui malum appetat, cum ſit bonum propoſitum voluntati: quiſque autem invitus malum ſuſcipit: neque enim illud optat per ſeſe, ſed ut bonum videtur eſſe, ut ſupra vidimus (*lib.1. cap.8.*) Quamobrem Plato defenditur etiam a Piccolomineo (*in Philoſoph. de mor. grad.3. cap.20.*)

XII. Vitium eſſe docui habitum ſponte ſuſceptum; quæ quidem cadunt etiam cum in virtutes, tum in artes & diſciplinas: ideoque ſunt quaſi genus. In hoc autem vitium differt a reliquis, quod inclinet ad ea voluntatem, quæ ſunt rationi contraria. Hæc porro dicuntur peccata, quæ, ut vitia, ſpectantur in moribus, non in arte & natura: nam dicimus interdum, artifices adverſus artem multa peccaſſe, & monſtra ab Ariſtotele [*tom.2. lib.2. Phyſ. text.82.*] nominantur peccata naturæ; at peccatum, quod in mores influit, eſt actio repugnans legi ſempiternæ, & a vitio diſcrepat, proptereaquod hoc in habitibus poſitum eſt virtuti contrariis; illud vero actionibus continetur. Nunc videamus, quæ ſint quaſi ſumma capita peccatorum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Peccatorum partitio.

I. QUæ a vitio exiſtunt actiones, peccata dicuntur, ut vidimus. Hæc autem ſunt in multiplici genere conſtituta. Omnium primum illud eſt, quod ab auctore Adamo profectum ad omne pertinet genus humanum: in quo autem poſitum ſit, aut quo pacto univerſam contaminet impura quadam lue poſteritatem, theologorum eſt diſputare. Inde magna exiſtit rerum ignoratio, & ad ardua & præclara ſuſcipienda ac perficienda, imbecillitas infirmitaſque animorum, cui neceſſe eſt ſubvenire, adſcito divino præſidio. Aliud eſt, quo quiſque ſe inquinat mentis inductione voluntaria; quod quidem, cum perficitur, actio eſt legi contraria, cum perſeverat, habitus inſtar dicitur obtinere. Quamquam vitium non eſt, niſi more & conſuetudine confirmatur.

II. Interdum autem peccatum in actione cernitur legi contraria; interdum in prætermiſſione ejus actionis, quæ jure præcepta eſt; illud vetanti legi repugnat, hoc jubenti. Rurſus aut voluntate tantum, aut ſermone, aut facto peccatur. Odium V.C. invidentia, ſuperbia peccata ſunt rationis & voluntatis; mendacium, perjurium, maledictum in verbis ſita ſunt; latrocinia, rapinæ, maleficia facto abſolvuntur. Mox ſunt peccata, quæ corporis, ut intemperantia in cibo & potu, ſunt; quæ mentis inordinata perverſaque delectatione continentur, ut ſuperbia, ut ambitio.

III. Deinde peccare quis poteſt in Deum, in homines, quibuſcum vivit, & ipſe in ſe: in Deum quidem, cum aliquid facit virtutibus, quæ in Deo verſantur, repugnans, ut religioni; in homines, cum quidquam gerit virtutibus adverſarium, quibus homines inter ſe communi quaſi vinculo copulantur, ut juſtitiæ; in ſe, cum virtutes repellit, quibus ſunt continendæ cupiditates, ac regendæ pravæ affectiones animorum, ut temperantiam. Cave tamen putes, ſingula peccata non eſſe contra Deum, hominemque peccantem (cum

illi injuriam, huic autem detrimentum inferant, magnamque perniciem) & quæ contra Deum ſunt, aut illum ipſum, qui delinquit, non poſſe etiam hominibus nocere: quoniam ea partitio ducitur a re objecta, in quam directo, & primario loco, ac præcipue peccatur, non ex conſequentia, ex conſectario & connexo. Qui V. C. detrahit alienæ famæ ac dignitati, directo peccat in hominem, at in ſe quoque ex connexo, & in Deum. Quo exemplo ad alia uti licet generis ejuſdem.

IV. Præterea peccata quædam propria dicuntur, hoc eſt, cum per ſe quiſque peccat; quædam aliena, cum etſi peccat alius, nobis tamen culpæ tribuuntur, cum quippe juſſu, patrocinio, adulatione, conſilio, adhortatione, exemplo inducimus ad peccandum, vel a ſcelere non avocamus cum poſſumus, ac debemus.

V. Tandem celeberrima eſt peccatorum partitio in ſeptem, quæ capitalia nominantur, quoniam ſunt quaſi principium & fons, ex quo omnis manat aliorum ſcelerum peſtis & lues: ſunt autem ſuperbia, quæ tenet principatum, avaritia, incontinentia in iis, quæ ſunt caſtitati contraria, iracundia, intemperantia in cibis & potu, invidentia, deſidia, qua a rectis ſtudiis, ac rebus divinis animus impeditur, & a Græcis dicta eſt ἀκηδία.

VI. Porro peccata, de quibus dixi hactenus, aut gravia ſunt, aut levia. Illa a Dei amicitia hominem alienant, & ſupplicio digna ſunt ſempiterno; hæc autem non ita. Horum quæcumque ſint, alia ex ignoratione voluntaria & ſponte ſuſcepta, alia ex infirmitate, alia ex improbitate naſcuntur. Quænam ſint ea, quæ geruntur ignoratione voluntaria, ſupra dixi (*lib.*2. *cap.*5.) Infirmitatis autem ſunt, quæ fiunt, impellente cupiditate; malitiæ tandem, ac improbitatis peccatum eſt, cum quis delinquit prudens & ſciens propter flagitioſam voluntatem, nulla animi perturbatione incitatus. Hæc quæſtio a me multo eſt uberius pertractata in Theologia, quæ eſt de moribus (*lib.*3. *cap.*2. 3. *& conſeqq.*)

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Quo pacto turpis actio Vitium efficiat; tum quî fiat, Vitium ipſum remitti, aut interire.

I. QUoniam ut virtus, ita vitium habitu continetur quaſi genere utrique communi; turpis actio vitii futura eſt procreatrix & parens eodem modo, quo honeſta virtutis. Itaque turpe factum videtur jucundum, aut fructuoſum, ut avaro male parta pecunia, ut intemperanti menſæ vetere vino, & conquiſitiſſimis epulis extructæ, ut ultio iracundo, ut aliis alia vitia. Hæ quidem utilitates, voluptateſve nullæ reipſa ſunt; ſpeciem tamen offerunt, qua dementium infinita multitudo fallitur ac tenetur. Si quis autem pergat dare operam malefactis, ac vitio indulgere, altius in mente inſidet notio ejus, quod utile ac jucundum apparet, impreſſa quædam: nam pulſu eorum, qui in nervis incluſi ſpiritus nuncupantur, & ad cerebrum veniunt celeritate mirabili, viſum objectum in eo imprimitur, & quaſi ſignatur, & animo cernendum objicitur, ut in libris metaphyſicorum explicatum puto (*lib.2. part.3 cap.7.*) neque enim ſine idea, ut Plato appellat, quam nos recte ſpeciem, notionemve poſſumus dicere, quicquam geri poteſt turpiter, aut indecore.

II. Cum vero actionum frequentia ac diuturno more, ejus jucunditatis ac fructus, qui ex flagitiis naſci videtur, imago ac forma acriter mentem perculit, ipſique inhæret & obverſatur, in eamdem creſcit voluntatis proclivitas & contentio; ex quo exiſtit vitioſitas, ſeu turpis habitus, & inconſtans in omni vita, & confirmatur & creſcit uſu vitiorum, eoque pervenit aliquando, ut vix, & fortaſſe ne vix quidem repelli, & contineri poſſit, ut infra dicam (*cap. ſeq.*): quoniam magna vi in ea fertur voluntas, quæ jucunda eſſe, & ad vitæ uſum commoditatemque conferre videan-

deantur: ſolet autem habitus vehementior eſſe vitiorum, quam virtutum; nam fere vitia ſenſus afficiunt, at virtus non ita: quæ autem ſubjecta ſunt ſenſibus, quam quæ mente intelligentiaque comprehenſa, his acrius rudiores animi permoventur: eam ob rem ſunt improbi & flagitioſi quamplurimi.

III. Ex quo primum poteſt intelligi, cur ex turpi cogitato delectationem capere vetet jus divinum, & ipſa natura: hoc enim cum animum per ſeſe inficit & contaminat, tum etiam ſtimulat & impellit ad malefacta: propterea quod falſæ utilitatis voluptatiſque ſpeciem, quæ ſponte in mente retinetur, conſequitur appetitio; hanc autem opus, niſi quid impediat & obſtet. Rurſus poteſt intelligi, cur turpis rei aut utilis, aut jucundæ præſentia vehementer excitet ad peccandum, videlicet in ſenſus primum, tum in phantaſiam, ut Græci vocant, & in mentem imprimit ſpeciem ſuam: oblatam extrinſecus impulſionem, ac viſum objectum animus cernit & intuetur, immemor fere eorum, quæ ſunt honeſta; inhæret enim defixus in cogitatione ejus rei, quæ fortius perculit phantaſiam. Hanc vero magnopere afficiunt etiam obſcena verba, & pravitatis exempla, quæ idcirco ad vitioſum habitum vel efficiendum, vel confirmandum, vel augendum magnam vim habent.

IV. Quæ cum ita ſint, ad vitium debilitandum, aut penitus repellendum conſiderare oportet attentius, & pro certo habere, nullam in ſcelere ac vitio ineſſe utilitatem, nullum fructum, nullum emolumentum, nullam omnino voluptatem; exprimereque in animo vitii notionem detrimento ac dolore ſtipatam & circumſeptam: ita enim fit, ut quod tale eſt, id voluntas non appetat, ſed fugiat. Ex eo plurimum pendet vitiorum expulſio: nam paulatim deleta forma, ſpecie ac notione ejus voluptatis ac fructus, quem ſtulti a ſcelere & turpitudine naſci putant, tolli etiam ac deleri vitſoſum habitum neceſſe eſt. Tum abſtinendum a malefactis, atque ab eorum cogitatione eſt animus avocandus, ne rurſus in animo forma, quæ cœpit obliterari, excitetur. Poſtremo in virtutum, quæ vitio repugnant, exercitatione verſari oportet, earumque imaginem inſculpere in phantaſiam: conſtat enim, vitium tolli virtute contraria, & unam

unam ſpeciem, alterius ei repugnantis acceſſione obrui. Quo efficitur, vitium remitti, aut plane ex animo evelli conſideratione incommodorum & moleſtiarum, quæ ejus ſunt perpetuæ comites, & deſuetudine ceſſatione a malefacto, & virtute contraria.

CAPUT XVII.

Quæ ſit vis pravæ conſuetudinis, ac Vitiorum.

I. AD hanc quæſtionem me impulit Ariſtoteles, qui [*lib.3. Ethic. cap.5.*] initia vitiorum ait eſſe in nobis ſita: poſſumus enim non immoderate & injuſte facere, ut dixi; ſed a vitiis, poſteaquam ea ſuſcepta ſunt, declinare, aſſerit non licere: *nec ſi velit quidem*, inquit, *cohibere ſe poſſit, aut injuſtus eſſe deſinat, fiatque juſtus;* & exemplum ponit in morbis, ac lapide, quem projeceris. Itaque pergit: *quoniam ne ægrotus quidem valens & incolumis cum velit; etiamſi ita acciderit, ut ſponte & voluntate ſua ægrotaret, quia & libidinoſe viveret, nec medicis crederet. Ac tum illi quidem licebat morbum declinare; at poſteaquam ſe præcipitaverit & projecerit in morbum, jam non licet. Ut is, qui lapidem jaculatus eſt, non poteſt jam revocare, nec ſuſtinere jactum; quamquam eſſet antea in ejus poteſtate, ne jacularetur, cum in ipſo ſitum eſſet principium. Sic injuſtis, ac libidinoſis initio ab his vitiis declinare licuit; propterea quod in eorum erat poteſtate; at poſteaquam ejuſmodi extiterunt, jam non licet.*

II. Quibus tamen effici non vult Ariſtoteles, vitia non eſſe voluntaria, at potius ſecus; quoniam cum eorum ſita ſint in nobis initia, eadem jure culpantur: quæ autem culpantur, ea ſunt voluntaria: *nam quæ a natura hominibus tributæ ſunt deformitates*, inquit, *eas nemo vituperat: at quæ injuria & negligentia ſuſcipiuntur, omnes dantur vitio. Eadem eſt infirmitatis ratio, deformitatis, & debilitationis membrorum: nemo enim cæcitatem ei, qui a natura privatus eſt oculis, aut morbo, aut vulnere, ut probrum objicit, ſed miſeri-*

Digitized by Google

vicordia potius commovetur; *cui autem ex vinolentia, aut alia intemperantia hoc evenerit, hic culpatur ab omnibus. Quæ ergo vitia corporis in noſtra ſunt poteſtate, culpantur; quæ non ſunt, non item. Quod ſi ita eſt, in cæteris etiam omnibus, quæ crimini dantur vitia, ea in noſtra ſint poteſtate, neceſſe eſt:* ſed hoc ita; quia poterant non ſuſcipi, non quod ea liceat abjicere jam ſuſcepta.

III. Verum quod ſumit Ariſtoteles, non eſſe in noſtra poteſtate, inveteratum diuturna conſuetudine vitium deponere, non eſt rationi conſentaneum; niſi velit id, quamquam fieri poteſt, eſſe tamen perarduum, ut interpretatur Joſephus Aguir (*in Ethic. Ariſtotelis lib. 3. cap. 5. num. 6.*) ſeu neget, a vitio, quod animo adhæreſcit, ſubito tranſitum iri ad virtutem. Similitudines autem ex lapide, & morbis ſumptæ non omni ex parte appoſitæ aptæque ſunt ad vitium, ſed tantum ex aliqua, quod fieri ſolet: ita, ut quod in poſitis exemplis fieri non poteſt, ſit idem in vitio difficillimum: quomodo & illud forte uſurpatum eſt a Giphanio (*Comm. in eum locum Ariſtotelis*) cum ait: *Ignem accendere ſi quis nolit, poteſt: ſubjecta jam face, quominus ardeat, non peræque in ejus eſt poteſtate;* & rurſus id ſcriptum a Cicerone (*lib. 4. Tuſcul. qq.*) *qui modum igitur vitio quærit, ſimiliter faciat, ut ſi poſſe putet, eum, qui ſe a Leucade præcipitarit, ſuſtinere ſe cum velit*: quibus ſignificatur difficultas repellendorum vitiorum, quam quidem maximam eſſe, cum conſuetudine & habitu obfirmata ſunt, nemo dubitat.

IV. Nam primum difficillimum eſt repugnare naturæ: ſiquidem qui eſt ita conſtitutus, ut in iracundiam propendeat, in odium, in voluptates; qui a natura habet, ut gloriæ divitiarumque ſtudio teneatur, vix poteſt continere cupiditatem. Prudentia quidem, ac virtus naturæ propenſionem, proclivitatemque corrigit & emendat; non tamen mutat omnino, evertitque funditus: *nulla enim ſapientia*, inquit Seneca (*epiſt. 11.*) *naturalia corporis, aut animi vitia ponuntur: quicquid infixum & ingenitum eſt, lenitur arte, non vincitur;* ex quo extat illud Horatii (*epiſtol. lib. 1. epiſt. 10.*)

Naturam expellas furca; tamen uſque recurret.

V.

V. Quid vero ſi ad naturam, quæ, ut dixi, magnum habet ex ſeſe quoddam momentum ad inclinandum voluntatem, accedat grave pondus firmæ vetuſtæque conſuetudinis, quæ eſt quaſi altera natura, ut cenſent ſapientes? Vinci ne poſſit, quod cum ipſum per ſeſe fere invictum ſit, factum eſt firmitatis, ac virium acceſſione robuſtius? Non credo equidem: quamobrem fere omnium, qui non modo literarum, ſed etiam virtutum gloria, & rerum uſu floruerunt, eſt una ſententia, ex prava conſuetudine quamdam effici peccandi neceſſitatem: non illam quidem, quæ compellit ad malefacta, ſed quæ talis eſt, cui reſiſtere ſit difficillimum. Ita vero ea nectunt, quæ huc pertinent, ut quaſi catenam conficiant ex multis, ponantque primum perverſam voluntatem, ex qua exiſtat libido potiundi, cui adjungunt conſuetudinem; huic vero neceſſitatem, cujus eſt illa procreatrix; neceſſitati copulata eſt deſperatio, cui adhæret poſtremo calamitas ſempiterna. Hac catena conſtrictus improbus ſervit turpiſſimam ſervitutem, & ſentit ipſemet, ita duros eſſe laqueos pravæ conſuetudinis, ut ab illis ſeſe nullo modo queat expedire, inducaturque ad peccandum, etiam nullo emolumento, nullaque interdum illecebra voluptatis. Ex quo conſequens eſt, eamdem conſuetudinem permanere plerumque in omne poſterum tempus, & ab adoleſcentia progredi in ultimam ſenectutem, & cum vitioſi hominis oſſibus & medullis, quibus infixa eſt, in ſepulcro quieſcere, quod præclare ait Jobus (*cap.20. v.11.*)

VI. Deinde non tantum animo catenas injicit prava conſuetudo, ſed & affert miſeram cæcitatem: cum enim cujuſque peccati ſit mentis aciem, ut ita dicam, perſtringere, multa, ex quibus conſuetudo effecta eſt, quot, & quam graves tenebras, & quam tetras, quantamque caliginem ſunt allatura? At non modo tenebras menti offundit vitioſitas, verum & oculos eruit, extrahitque radicitus, ut ſcriptum eſt a Chryſoſtomo (*Hom. in Pſal.49. tom.1.*): quod eſt hominem ita facere amentem, ut ſpes ad ſanitatem redeundi ſit fere nulla: prima enim ad ſanitatem via eſt vitia cognoſcere. Itaque nemo miretur, ſi ſceleſti ne videant quidem vitia ſua, immo defendant; & ſi quis eos reprehendat moneatque, ut magnam infamiam fugiant, iraſcantur habeantque inviſam adhortationem, quod proprium eſt amentium. VII.

VII. Poſtremo ſentiunt ſapientes, quod maxime horribile eſt & formidoloſum, ſceleribus aſſuetos vita eſſe functos, & ad ſepulturam datos, jam male olere ac putreſcere contectos lapide, qui vis eſt dura conſuetudinis. Id ſcribit Auguſtinus multis in locis (*Serm.98. in cap.7 Lucæ num. 5. & 7. tom.5. parte 1. & tr.49. in cap.11. Jo. num.3. tom.3. parte 2.*): qui ſic humatus eſt, & jam tabe diſſolvitur, tene audiet vocantem, adhortantemque, ne quid faciat?

VIII. Quamobrem fugienda eſt conſuetudo vitiorum, quæ laqueus eſt, quæ mors, quæ ſepultura: nihilominus, quem illa implicuit, de ſalute ac vita recuperanda eum nefas eſt deſperare: difficile quidem emergere, quod ex iis, quæ dixi, poteſt intelligi:

. . . . Facilis deſcenſus Averni:
Noctes atque dies patet atri janua Ditis.
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt . . . . .

(*Virgilius Æneid. lib.6.*) Fieri tamen poteſt, & factum eſt aliquando, quamquam raro, & a paucis,

. . . . Quos æquus amavit
Juppiter, aut ardens evexit ad æthera virtus.

Vi opus eſt, ac animi robore ad vim aliam maximam repellendam (*vid. D. Bernardus tom.2. ſerm.14. de diverſis num.4.*) Pugnare eatenus oportet acriter ac vehementer contra dominantem cupiditatem, veteremque peccandi morem, quatenus victoriam referas, quæ non modo ſummis laboribus paranda eſt, ſed fortaſſe etiam ſanguine: præſtat tamen brevi tempore labores & incommoda tolerare, quam diu conflictari moleſtiis, mox vero in calamitatem incidere ſempiternam.

IX. Fortior autem ad dura quæque perferenda, ut emergat, futurus eſt is, qui attentius conſideret, nihil eſſe deterius, nihil magis inimicum vitæ beatæ etiam in terris, quam vitium; quamquam ſe occultat præclara ſpecie commodorum & voluptatum, quibus incauti ac viles animi capiuntur.

tur. Tum ea fugiat omnia neceſſe eſt, quæ opportunitatem habere videantur ad peccandum: devitatis enim externis hoſtibus, facilius eſt profligare domeſticos, qui ſæpe ab illis excitantur, inflammanturque ad nocendum. Mox pœnitentia animum pulſet male actæ vitæ: quorum enim eum pœnitet vehementius, eadem abjiciet in poſterum: cum nemo id faciat, quod oderit: quoniam id amat quiſque, quod ſponte facit. Meminiſſe autem poteſt, quem tandem fructum ceperit ex vitiis ſuperiorum ætatum; cumque ſentiat, ſe miſere vixiſſe conſcientia cruciatum malefacti, hæc recordatio acres ei ſtimulos admovebit ad pœnitendum. Præterea gravi caſtigatione & objurgatione, quæ multum habeat acerbitatis, ſe a tanto errore conetur avertere, & in vitam libertatemque vindicare, excuſſo jugo turpiſſimæ ſervitutis. Deinde ea moliatur ac faciat, quæ ſunt vitio contraria, depellatque virtute flagitium & fœditatem; ac non multo poſt intelliget, quid interſit inter nefariam & honeſtam vitam, inter miſeram, ac beatam.

X. Quoniam vero nihil horum effici poteſt propter imbecillitatem infirmitatemque naturæ ſine cæleſti numine, in primis majores humanis opes, & divina præſidia quærenda ſunt, cuique propoſita & parata: his animus ſeptus rimere quid poteſt? Deo perfacile eſt irretito laqueis animo ſubvenire, atque ab eo cæcitatem amentiamque depellere, ac mortuum vel ab inferis excitare. Hæc ſunt deſperationi quæſita remedia: cæterum is dementiſſimus eſt judicandus, qui ea ſibi mala aſciſcat ſpe evadendi, quæ dubia eſt, immo omnes fere fruſtratur.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Sint ne in nobis ſemina innata Vitiorum.

I. NOn quæro hoc loco, ſint ne vitia inſita in natura: quod enim tale eſt, idem neceſſarium oportet eſſe; atqui vitia ſunt voluntaria, ut ſupra (*cap.15.*) a nobis conſtitutum eſt: non ſunt ergo in natura inſita: qua in re vehementer errat Galenus (*in libel. Quod animi mores corporis temperaturas ſequuntur, cap.11. tom.1.*) & Poſſidonius adverſus Stoicos tamquam omnium eruditiſſimus a Galeno laudatus (*cit. loc.*) qui, cum viderent hominum, maximeque puerorum, in quibus nondum eſt ratio confirmata, alios eſſe iracundos, alios audaces, alios callidos, alios uno verbo aliis vitiis affectos, eorumque fere eſſe neminem omni culpa vacantem, quamquam nihil pravi accipere potuiſſent extrinſecus, concludendum putarunt, vitia eſſe non in voluntate, ſed in natura. Necari autem jure improbos, ait Galenus, quemadmodum & Scorpii, & Viperæ, quamquam talia non ex ſe ſunt, ſed a natura progenita: cum tamen velit eos etiam occidi, ut timeant ii, qui ſimiliter vivunt, quaſi ſcelerum pœnas, quæ commiſerint, daturi, non videtur cohærentia inter ſe dicere, ſed maxime disjuncta atque contraria; quid enim attinet eos terrere, qui peccant neceſſitate compulſi? Neque vero ſatis animadvertit, plures eſſe, qui a vitio ad virtutem revocantur; quod fieri non poteſt, ſi vitia penitus inſita ſint in natura. Sed hæc ſententia, quæ labefactat hominum libertatem, & improbis grata eſt, a nobis impugnata eſt alio loco. (*vide Aguir fuſe de his diſputantem lib. de Virt. & Vit. diſp.4. q.2.*)

II. Itaque illud quæritur, num ſint in animo non vitia quidem, ſed ut virtutum, ita igniculi & ſemina quædam innata vitiorum. Eſſe autem in nobis hæc veluti initia turpitudinis, convenit id quidem: ut enim in virtutem quiſ-

que

que propendet, ita fere in vitia ſimiliter rationi contraria: *exiſtimare debemus*, ait Ariſtoteles (*lib.* 1. *Ethic. cap.* 14.) *ineſſe quiddam in animo præter rationem, quod ei reſiſtat & repugnet*. Semen autem, & igniculus eſt hæc propenſio, cujus procreatrix & parens eſt ea cupiditas, quæ penitus in animo inhæreſcit ab Adami peccato profecta, ut ab ratione data divinitus exiſtit proclivitas in honeſtatem.

III. Quod autem nonnulli nati videantur ad ſuperbiam, ad iracundiam, ad alia generis ejuſdem, hoc vitium eſt naturæ, non morum, ex quo improbi nominentur: neque enim peccatum eſt cupiditas ipſa per ſe, niſi mos illi geratur, ſed poteſt radix eſſe peccati. In quo turpiter lapſus eſt Galenus, & ſi qui ſunt alii idem cum eo ſentientes: neque enim vitium, quod naturæ eſt, ex quo nemo improbus eſt nominandus, quippe quod proprie vitium non eſt, ab eo, quod eſt morum, & jure vituperatur, amputavit. Quamobrem cum falſum ſit id, quod aſſumpſit, male concludit, vitia non eſſe in noſtra poteſtate, evertitque omnem philoſophiam, quæ præſertim honeſti & turpis, æqui & iniqui ſecretione continetur. Vitium quidem naturæ non eſt in nobis ſitum, at morum non ita.

IV. Quamquam vero natura propendet in turpitudinem, ei repugnare in noſtra eſt poteſtate, ut ſæpe diximus, idque facere eo eſt magis laudabile, quo eſt vitium illud naturæ vehementius: neque enim prædicandum eſt, ſi vincas, cum adverſarius nullus eſt, aut imbecillis; at fortiſſimum aliquem profligare, glorioſum. Verum ſunt, qui malint vinci cum probro, quam ſumma cum gloria pugnare; maxime cum illud adjunctam habere videatur dulcitudinem voluptatum; hoc autem plenum eſſe moleſtiarum; quamquam eſt ſecus. Impelluntur etiam ſæpe ad malefacta multitudine & vi hominum vitioſorum.

V. Fatendum tamen eſt, quoſdam eſſe ita in vitia propenſos (vitiorum enim ſemen, quod a natura eſt inſitum, non eſt idem in omnibus) ut improbi evadant, V.C. incontinentes, iracundi, ſuperbi, etiam nulla exempli pravitate propoſita; immo etſi honeſte & liberaliter educati, nulla arte avocantur a vitio, in quod propendent natura; ſed hoc

Digitized by Google

Ideo fit, non quia non poſſunt, ſed quia non volunt: nam, ut ſcriptum eſt ab Horatio (*lib.* 1. *Epiſt.* 1.)

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Præfocare vitiorum ſemina, incrementa elidere, & reſtinguere igniculos neceſſe eſt, ut ſupra vidimus.

CAPUT XIX.

Sint ne paria Vitia, & Peccata.

I. PAradoxon eſt Stoicorum, ut virtutes, ita paria eſſe peccata, quod ſcribit Tullius cum multis in locis, tum (*pro Murena*) *peccata eſſe paria,* (dicunt Stoici) *omne delictum ſcelus eſſe nefarium, nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem ſuffocaverit*: cujus ſententiæ hanc affert cauſam Laertius (*in Zenone lib.* 7. *cap.* 1. *num.* 64.) *nam ſi verum vero majus non eſt, nec falſum falſo majus erit; ita nec fraus fraude, nec peccato peccatum;* & Tullius aliam (*Parad.* 3.) *leviora qui poſſint videri* [peccata] *cum quicquid peccatur, perturbatione peccatur rationis, atque ordinis? Perturbata autem ſemel ratione & ordine, nihil poſſit addi, quo magis peccari poſſe videatur.*

II. Ad rem autem difficilem explicandam adhibent plura ſimilia: *nam qui centum ſtadiis*, inquit Laertius (*cit. loc.*) *abeſt a Canopo, & qui uno, æque in Canopo non ſunt: ita & qui minus peccat, & qui amplius, æque in recto opere non ſunt.* Idemque fere Cicero (3. *Parad.*) *Eſt peccare tanquam tranſilire lineas; quod cum feceris, culpa commiſſa eſt: quam longe progrediare, cum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet.* Et rurſus exemplum ponit in fidibus (*apud Ciceronem* 4. *de Finibus*) Cato: *ut in fidibus pluribus ſi nulla earum ita contenta numeris ſit, ut concentum ſervare poſſit, omnes æque incontentæ ſint: ſic peccata, quia di-*

Digitized by Google

diſcrepant, æque diſcrepant; paria ſunt igitur. Ecce alia ratio apud Tullium [*eod. in loc.*] *Quoniam inquiunt omne peccatum imbellicitatis, & inconſtantiæ eſt; hæc autem vitia in omnibus ſtultis æque magna ſunt: neceſſe eſt paria eſſe peccata.*

III. At quamquam velint Stoici, peccata eſſe paria in ſeſe; differre tamen afferunt aut affectione, a qua naſcuntur, aut numero, aut eo, in quo peccatur: quæ quidem ſint quaſi extrinſecus, non inſita in natura peccati. Affectione primum: nam, ut ait Stobeus (*in elect. apud Lipſium Manud. ad Stoic. Philoſop. lib.* 3. *diſſ.* 21. *tom.* 4.) *æqualia cum ſint peccata; tamen differunt in iſto, quod alia a prava, & vix ſanabili affectione proveniunt, alia minime;* tum numero, ut apud Ciceronem (*Parad.* 3.) *nihil igitur intereſt (nam hoc dicet aliquis) Patrem quis necet, an ſervum? Nuda iſta ſi ponas, judicari qualia ſint, non facile poſſunt. Patrem vita privare ſi per ſe ſcelus eſt, Saguntini, qui parentes ſuos liberos emori, quam ſervos vivere maluerunt, parricidæ fuerunt. Ergo & parenti nonnunquam adimi vita ſine ſcelere poteſt, & ſervo ſæpe ſine injuria non poteſt. Cauſa igitur hæc, non natura diſtinguit, quæ quoniam alteri acceſſit, id ſit propenſius; ſi utrique adjuncta ſit, paria ſiant neceſſe eſt. Illud tamen intereſt, quod in ſervo necando ſi adſit injuria, ſemel peccatur; in patris vita violanda multa peccantur. Violatur is, qui procreavit; is, qui aluit; is, qui erudivit; is, qui in ſede ac domo, atque in republica collocavit: multitudine peccatorum præſtat, eoque pœna majore dignus eſt.* Tandem peccata eo diſcrepant, in quo peccatur: *parva, inquis, res eſt,* ait idem Cicero [*cit. loc.*] *at magna culpa: nec enim peccata rerum eventu, ſed vitiis hominum metienda ſunt. In quo peccatur, id poteſt aliud alio majus eſſe, aut minus: ipſum quidem illud peccare quoquo verteris, unum eſt. Auri navem evertat gubernator, an paleæ, in re aliquantulum, in gubernatoris inſcitia nihil intereſt.*

IV. Hoc Stoicorum paradoxon non modo verum, ſed perutile Tullius cenſet eſſe (3. *Parad.*) *hac ſententia,* inquit, *non modo verior, ſed ne utilior quidem hominum vitæ reperiri ulla poſſit: qua vis enim eſt, quæ magis arceat hominem ab*

omni

omni improbitate, quam ſi ſenſerint, nullum in delictis eſſe diſcrimen? Quamquam alio in loco (*orat. pro Murena*) cum illi non faveat Stoica Catonis ſeveritas & conſtantia, hoc idem improbet, quod in paradoxis probaverat; quod & facit in libro de Finibus (4.) quoniam Tullius appoſite ſentit ad tempora.

V. Paria eſſe peccata, cum Stoicis putarunt olim Jovinianus (*Auguſtinus lib. 2. de Hæreſ. cap.* 82. *tom.* 8. & *Hieronymus lib.2. adverſ. Jovinianum non procul a fine tom.4.*) & Novatiani, ut auctor eſt Ambroſius (*lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 1.)

VI. Perridiculum hoc Stoicorum paradoxon, abſurdumque viſum eſt omnibus: *ſenſus enim cujuſque*, ait Cicero (*lib.* 4. *de Finibus.*) *& natura rerum, atque ipſa veritas clamat quodammodo, non poſſe adduci, ut inter eas res, quas Zeno exæquaret* [qualia ſunt peccata] *nihil intereſſet*.

VII. Primum quidem ſenſus cujuſque, ac commune judicium generis humani, quod graviſſimum eſt, & vox naturæ, novam hanc repudiat, inauditamque ſententiam: omnes enim, exceptis Stoicis, poſt hominum memoriam judicarunt, diſtincta genera eſſe delictorum, atque inter ſacrilegium & mendacium joci gratia, inter latrocinium & puerile jurgium, inter proditionem patriæ & galli necem, cum opus non eſt, diſcrepare plurimum: eamque ob cauſam ſapienter a Legumlatoribus non eadem pœna eſt cuique malefactorum generi conſtituta: alia enim pecunia, alia verberibus, alia carcere, alia exilio, alia morte mulctantur: pœna autem, ſi juſta eſt, a culpa ita æſtimatur, ut una ſit utriuſque menſura; eodemque modo parentes in filios, domini in ſervos, ludi magiſtri in diſcipulos animadvertunt pro culpæ ratione; vituperantur autem ii, qui modum non ſervant in puniendo; quique, leviora quæ habentur, diſſimulant, ſæpe laudantur. Ideo contra Stoicos ita Flaccus (*lib.* 1. *Sat.* 3.)

Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet, idemque
Qui teneros caules alieni fregerit horti,
Et qui nocturnus Divum ſacra legerit. Adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas:

Ne

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello;
Nam, ut ferula cædas meritum majora ſubire
Verbera, non vereor; cum dicas eſſe pares res,
Furta latrociniis, & magnis parva, mineris,
Falce reciſurum ſimili te, ſi tibi regnum
Permittant homines. . . . .

VIII. Deinde rerum ipſa natura clamat, ut Tullius ait, non paria eſſe peccata: illud enim peccatum eſt, quod legi ac rationi repugnat; quippe quæ regulæ ſunt rerum agendarum: porro eorum, quæ legi ac rationi contraria ſunt, ea non omnia ſunt eodem modo contraria, ſed alia magis, alia minus, ut perjurium magis, mendacium minus; ex quo conſequens eſt, peccatorum quædam graviora, quædam eſſe leviora.

IX. Mox ut virtutes pares non ſunt inter ſe, ut ſupra vidimus (*lib.* 3. *cap.* 8.) ſed aliæ aliis præſtant, ita nec vitia; quippe quæ eo ſunt deteriora, quo præſtantior eſt virtus, cui repugnant: eſt enim vitium & peccatum virtutis privatio, ut dixi (*lib.* 1. *cap.* 7.) quemadmodum vero miſerius eſt, privari quempiam vita, quam valetudine, ita turpius carere juſtitia, quam liberalitate.

X. Accedit, quod concedunt Stoici, in quo peccatur, id poſſe aliud alio eſſe majus, aut minus: ergo & peccatum in ſeſe majus, aut minus poteſt eſſe; quippe quod quale ſit, præſertim in re objecta cernitur, unde ut ſpeciem accipit, ex qua conſtat, ita & turpitudinem aut hanc, aut illam, & majorem ſimiliter, aut minorem. Itaque auri navem evertat gubernator, an paleæ, in gubernatoris quidem inſcitia nihil intereſt: eſt enim par in utraque cauſa; ſed ad culpam vehementer intereſt, ſi quid tale accidat conſilio, non caſu: nam peccatum metimur damno, quod res eſt propoſita voluntati: hoc autem eſt multo gravius, cum navis plena eſt auri, quam cum palearum: *etſi in ipſa gubernatione*, ait Cicero (*lib.* 4. *de Finib.* ubi diluit objectum) *negligentia eſt navis everſa, majus eſt peccatum in auro, quam in palea.*

XI. Poſtremo nemo dubitat, quin peccatum ſit gravius, aut levius pro ratione adjunctorum, ut dixi (*lib.* 2. *cap.* 15.)

quæ

quæ cum actione communicant turpitudinem ſuam, eamque inſtar objectæ rei afficiunt intrinſecus.

XII. Leves autem Stoicorum ratiunculas, & minuta argumenta facile eſt convellere. Aſſumunt, falſum falſo magis tale non eſſe, ita nec peccatum peccato. Nimirum propterea quod in una re non ſit magis & minus, in nulla erit? Quod in Deo ineſt bonum, non poteſt eſſe majus, nec idem minus; ſimiliter ergo, quod eſt in planta, in flore, in homine? A falſo ad peccatum nulla eſt conſecutio: quod enim falſum eſt omnino, æque, eodemque modo diſcedit a veritate; peccatum autem non omne, & æque abeſt, & alienum eſt a ratione, ut paullo ante dixi: quare aliud alio eſt majus.

XIII. Illud lepidum, quod eſt in tertio Tulliano paradoxo, perturbata ratione atque ordine, nihil addi poſſe: quæro enim, cur ut mare, ut cælum, ut valetudo, ut reſpublica, ut alia perturbari poſſunt remiſſius, aut vehementius, non idem in ratione & ordine poſſit contingere?

XIV. Uſurpant ſimilia, quæ apta ſunt ad probandum, ut paleæ, aut calami ad fulciendam collabentem domum, ac ſuſtinendam, ne cadat: qui centum ſtadiis, ajunt, a Canopo abeſt, & qui uno, pariter non ſunt in Canopo: perge porro: ſic qui parum, vel magnum delinquit, pariter abeſt a recto: hoc autem quo pacto eſt conſequens? Num illi, propterea quod non ſunt in Canopo, a Canopo æque abſunt? quod neceſſe eſt dicere, ut recta cadat concluſio? Secus ridebunt dialectici. Equidem ita potius dicam, ut conſequentia cohæreant: qui centum ſtadiis abeſt a Canopo, & qui uno, non æque abeſt: ergo nec is, qui parum, & qui multum delinquit, æque abeſt a recto. Hæc magis conſentanea.

XV. Ejuſdem fere generis eſt aliud ſimile: nam peccare eſt quaſi tranſilire lineas, quod cum feceris, culpa commiſſa eſt, ſed quæ tanto ſit major, quanto longius diſceſſeris: nam peccare eſt id facere, quod disjunctum eſt a ratione, ut dixi; hoc autem poteſt eſſe magis, minuſve disjunctum.

XVI. At neque illa quidquam valet a fidibus ducta ratio: *hic ambiguo ludimur*, ait Cicero (*lib.* 4. *de Finib.*) *æque enim contingit omnibus fidibus, ut incontentæ ſint; illud non*

Digitized by Google

non continuo, ut æque incontentæ. *Collatio igitur iſta te nihil juvat: nec enim omnes avaritias, ſi æque avaritias eſſe dixerimus, ſequitur etiam, ut æquas eſſe dicamus.*

XVII. Urgent tandem: omne peccatum imbecillitatis & inconſtantiæ eſt, quæ in ſtultis ſunt paria: *quaſi vero*, ait Tullius (*cit. loc.*) *aut concedatur, in omnibus ſtultis æque magna eſſe vitia, & eadem imbecillitate, & incoſtantia L. Tubulum fuiſſe, quam illum, cujus is condemnatus eſt rogatione, P. Scevolam, & quaſi nihil inter res quoque ipſas, in quibus peccatur, interſit, ut quo hæ majores, minoreſve ſint, eo quæ peccentur in his rebus aut majora ſint, aut minora.* Cæterum delicta differunt non modo affectione & numero, ſed etiam ſua vi, & natura, ut vidimus.

XVIII. Neque vero utile eſt ſentire cum Stoicis, ut eſt apud Tullium (*in Paradoxis*) ſed pernicioſum: nam eorum paradoxon non modo falſum eſt & abſurdum, & rationi, ut hactenus dixi, ſed etiam religioni contrarium. Quod autem tale eſt, honeſtum non eſt, iccircoque nec utile. Huc adde, quod ſi peccata eſſe paria tibi perſuaſeris, cum vitare non poſſis omnia, vel ea, quæ levia dicuntur, propter fragilitatem imbecillitatemque naturæ, facile putabis nihil intereſſe, ſi in gravia labaris; quippe omnia ſunt paria. Sed hæc ſatis: neſcio enim an ſerio, an ſtudio rerum novarum in mentem venerit Stoicis in re tam aperta a veteri diſciplina, & omnium gentium conſenſione diſcedere.

Digitized by Google

CAPUT XX.

Sint ne Vitia connexa.

I. PLacet Stoicis, non modo paria eſſe vitia & peccata, ſed & connexa: *ut dicitis*, ait Seneca (*de Beneſ. lib.* 5. *cap.*15.) *omnes ſtulti mali ſunt; qui autem habet vitium unum, habet omnia;* & rurſus (*cap.*17.) *& cupidi omnes, & maligni omnes, & timidi omnes . . . . adjice, & ambitioſi omnes* ſunt, & impii omnes. Nec ſecus Cicero, cum exponit decreta ac dogmata Stoicorum [*Orat. pro Murena*] *nos autem, qui ſapientes non ſumus, fugitivos, exules, hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt.* Ex quo conſequitur hoc aliud paradoxon, omnes ſtultos inſanire, hoc eſt, eſſe æque ſtultos, ſeu improbos æque improbos: nam vitia æque magna, eademque connexa; ergo vitioſi æque vitioſi ſint, neceſſe eſt: unde & illud conſequens, eos nihil habere quod rectum ſit. Huc ſpectat Perſius, cum ait [*ſatyr.* 5. *v.*120.]

. . . . Nullo thure litabis,
Hæreat in ſtultis brevis ut ſemiuncia recti.

Et Horatius (*lib.*2. *ſatyr.*3.)

Quem mala ſtultitia, & quemcumque inſcitia veri
Cæcum agit, inſanum Chryſippi porticus, & grex
Autumat; hæc populos, hæc magnos formula reges,
Excepto ſapiente, tenet. Nunc accipe, quare
Deſipiant omnes, æque ac tu, qui tibi nomen
Inſani poſuere. Velut ſilvis ubi paſſim
Palantes error certo de tramite pellit:
Ille ſiniſtrorſum, hic deſtrorſum abit; unus utrique
Error; ſed variis illudit partibus: hoc te
Crede modo inſanum; nihil ut ſapientior ille,
Qui te deridet, caudam trahat . . . . . .

Quo

Digitized by Google

Quo loco illud rurſus tecum reputa, ſtultum, inſipientem, inſanum uſurpari pro improbo. Inter ſtultum potius, & inſanum, ex quo natum paradoxon, ſtultum inſanire, intereſt aliquantum; quod ſtultitia poſita eſt in vi malefaciendi, inſania in malefacto; ita quidem, ut ſtultus habeat in ſe ſtultitiam, inſanus proferat, ut Tullius exponit (*lib.4. Tuſcul. qq.*) *Stoici . . . . videbuntur monſtra dicere; nunc autem ita diſſerunt; ſic ſe dicere, omnes ſtultos inſanire; ut male olere omne cœnum: at non ſemper; commove, ſenties.*

II. Quoniam vero improbi ſunt etiam miſeri, cum vitium & peccatum ſit ſummum malum, atque extrema calamitas, & omnes improbi ſunt æque improbi, conſequens eſt, omnes improbos eſſe æque miſeros; & quia malus eſt, qui virtutum faſtigium non attigit; neque enim compos eſt virtutis; ad hanc qui proficiunt, omnes æque miſeri, ac ii, qui virtuti nullo modo ſtudent. Ita quidem Cato (*apud Ciceronem lib.4. de Fin.*) & argumentum ducit a ſimili more Stoicorum: *quis enim*, inquit, *ignorat, ſi plures ex alto emergere velint, propius fore eos quidem ad reſpirandum, qui ad ſummam jam aquam appropinquant; ſed nihilo magis reſpirare poſſe, quam eos, qui ſunt in profundo? Nihil ergo adjuvat procedere, & progredi in virtute, quominus miſerrimus ſit, antequam ad eam pervenerit; quoniam in aqua nihil adjuvat procedere; & quoniam catuli, qui jam deſpecturi ſunt, cæci æque ac ii, qui modo nati; Platonem quoque neceſſe eſt, quoniam nondum videbat ſapientiam, æque cæcum animo, ac Phalarim fuiſſe.*

III. Verum Stoici ſententiæ hujus invidiam conantur extenuando mitigare: quamquam enim velint, eos, qui perfectæ virtutis non ſunt compotes, æque eſſe in vitiis, eſſe tamen non concedunt eodem modo. Negat Zeno, ut auctor eſt Cicero [*lib.4. de Fin.*] *Platonem, ſi ſapiens non ſit, eadem eſſe in cauſa, qua tyrannum Dionyſium; huic mori optimum eſſe propter deſperationem ſapientiæ; illi propter ſpem, vivere . . . . . Jam inſipientes alios ita eſſe, ut nullo modo ad ſapientiam poſſent pervenire; alios, qui poſſent, ſi id egiſſent, ſapientiam conſequi.* Ait etiam, peccata inter ſe aliquid diſcrepare; *peccata autem* (*apud Tullium eodem loco*) *partim eſſe tolerabilia, partim nullo modo; propterea quod alta pecca-*

ta plures, alia pauciores quaſi numeros officii præterirent.

IV. Deinde & illud Stoici admittunt, non in ſingulis ſingula vitia concitata eſſe, & eminere; quod ſcriptum eſt a Seneca (*lib.4. de Benef. cap.26. & 27.*) *ſtultus*, inquit, *omnia vitia habet, ſed non in omni natura pronus eſt; alius in avaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinatur. Itaque errant illi, qui interrogant Stoicos: quid ergo? Achilles timidus eſt? Quid ergo? Ariſtides, cui juſtitia nomen dedit, injuſtus eſt? Qui ergo? & Fabius, qui cunctando reſtituit rem, temerarius eſt? Quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor eſt? Camillus deſertor? Non hoc dicimus, ſic omnia vitia eſſe in omnibus, quomodo in quibuſdam ſingula eminent, ſed malum ac ſtultum nullo vitio vacare: nec audacem quidem timoris abſolvimus; nec prodigum quidem avaritia liberamus. Quomodo homo omnes ſenſus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent lynceo ſimilem: ſic qui ſtultus eſt, non tam acria & concitata habet omnia, quam quidam quædam. Omnia in omnibus vitia ſunt, ſed non omnia in ſingulis extant.* Hæc Stoici partim falſa & ridicula, partim obſcura & difficultatibus impedita.

V. Illud maxime falſum, ex quo reliqua conſequuntur, eſſe connexa inter ſe vitia: primum quod eorum procreatrix eſt conſuetudo diuturna: non eſt autem conſequens, ut qui ſæpe in unum labitur peccatorum genus, non declinet ab aliis cum facto, tum voluntate; quemadmodum conſequens eſt, ut, qui unam virtutem habet, ideoque amans eſt ordinis, id faciat etiam, aut ſaltem optet facere, quod eſt aliarum virtutum proprium; ſecus ordinem non amat in ulla re, qui conſtanter perturbat in aliqua, ut dicam infra luculentius.

VI. Deinde vitia ſunt quædam ipſa adeo a ſe diſcrepantia, ut cohærere una non poſſint: prodigalitatem V. C. repellit avaritia, metum audacia, ſtuporem, ſeu nullius voluptatis ſenſum intemperantia: horum itaque qui unum habet, is alio careat, neceſſe eſt.

VII. Mox vel ea vitia, quæ contraria non ſunt, conſtat non eſſe omnia in omnibus: qui enim avarus eſt, non idem ſemper & veneficus & incontinens & contumelioſus.

VIII. Præterea non, ut virtutes prudentia, ita vitia communi quodam vinculo continentur: quod enim illud ſit, non

non licet reperire. Neque ut virtutes virtutibus; ita vitia vitiis juvantur omnibus, & quaſi adminiculis nituntur: quid enim ad audaciam attinet aut avaritia, aut invidentia, aut ignavia, aut lentitudo, aut alia generis ejuſdem?

IX. Tandem iccirco virtutes nexæ ſunt inter ſe, quod unum cum ſit cuique virtuti propoſitum, id nempe quod decet, quod honeſtum eſt, quod rationi conſentaneum, huc ſpectet neceſſe eſt, qui gerit aliquid congruenter virtuti; ſecus non facit honeſte: non poteſt autem honeſtum velle, quod ineſt una in re, niſi & id velit, quod ineſt in omnibus: quippe unum & idem eſt, ut ſupra dixi [*hoc lib.3. cap. 8.*] Contra qui peccat, non vult ille quidem turpitudinem in ſeſe vitio cuique hærentem, & quaſi colligatam, a qua abhorret natura, ſed aliud quidpiam, quod etſi bonum non eſt, tamen videtur eſſe, ut lucrum, ut gloriam, ut voluptatem: hæc autem, quæ videntur bona, inter ſe diſcrepant, neque connexa ſunt; immo interdum contraria: itaque nec connexa vitia & peccata, quæ in id tendunt, quod non uniuſmodi eſt, ſed varium & multiplex: neque enim peccatur, cum tranſitur a multis ad unum, ſed potius cum ab uno, hoc eſt, a ratione, rectaque norma rerum agendarum ad multa: quapropter ut lineæ ex disjunctis peripheriæ, quam Græci vocant, locis ad medium ductæ in eo copulantur omnes; cum vero a medio diſcedunt, non ita; ſic oportet, nexas eſſe virtutes, non vitia. Hoc præclare ſcriptum eſt a Thoma Aquinate (1. 2. *quæſt.73. art.1.*) & depromptum ex abditis penetralibus philoſophiæ. Ex quo præterea poteſt intelligi, non iccirco connecti copularique peccata, quod ab una re, hoc eſt a Deo, & a ratione digrediantur omnia: hinc enim diſtrahuntur in multa, a quibus formam capiunt peculiarem, & ſuam, ut ab eodem Thoma eſt traditum (*cit. loc. §. Cum igitur.*)

X. At enim vitium ea privat animum virtute, quæ eſt illi contraria: qui caret una virtute, caret omnibus; qui caret omnibus, habet omnia vitia contraria; igitur qui habet unum vitium, habet omnia. Gradatim huc ventum eſt; ſed eſt aliquis gradus, ad quem non licet deſcendere: neque enim do, qui caret omnibus virtutibus, eum habere omnia vitia: primum quod ſæpe plura ſunt vitia uni virtuti con-

Digitized by Google

traria, quorum unum ſatis eſt ad eam repellendam, aliis ſublatis; immo ſi ab uno virtus pellitur, aliud ſæpe debet abeſſe: quippe ſunt inter ſe contraria: quapropter ſi liberalitatem tollit avaritia, non poteſt in eo, qui avarus eſt, ineſſe pecuniarum effuſio. Deinde poteſt animus carere virtutibus, non quod eas expulerint vitia contraria, ſed quod non ſint diuturno more partæ, ut contingit in puero ſeptem aut octo annos nato: tunc igitur neceſſe non eſt, in animo ineſſe vitia, quæ & ipſa conſuetudine comparantur.

XI. Non tamen nego, vitia eſſe quædam, ut ſuperbiam, ut avaritiam, a quibus alia multa, immo fere omnia naſcuntur, quaſi ſoboles a parentibus; ſed tamen & hæc vitia, quamquam apta ſunt ad alia procreanda, non ſemper reipſa procreant omnia, ut radix poteſt eſſe aliqua, etſi non uberrimos, quos ſolet, fructus ferat, et parens item, etſi tot filias non habeat, quot Danaus.

XII. Rurſus neque illud inficior, qui uni vitio deditus eſt, eum multo facilius in alia prolabi: eſt enim & ad turpitudinem proclivior, & ad contemnendam conſcientiæ vocem, naturæque obſtinatior; & imbecillior evadit ad repugnandum cupiditati, qua excæcatur, agiturque præceps in ſcelera: accedunt hoſtes extrinſecus, qui a divina amicitia abalienatum, deſtitutumque cæleſti præſidio facile affligunt omnino, atque proſternunt, & conjiciunt in turpiſſimam ſervitutem, cujus jugum vix a cervice depellere unquam poſſit: quapropter monent ſapientes, eam eſſe vitii & peccati vim, ut ſi inhæreat in voluntate aliquandiu, eam pertrahat in alia, quibus prematur acerbius.

XIII. Dixi hactenus, conjugata non eſſe, & connexa inter ſe vitia, ut putant Stoici. Quamobrem ſi prima falſa ſunt, quæ conſequuntur, vera eſſe non poſſunt: docent enim nos Dialectici, ſi ea, ex quibus res aliqua nata eſt, falſa ſint, falſam illam ipſam eſſe, quæ ſequitur. Sic, primis ſublatis, quæ a Stoicis poſita ſunt, conſequentia tolluntur, quale eſt illud in primis, omnes ſtultos inſanire, ſeu improbos eſſe æque improbos, & rurſus hoc, eoſdem ipſos æque eſſe miſeros.

XIV. Nihil vero attinet adhibere ſimilia, quibus nihil effici poteſt: aſſumunt enim, nihilo magis reſpirare poſſe

cum,

eum, qui ad ſummam aquam appropinquat, quam eum, qui eſt in profundo, & catulos æque cæcos eſſe, qui modò nati ſunt, ac qui jam ſunt deſpecturi; ex quibus concludunt, & malos & miſeros illos eſſe, qui enituntur ad virtutem, ſed nondum attigere faſtigium, ac eos, qui ab ipſa eadem virtute quam longiſſime abſunt. *Iſta ſimilia non ſunt*, *Cato*, ait Cicero [*lib.*4. *de Fin.*] *in quibus quamvis multum proceſſeris, tamen illud in eadem cauſa eſt, a quo abeſſe velis, donec evaſeris: nec enim ille reſpirat antequam emerſit, & catuli æque cæci, priuſquam deſpexerunt, ac ſi ita futuri ſemper eſſent*. Equidem & ipſe do, eum reſpirare non poſſe, qui a ſumma aqua paululum abeſt, priuſquam emerſit, & catulos eſſe cæcos, quamquam futurum ſit, ut paullo poſt deſpiciant; ſed æque miſeros eſſe, ac alios, de quibus eſt dictum, omnino non do: niſi velis, eum æque eſſe miſerum, qui brevi exibit e carcere, ac qui nunquam.

XV. Sed audiamus Tullium, qui ſuperioribus opponit alia reipſa ſimilia. *Illa*, inquit (*cit. loc.*) *ſunt ſimilia: hebes acies eſt cuipiam oculorum, corpore alius langueſcit: hi curatione adhibita levantur in dies; alter valet plus quotidie: alter videt: hi ſimiles ſunt omnibus, qui virtuti ſtudent; levantur vitiis, levantur erroribus; niſi forte cenſes, Tit. Graccum patrem non beatiorem fuiſſe, quam Filium, cùm alter ſtabilire rempublicam ſtuduerit, alter evertere . . . . . . Levatio igitur vitiorum magna fit iis, qui habent ad virtutem progreſſionis aliquantulum: veſtri autem progreſſionem ad virtutem fieri ajunt, levationem vitiorum fieri negant*. Ex quo, ut ſcriptum eſt a Plutarcho (*libel. de Prof. in virt.*) ænigma redditur illa, quæ dicitur profectio.

XVI. Quod vero addunt Stoici, non omnes eſſe in vitiis eodem modo; aliis mori optimum eſſe, aliis vivere; alios ad ſapientiam poſſe pervenire, alios ſecus; quædam vitia eſſe tolerabilia, quædam non eſſe omnino, & tamen omnes eſſe æque miſeros; id quidem non intelligo: aſſentior autem Plutarcho, qui ſcribit (*cit. loc.*) Stoicos multis controverſiis ſcrupuliſque referſiſſe philoſophiam, quoniam verbis ſaltem rem implicant: quamquam enim ſæpe idem ſentiant, quod cæteri, aliter loquuntur, atque omnes.

Digitized by Google

XVII. Sed mirari ſatis eorum tarditatem, neſcio an dicam temeritatem, non queo, qui cum extollere virtutem, ac ſapientiam velle videantur, tollunt omnino, & repellunt a cœtu hominum: negant enim quemquam virum bonum eſſe, & virtute præditum, niſi ſapientem, *ſed eam ſapientiam interpretantur*, ait Cicero [*de Amicitia*] *quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus:* ſapiens enim non eſt, niſi qui expers ſit omnis perturbationis, & vitii; cum nihil horum cadere poſſit in ſapientem; nemo autem eſt in terris, qui omni vel peccato careat, qui nulla plane perturbatione moveatur; igitur nemo ſapiens in terris; ideoque nec bonus; qui non bonus, is vitiis omnibus inquinatus, quæ in quoquo improbo ſunt æque magna; qui ſic eſt affectus, idem miſerrimus: ergo Stoici conjiciunt omnes in eamdem miſeriam, maximamque calamitatem.

XVIII. *Hæc videlicet eſt correctio*, inquit Cicero (*de Fin. lib.4.*) *philoſophiæ veteris, & emendatio, quæ omnino aditum habere nullum poteſt in urbem, in forum, in curiam*, afficitque ſummo dedecore genus humanum, & etiam mentem nobis a Deo tributam, quæ ſi ita eſt, ut placet Stoicis, receptaculum eſt omnium, & ſentina vitiorum. *Nos autem*, pergit Tullius (*de Amicitia*) *quæ ſunt in uſu vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſperare debemus. Nunquam ego dicam Cajum Fabricium, M. Curium, T. Coruncanum, quos ſapientes noſtri majores judicabant, ad illorum* (Stoicorum) *normam fuiſſe ſapientes. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum & obſcurum, concedantque, ut hi boni viri fuerint.* Profecto qui naturam ſequuntur optimam bene vivendi ducem, & præſertim Chriſti præceptis parent quantum homines poſſunt, quamquam interdum quædam peccent leviora, eos & eſſe, & optimos viros appellandos putamus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Quæ ſit in Vitiis ac Peccatis turpitudo, & infamia.

I. QUanta ineſt in virtute præſtantia, tanta ineſſe debet in peccatis ac vitiis turpitudo & infamia: nam contrariorum eadem ſunt conſequentia. Itaque ut ſapientes ſummis laudibus virtutis efferunt dignitatem; ita in ſummam vituperationem adducunt dedecus, fœditatemque vitiorum, & quicquid nominis eſt, cui labes & ignominia ſubjecta reipſa ſit, aut eſſe videatur, id omne conferunt in vitioſitatem: nam primum cum probro vulgo putetur eſſe mendicitas atque egeſtas, illud apparet, qui ſit improbo pauperior, eſſe neminem; quoniam habet animum ab omni virtutum ornamento vacuum atque nudum, eſuritque ſemper: inhiat enim dies atque noctes divitiis, honoribus, voluptatibus; & cœno ipſo, quod dominantis famis maximum argumentum eſt, quaſi cibo delectatur, & rapinis & dolis & fraudibus; atque id aucupatur, quod poteſt per fas ac nefas, ſæpe occulte, at quandoque palam; cum nequeat paupertatem illam ſuam, quippe quæ magna eſt, vel potius egeſtatem ac mendicitatem obſcure ferre: quoniam vero famem explere nunquam licet, contabeſcit, & in eos ardet iracundia, qui impediunt & obſtant, quominus fiat voti compos. Nunquid non hæc egentis ſigna ſunt?

II. At pretioſa eſt veſtis, quæ corpus tegit. Ita ſane; ſed nudus animus, ac ſordidatus. Scilicet arca eſt plena pecuniæ: *animus hominis dives*, ait Cicero (*Parad. 6.*) *non arca, appellari ſolet: quamvis illa ſit plena, dum te inanem videbo, divitem non putabo*: & rurſus (*cit. loc.*) *improbi autem, & avari, quoniam incertas, atque in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſemper appetunt, nec eorum quiſquam adhuc inventus eſt, cui, quod haberet, eſſet ſatis: non modo non copioſi ac divites, ſed etiam inopes ac pauperes exiſti-*

mandi ſunt. Hæc autem paupertas eo eſt turpior, quo animus præſtantior eſt, eamque etiam ob cauſam, quod perverſæ voluntatis eſt, non naturæ: quæ enim a natura eſt, ne in malis quidem habetur, immo potius in bonis, præſertim a chriſtianis viris, & ſapientibus; & tamen hanc improbi ducunt dedecori; illam vero, de qua dixi, cum turpiſſima ſit, non ita.

III. Deinde quod deforme, idem putatur eſſe turpe: nihil autem eo deformius, qui animum habet male affectum ac manantem tabe, unoque verbo improbum, quem qui videt Deus tantæ infamiæ ſordibus circumſeptum & inquinatum, cum ejus obſcenum aſpectum ſuſtinere non poſſit, a ſe repellit. Hanc vero deformitatem non modo non abſterget, ſed augebit, qui malus eſt, cultu corporis, comptis capillis, bene compoſitis ac delibutis, veſtitu molli ac muliebri, denique ornatu ac forma, quæ referat Ganymedem, quibus accedat inceſſus, ac frontis ſingularis & egregia ſuperbia: præſeferet enim apertius, prodetque latentem, ac turpem inanitatem, in quem idcirco quadrare aperte videatur Phædri fabella (*lib.* 1. *fab.* 7.)

Perſonam tragicam forte vulpes viderat;
O quanta ſpecies! inquit, cerebrum non habet.

IV. Præterea in ignobilitate multis videtur nota ineſſe quædam turpitudinis, quamquam non ita eſt: nemo enim ignobilis eſt natura; quiſque autem moribus & voluntate: non humiles & obſcuri fuerunt Euripides, Demoſthenes, Marius, M. Cato, Romulus, Ventidius Baſſus, Homerus, Flaccus, Virgilius, Epictetus, Cleanthes, Socrates, aliique ſexcenti; quamquam infimo loco nati, ac ſine ulla commendatione majorum (*vid. Petrarca de Remed. utr. fort. lib.* 2. *dialog.* 5.) Verum qui improbi ſunt, hi quidem terræ filii, inglorii, abjecti, infames: nam animum cælo natum deprimunt atque proſternunt, & nihil cogitant, quod erectum ſit, & excelſum; cumque ea faciant, quæ turpia ſunt, non poſſunt non eſſe turpiſſimi: actio enim, ut nobilitatem & decus; ita importat abjectionem & labem: atqui, animorum nobilitate ſublata, jacent omnia ſordibus obſoleta.

V.

V. Quid quod pœna criminibus conſtituta adjunctam habet infamiam? nemo eſt enim adeo obfirmata fronte, ut ſibi non ducat dedecori, ſi exilio, ſi carcere, ſi bonorum publicatione, ſi morte mulctetur: quanto autem turpius propter culpam a bonorum ac beatorum ſocietate ſegregatum Dei juſſu damnari aliquem pœna ſempiterna; quamquam apud homines peccare poſſit impune? Hæc autem augetur infamia ingrato animo in Deum, a quo & ratione quaſi eximio munere, aliisque omnibus beneficiis ornati ſumus, quibus qui utitur ad malefacta, is eſt ingratiſſimus judicandus; quoniam Deum contemnit, & pro nihilo ducit, & beneficia transfert ad ejus injuriam, a quo ſunt data: hoc autem pleniſſimum eſt probri & dedecoris.

VI. Itaque jure concludo, eum & ignobilem & infamem eſſe, qui peccat: qua in re vehementer errat quisquis, etſi improbus eſt, ſe nobilem putat; propterea quod in ampla domo natus eſt, honeſtâque familia; immo tunc eſt abjectior & ignobilior, ſi ſuperbia, avaritia, libidine, tandem malefactis & turpi vita dedecorat genus ſuum, & a majorum virtute degenerat: hunc enim neque generis claritas, neque domeſtica exempla rerum præclare geſtarum deterrent a turpitudine, quæ eo eſt flagitioſior, quo illuſtrioti loco collocata magis apparet & cernitur: quare declarat luculentius ſummam intrinſecus latentem humilitatem: volunt autem rationem habendam eſſe nobilitatis, quam non intelligunt tardi homines, nullam eſſe in lutulento animo: hac vero ſublata, quæ in parte hominis inhæret principe, eam, quæ generis eſt, jure parvi faciunt ſapientes. *Omitto nobilitatem*, ait Cicero (*Tuſcul. qq. lib.5.*) *famamque popularem, ſtultorum, improborumque conſenſu excitatam.*

VII. Mox turpitudo & ignominia adjuncta eſt ſervituti: ſtultos autem, hoc eſt, improbos omnes eſſe ſervos, veriſſime dictum eſt a Stoicis: parent illi quidem acerbiſſimis dominis, cupiditati ac vitiis. *Si ſervitus ſit, ſicut eſt*, ait Tullius (*Parad.5.*) *obedientia fracti animi & abjecti, & arbitrio carentis ſuo, quis neget, omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos? An ille mihi liber videatur, cui mulier imperat, cui leges imponit, præſcribit, jubet, vetat, quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare*

audet; poſcit? dandum eſt: vocat? veniendum: ejicit? abeundum: minatur? extimeſcendum. Ego vero iſtum non modo ſervum, ſed nequiſſimum ſervum, etiamſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. Tum recenſet Tullius ineptias quaſdam, quibus ſceleſti implicantur, cupiditatem peculii, honoris, imperii, itemque ex peccatorum conſcientia exortum metum, quæ omnia in turpem conjiciunt animum ſervitutem: hanc vero ſerviunt vel imperatores, ac reges, ſi ſunt improbi: *laudetur vero*, ait rurſus Tullius [*cit. loc.*] *hic imperator, aut etiam appelletur, aut hoc nomine dignus putetur: quomodo? aut cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrenet primum libidines; ſpernat voluptates; iracundiam teneat; coerceat avaritiam; cæteras animi labes repellat; tum incipiat aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis, dedecori, ac turpitudini parere deſierit. Dum quidem his obediet, non modo imperator, ſed liber habendus omnino non erit.*

VIII. In hæc vero omnes mire conſentiunt, & ſi hujus id eſſet loci & temporis, auctoritate uti poſſem non modo doctiſſimorum virorum (*vid. Auguſtinum lib.4 de Civit. cap. 3. tom.7. Chryſoſtomum Hom. de Virt. & Vit. tom.5.*) ſed & ſacri codicis [2. *Petri cap.2. v.19. Joannis* 8. 34.] Quamobrem peccata conſuetudineſque vitiorum & funes, & vincula, & jugum aptiſſime nuncupantur. Quam ſit hæc miſera, quam dura ſervitus, ſentiunt improbi: neque enim uni tantum parendum eſt, ſed multis, tot ſcilicet, quot ſunt cupiditates & vitia; & cum unius dominatus exceſſit, gravior alius exoritur. Id vero non ſatis mirari poſſum, quamobrem, cum turpe ducant homines homini ſervire, non eos pudeat animi perturbationibus, quod ingenuo viro maxime indignum eſt, vitiiſque ſuccumbere; præſertim cum ſervitus, quæ & corporis eſt, & ſine culpa, vacet probro; quæ vero eſt animi, & ſponte ſuſcepta, ſit maxime vituperanda; ſed ita perverſa opinione comparatum eſt, ut illam quiſque fugiat; in hanc autem ſe tradant plerique; etſi jactant ſe in nobilitate & genere.

IX. Huc adde, quod improbi afflicti ſunt, infirmi, enervati, imbecilles; ita quidem ut eos, quo lubet, libido præcipitet, intemperantia, iracundia, aut alius perturbationum flu-

Digitized by Google

fluctus etſi minus vehemens & concitatus: qua in re ſumma ineſt turpitudo. Sequuntur felicitatem; nunquam tamen id aſſequi poſſunt, quod dies noctesque moliuntur: *vide*, ait Boetius (*de Conſol. Philoſoph. lib.4. proſ.2.*) *quanta vitioſorum hominum pateat infirmitas, qui ne ad hoc quidem pervenire queunt, ad quod eos naturalis ducit, ac pene compellit intentio. Ecquid ſi hoc tam magno, ac pene invicto præeuntis naturæ deſererentur auxilio?*

X. At enim ea poſſunt, quæ mala ſunt; invidere, rapere, bonorum famæ detrahere, alios afficere contumeliis, jura tandem divina & humana violare. Verum hæc eadem eos nihil poſſe demonſtrant: eſt enim maximæ imbecillitatis peccare, labi, ab honeſto deficere; quod idcirco non poteſt Deus, cum ſit præpotens. Hoc loco rurſus ſtuporem hominum attendite, qui intolerantiſſime gloriantur, ea ſe facere potuiſſe, quæ jus & ratio vetat, quaſi ſit infirmitas & glorianda & prædicanda & præſeferenda: ſed audi ita canentem Boetium (*de Conſol. Philoſoph. lib.4. metr.2.*)

Quos vides ſedere celſo
Solii culmine reges,
Purpura claros nitente,
Septos triſtibus armis,
Ore torvo comminantes,
Rabie cordis anhelos,
Detrahat ſi quis ſuperbis
Vani tegmina cultus;
Jam videbis intus arctas
Dominos ferre catenas;
Hinc enim libido verſat
Avidis corda venenis;
Hinc flagellat ira mentem
Fluctus turbida tollens.
Mœror aut captos fatigat,
Aut ſpes lubrica torquet:
Ergo cum caput tot unum
Cernas ferre Tyrannos;
Non facit, quod optat ipſe
Dominis preſſus iniquis.

Ex

Ex quo conſequens eſt eos imbecillos eſſe omnes, qui ſunt improbi: hæc enim non modo in reges, ſed in alios etiam cadunt, qui vitiorum laqueis irretiti teneantur.

XI. Accedit eo, quod ab omnibus probroſa ducitur inſipientia: qui autem improbus eſt, idem eſt inſipiens & ſtultus, quod non modo Stoicis viſum eſt, ſed & noſtris: idque SS. Libri confirmant (*Ecclef. 1. v. 15. & 2. v. 14. 15. v. 7. & in Proverb. paſſim*) Id vidit & Plato, qui (*in Protagora*) ait *a voluptatibus ſuperari extrema inſcitia eſt*: in quo enim altiores ſunt ſtirpes ſtultitiæ, quam in eo, qui bonorum omnium affluentiæ turpem præfert animi mendicitatem, ſolidæ veræque gloriæ dedecus & infamiam, liquidæ voluptati maximas moleſtias, ægritudineſque, quibus dies ac noctes vehementiſſime confligatur, ſervitutem jucundiſſimæ libertati, potentiæ imbecillitatem, putridas cicatrices ſanitati? (eſt enim graviſſima cicatrix ac mortifera plaga peccatum. *Pſalm. 37. v. 6.*) qui a cupiditate ærumnarum procreatrice ducitur in dictis, & factis? *Quam tu nunc vitam*, inquit Seneca (*Epiſt. 15.*) *dici exiſtimas ſtultam? Babæ, & Ixionis? Non ita eſt: noſtra dicitur, quos cæca cupiditas in nocitura, certe nunquam ſatiatura, præcipitat*. Nonne demens omnino, qui prudens & ſciens exhaurit exitiale poculum, propterea quod ex eo capiat perbrevem voluptatem? qui ſe jugulat? qui agit præcipitem? Atqui inſipientius facit is, qui peccat: quoniam necat animum, eoque privat, quod eſt extremum bonorum, & ipſe ſe in calamitatem conjicit ſempiternam; aut ſaltem ſemper in metu eſt, ne poena afficiatur a Deo, qui vindex eſt maleſactorum.

XII. Non ſatis intelligo quo pacto ſapiat is, qui in bonorum, malorumque delectu errat, & labitur: quod enim malum eſt, id adſciſcit; quod bonum, reſpuit: hic profecto & ſtultus ſit, & cæcus, qui ſequenda ac fugienda non videt, neque proſpicit futura & conſequentia. Ille autem præ reliquis lumine mentis caret, atque delirat, qui vitia oſtentat, ut miles ignavus ac timidus exceptam ab hoſtibus cicatricem, ut ſues lutum, in quo turpiter volutatur, ut qui putrida exta habet, profert fœtentem halitum, ac male olentem.

XIII.

XIII. In hoc etiam improborum magis apparet amentia, quod putant ſe ſapere, ut ſtulti ſolent, neque ſinunt ſe corrigi & emendari, ſed adhortatorem monitoremque contemnunt & rident, nec medicinam admittunt, qua redire queant ad ſanitatem: nam altius hæret morbus infixus in cerebro. Quo efficitur, non eſſe audiendos eos, qui ſunt improbi, qui iracundi, qui ſuperbi, qui incontinentes, qui avari, qui invidi; nec quidquam eſſe cauſæ, cur eorum aut laude, aut vituperatione moveamur: neque enim recte judicat is, cujus ratio male affecta eſt, & emota e ſede, nec manet domi; ſed in plures funditur, inaneſque cupiditates.

XIV. Non ita tamen cæci ſunt, ac dementes plerumque vitioſi, ut non videant ullo modo, quæ in peccatis ineſt, fœditatem. Quare etſi quod turpe eſt, id volunt; tamen ejus nomen a ſe conantur repellere, & tegere malefacta, in quo etiam inſignem præſeferunt ſtultitiam: boni enim malunt videri, quam eſſe, cum utrumque, hoc eſt, & eſſe & videri facile poſſint, ut ſupra dixi (*cap.13. hujus libri*).

XV. Poſtremo ex eo etiam improbi magnam ſuſcipiunt infamiam, quod homines eſſe deſinunt, & mutantur in belluas: *verſi in malitiam*, ait Boetius (*de Conſol. Philoſ. lib.4. proſ.3.*) *humanam quoque amiſere naturam: ſed cum ultra homines quemque provehere ſola probitas poſſit, neceſſe eſt, ut quos ab humana conditione dejicit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiis videas, hominem exiſtimare non poſſis*: nam primum, ut bruta faciunt, non mente & ratione ducuntur, qua homines ſunt, & brutis præſtant; at ſenſibus, quos cum illis habent communes; vident præſentia, & his inhærent, conſequentia non proſpiciunt, nec futura conſiderant; rerum ſpecie moventur, non vi & natura; ideoque, quod bonum videtur, id appetunt & ſequuntur, quamquam revera bonum non eſt, ſed malum, & efficiens calamitatis aliquando ſempiternæ: qua in re ſunt animalibus ſtolidiores, quibus a natura eſt datum, ut commoda & utilia velint, quæ nocitura ſunt, ea declinent, ſibique conſulant, & diligenter corpus vitamque tueantur, quo bono potiuntur uno; at ſcelerati, cum conſtent ex animo & corpore, utrumque negligunt; quamquam enim ſtudent ea parare corpori, quæ

ad

Digitized by Google

ad ejus uſum conferre videantur; tamen illud enervant intemperantia, intempeſtivis vigiliis, aliiſque hujus generis; in animi vero incolumitatem curam conferunt plane nullam; quippe cum eum perdant, dum peccant.

XVI. Deinde cur non putes improbum in belluam eſſe mutatum, quem videas totum ſe dedere voluptatibus belluarum, ut gulæ, ut libidini? eas, quæ animi ſunt propriæ, & homine dignæ, deſerentem, immo voluntate abhorrentem? Illas quidem ſolas eſſe hominibus communes cum beſtiis, ait Aulus Gellius (*Noct. Attic. lib. 19. cap. 2.*) & icciꝛco *in pecudum, ferorumque animalium numero habetur, quiſquis eſt his ferinis voluptatibus prævinctus*; & Mantuanus ſimiliter [*apud Drexelium in Daniele cap. 12. §. 1.*]

Fit pecus omnis amans, dum pro ratione libido eſt,
Judicium nutu temperat omne ſuo:
Quiſquis enim vivit ſine lumine mentis, & uſu
Fert hominis vultus, ingeniumque feræ:
Eſt pecus, & fallax hominem mentitur imago.

Quis igitur ſi quid modo habet humani, his, quæ ſunt homini cum ſue, equo, aſino communia, gaudeat?

XVII. Quid vero, ſi in reliquis etiam, improbi ferarum mores imitentur? Nonne erunt omnino belluæ? *Avaritia fervet,* ait Boetius (*de Conſol. Philoſ. lib. 4. proſ. 3.*) *alienarum opum violentus ereptor? ſimilem lupi dixeris. Ferox, atque inquietus linguam litigiis exercet? Cani comparabis. Inſidiator occultis ſurripuiſſe fraudibus gaudet? Vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit? Leonis animum geſtare credatur. Pavidus ac fugax non metuenda formidat? Cervis ſimilis habeatur. Segnis ac ſtupidus torpet? Aſinum vivit. Levis, ac inconſtans ſtudia permutat? Nihil ab avibus differt. Fœdis immundiſque libidinibus immergitur? Sordidæ ſuis voluptate detinetur:* Et concludit: *ita ſit, ut qui, probitate deſerta, homo eſſe deſierit, cum in divinam conditionem tranſire non poſſit, vertatur in belluam.* (*vide & metr. 3. Boetii cit. loc.*) Immo quoniam contingit interdum, ut homo unus in ſe vitia colli-

ligat plurium belluarum, idemque ſit & ſuperbus, & invidus, & intemperans, & iracundus, animal erit & varium, & multiplex, & horribile, cum quo nec quæ

Seſe infernis e partibus erigit Hydra,

(*Cicero de Nat. Deor. lib.4.*) nec triceps Cerberus ſit comparandus.

XVIII. At quiſquis vitioſus eſt, figuram refert humanam, manus, vultum, erectum caput, & quoddam inſtar Rhadamanthi ſupercilium. Ita quidem, ſed in hominis figura immanitatem cum gerat belluæ, monſtrum eſt, quod magis exhorreſco, quam ferum quoddam animal: homo enim videtur, ſi corpus ſpectes; animam vero habet aut vulpis, aut lupi, aut canis, aut ſuis, aut aſini (*vide D. Jo. Chryſoſtom. Hom.6. in epiſt.2. ad Cor. cap.3. tom.4. & de Virt. & Vit. tom.5.*): humani corporis formam detrahe, & ferinam in ejus locum ſubſtitue, quod olim in Nabuccho Babyloniæ rege factum eſt, ut quibuſdam videtur (*Daniel.4.*) nihil præter beſtiam reliquum videbis eſſe: reperies quidem aliquod in eo fortaſſe vitium nulli animanti cognitum. Quapropter veriſſime ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *ſunt quidam homines non re, ſed nomine*, adde & figura; & Ariſtoteles præclare ſcribit (*lib. 1. Politic. cap.2.*) hominem, ſi diſcedat a lege, eſſe omnium animantium peſſimum; *ſic ſi a lege, & juſtitia remotus ſit, nulla ferarum fraus eſt tanta, nulla malitia, quæ poſſit cum ejus malitia contendere.*

XIX. Quoniam ita eſt, jure Diogenes, ut eſt apud Laertium (*lib.6. in Diog. cap.2. num 6.*) lucernam interdiu accendens, vel ut Stanlejus refert (*tom.2. hiſt. Philoſop. part.6. cap.5.*) claro & illuſtri meridie, *hominem*, ajebat, *quæro*, *& cum clamaſſet aliquandiu* [*Laertius cit. loc.*] *heus homines? conveniſſentque plurimi, baculo illos agebat dicens: homines vocavi, non καθάρματα*, quod & porcellos interpretantur. Sed hoc parum: ſunt improbi multo fœdiores, quam belluæ, ut Ariſtoteli eſt viſum (*cit. loc.*) quod enim in his natura eſt, in illis eſt vitium, flagitiumque ratione ac voluntate ſuſceptum, & quod beſtiæ moderate faciunt, ut in cibo, ut in potu, idem homines ſine modo, & inconſulte, & intempeſtive.

P XX.

XX. Videtis in quam humilem, & quam abjectum locum ſe ex excelſo honoris gradu dejiciat is, qui peccat; cum ſit belluarum dominus, & cæleſtium mentium ſimillimus, immo & Dei, cujus refert imaginem, depoſitis regiis inſignibus, & immemor dignitatis ſuæ accedit ad naturam belluarum, immo & infra hanc ſe præcipitat, tanta ſuſcepta infamiæ nota, quam vix delere ætas poſſit; & ad hunc malorum cumulum illud adjungit, quod cum calamitatem non ſentiat [neque enim ratione utitur, ut dixi] effertur ſuperbia, & qui beſtia ſit, homines contemnit & aſpernatur. Ita quidem ſe res habet miſeris hiſce temporibus, ut qui homines ſunt, rideantur a belluis. O vitæ philoſophia dux, expultrixque vitiorum, idcircoque tanti dedecoris & infamiæ, quantam in vitio ineſſe diximus, quam non minuunt, ut paullo ante vidimus, ſed exaggerant familiæ ſplendor, opum divitiarumque affluentia, forma corporis, ingenium, atque alia ornamenta fortunæ: qui enim his abundat, eum turpes actiones magis dedecent, ut turpius eſt nobilem, quam plebejum hominem publica nota, atque inſigni ignominia damnari. Hæc ſatis.

CAPUT XXII.

Vitium, ac Peccatum ſit ne pernicioſum.

I. Nihil eſſe utile, quod non ſit idem honeſtum, ſupra vidimus(*lib.1. cap.5.*) ubi etiam pauca tradita ſunt, ex quibus poteſt intelligi, quod turpe eſt, id non modo inutile eſſe, verum & maxime pernicioſum; nihilominus quædam addam, quæ ſunt hujus loci propria: cum enim ſæpe utilitate inducantur homines ad peccandum, ſpero fore, ut, damno propoſito, fugiant declinentque flagitia.

II. Et primum quidem Stoicis eſt viſum, nihil, niſi turpe, habendum in malis: *unum enim malum*, ait Seneca (*lib. de Conſtantia cap.5.*) *illi* [ſapienti] *eſt turpitudo*, quam & ſummum malum cenſent; & philoſophi plane omnes, quam-

quam

Digitized by Google

quam velint, alia quædam jure mala nuncupari, ut triſtari, ut dolere, ut mori; fatentur tamen, eorum vitium eſſe maximum, cum quo ſi cætera compararentur, nihil ſint facienda, ideoque mortem peccato eſſe multo potiorem: *mori quoque præſtat*, ait Epictetus [*ſentent.86.*] *quam male vivere;* & (*in Gorgia*) Socrates: *incredibili quadam, mirabilique magnitudine detrimenti atque mali, vitium animæ cætera ſuperat mala*: quod autem eſt malorum deterrimum, idem maxime noceat neceſſe eſt: nocet enim id omne, quod malum eſt; quoniam quod nocens non eſt, id ne malum quidem.

III. Deinde nemo eſt ſapientum, qui non ſentiat, vitium & culpam morbum eſſe, atque ægritudinem animorum; *quomodo autem in corpore eſt morbus, ægrotatio*, ait Cicero (*lib. 4. Tuſcul. qq.*) *& vitium, ſic in animo*. Et ſimiliter animi morbos multo graviores eſſe, quam corporis, quippequi partem diviniſſimam inficiunt, & lue impura contaminant, formamque omnem, quæ in illa eſt, honeſtatis, eamdemque pulcherrimam abſtergent, ac delent funditus: quæ vero eripiunt corpori ſanitatem, pernicioſa ſunt; itaque quanto magis quæ animo? Quemadmodum vero ægro corpore non licet quidquam agere, quod ſani hominis ſit, ac bene valentis; ita ægrotante animo, ac male affecto, nihil fere effici poteſt, quod ſit juſtum, quod forte, quod temperatum, quod virtuti conſentaneum; nec quidquam eſt, quod non arduum ac durum videatur: quæ quidem detrimento ſunt perquam maximo: quoniam ceſſat animus ab his, a quibus multum emolumenti capit; veluti ſi quis nequeat quæſtuoſam mercaturam facere. Eam ob rem peccatum παραλύσει comparatur, qua membrorum motus tollitur.

IV. Eſt autem tanta morbi vis, ut in rationem influat, eamque perturbet, ac afficiat cæcitate, & interdum inſania: quapropter qui ita affectus eſt, is non videt, quid ſequatur, aut fugiat; & quod dementis eſt omnino, præceps fertur, ut dixi capite ſuperiore: augetque adeo veterem ægritudinem acceſſione aliarum, ut nihil ſani reliquum ſit, & vix medicinæ locus eſſe videatur; quodque in corporis morbis ſolet uſuvenire, ut ea ipſa ſint noxia, quæ utilia ſunt, optimaque natura, ut ruſticatio, ut ludus animi gratia, ut liberum cælum, ut carnes, ut piſces, idem in vitio con-

Digitized by Google

tingit, quod animi morbum eſſe diximus: nam vitioſo homini, quæ ex ſeſe bona ſunt, ea nocent omnia, robur, valetudo, ingenium, opes & copiæ, dignitates, munera magiſtratuum. Hæc enim mirum in modum exaggerant ægrotationem, augentque vehementius; & quaſi peſtiferæ dapes male valentem animum necant: qui, ſi talibus careret, fortaſſe rediret ad ſanitatem, diuturna ac ſalubri inedia recreatus, & magna quadam amota malorum cauſa. Itaque recte Boetius (*de conſolat. Philoſ. lib. 4. pro. 7.*) *in improbitate manentibus peſſimam*, ait, *eſſe fortunam*.

V. In corporis morbo aliud eſt vitio ſimile: nam ut ægrotus ea ſæpe appetit, quæ nocent valetudini, reſpuitque, quæ proſunt; ita æger animus fere ſemper ea quærit & probat, quæ incommodum ſunt allatura, & admittit libenter, cum poteſt conſequi; quemadmodum hydrops ventrem complet vi aquæ, unde exiſtit interitus.

VI. Mox illud etiam in noxiis rebus ducitur, homines habere infenſos & adverſarios; quippequi ſæpius nocent iis, quos non amant, aut famæ detractione, aut fortunarum, aut vitæ; vel ſaltem non proſunt gratia, opibus, & conſilio: quibus rebus fere nemo eſt, qui non egeat, dum in communi ſocietate verſatur. Atqui vitium odioſum eſt omnibus, inviſum, moleſtum; probis quidem, quoniam, cum ſummo virtutis ſtudio teneantur, oderint id neceſſe eſt, quod eſt virtuti contrarium; improbis etiam, quibus, non ut propria, ita aliena vitia videntur boni ſpecie quaſi circumſepta, ſed ut ſunt, ita apparent, turpia ſcilicet, & odio digna; quod autem turpe & malum eſt, niſi boni ſimile aliquid habere videatur, execrantur plane omnes.

VII. Alia etiam de cauſa improbi ſibi hominum conflant invidiam, quod fere ſua quærunt commoda, etiam cum alieno incommodo; & nocent ſæpe cum ſingulis, tum communitati, furtis, rapinis, dolis, fraudibus, injuſtitia, adulatione, contumelia, maledictis, diſſenſionibus, diſcordiis, intemperantia, aliiſque vitiis, quæ peſtis ſunt, & pernicies domorum, civitatum, rerumque publicarum. Quamobrem omnibus aut detrimentum afferunt, aut detrimenti & incommodorum metum.

VIII.

VIII. Ex quo poteſt intelligi, cur, etſi quiſque, quod ſui ſimile eſt, id dicatur amare & appetere; tamen avarus avarum, ſuperbus ſuperbum, aliique alios generis ejuſdem fere inviſos habent: ut enim ſæpe vitia contraria ſunt inter ſe, ita & vitioſi; ac ſe mutuo mordent atque diſcerpunt, propterea quod alii aliorum detrahant aut utilitati, aut voluptati: quod ſi quando hæc duo, aut eorum alterutrum vitioſos coniungant inter ſe, cito ſolvitur conſociatio, eo ſublato, quod jucundum, aut utile videbatur.

IX. Verum, quod maxime formidandum eſt, vitium & peccatum hominem alienat a Deo O.M. quæ quidem abalienatio perniciem continet omnem; quoniam in Deo bona ſunt univerſa, extra Deum plane nulla. Itaque qui a ſummo bono diſceſſerint, hi malis cujuſque generis, ærumniſque cumulentur, infamia, paupertate, morbis, interitu, aut citius aut ſerius neceſſe eſt; & frequenter multum damni capiant ab igne, ab aqua, a procellis, ab anni temporibus, a belluis, quibus Deus utitur, tanquam adminiſtris ad hoſtium malefacta & ſcelera punienda. Immo homines etiam concitat adverſus impios, qui iccirco humana lege mulctantur, juſſiſque populorum & civitatum; neque patitur, ſi moliti quidpiam ſunt, quamvis occulte fecerint, id eſſe ſemper occultum: plerumque nutu & voluntate omnia moderantis Dei improborum facta *primo ſuſpicio inſequitur*, ut ſcribit Tullius (*lib.* 1. *de Finib.*) *deinde ſermo, atque fama, tum accuſator, tum judex.* Et Plato (*Dialog.*10. *de Repub.*) *Callidi quidem homines*, inquit, *& iniqui perinde faciunt, ac curſores illi, qui ab inferioribus currunt bene, a ſuperioribus minime: nam primo celeriter exiliunt; tandem vero riſum reportant auribus remiſſis ſine corona diſcedentes .... plerique enim ipſorum quamvis ad tempus ſua vitia celent; tandem in curriculi calce, quales ſint, deprehenduntur, ridiculi prorſus evadunt, & in ſenio miſeri a peregrinis, & civibus objurgantur.*

X. Sed eſto qui peccant, ii neque ab hominibus, neque a Deo puniantur, dum vivunt, quod raro accidit; ſciant, eo graviora ſibi, atque acerbiora ſupplicia conſtituta eſſe poſt obitum, quo in longius tempus dilata ſunt: juſtus enim cum ſit Deus, neminem ſinit unquam impune

pec-

peccare. O *dirum ſpectaculum*, inquit Plato (*Dialog.* 10. *de Repub.*) qui hæc narrata fingit ab Ero quodam milite a morte ad vitam revocato poſt dies decem: *dum enim egreſſuri hiatum peteremus, cætera omnia perpeſſi, illum protinus vidimus* (Ardieum qui in quadam Pamphyliæ civitate tyrannus fuerat) *alioſque cum eo, omnes ferme tyrannos, inter quos & privatos nonnullos, qui magna ſcelera perpetraverant, quos aſcendere jam ſe propemodum auſos hiatus ille minime permittebat, ſed horride mugiebat, quoties aliquis eorum, qui vel inſanabiles eſſent, vel nondum purgati, egredi niteretur. Aderant igitur illic feroces quidam viri aſpectu ignei, qui cum mugitum ſubito perpendiſſent, hos ſeorſum rapiebant, Ardieum ſcilicet, ejuſque perſimiles, manibuſque & pedibus & cervice devinctis proſternebant eos, excarnificabantque.*

XI. Quoniam vero neque improbi ignorant, quid futurum ſit, cum e vita exceſſerint, ſibique impendentem vident ſempiternam calamitatem; propterea mortem tantopere formidant, eamque ſentiunt multo acerbiſſimam; quod & in maximo detrimento ponendum eſt. Sed quo magis mortem timent, eo ſibi celerius adſciſcunt & intemperantia, & moleſtiis, & curis, aliiſque ægritudinibus, quæ cum ex animo in corpus influant ac redundent, ipſum labefactant atque conficiunt: inde enim exiſtunt & pallor, & macies, & varia morborum genera, in quibus, non aliunde quærenda medicina eſt, quam ex animi ſanitate.

XII. Sed nihil attinet ſingula percenſere: illud veriſſime dicam, nihil eſſe, quod incommodum & damnum inferat, nihil, quod nocere ullo modo poſſit, præter peccatum; hoc ſublato, futurum eſt, ut & privati homines, & familiæ, & civitates, & reſpublica, & ſocietas totius generis humani nihil patiantur, quod triſte ſit, ac pernicioſum. Eam ob rem omnium intereſt, improbos vel a ſcelere revocari, ſi fieri poteſt; ſin minus, exterminari; quippe qui nocent & ſingulis, & communitati: curant enim fere, & nituntur, ut plures habeant ſui quamſimillimos, eoſque depravant aut dictis, aut factis; itaque vitium ſerpit, manatque latius ex uno in multos, quaſi fœda & impura contagio: *trahunt in pravum parentes*, ait Seneca (*epiſt.* 94. *trahunt ſervi: nemo errat uni ſibi, ſed dementiam ſpargit in*

pro-

Digitized by Google

proximos, accipitque invicem. Et ideo in ſingulis vitia populorum ſunt, quia illa populus dedit: dum fecit quiſque pejorem, factus eſt. Didicit deteriora, deinde docuit. Ex quo non modo perturbatio conſequitur, ſed etiam rerum publicarum everſio. Damna, quæ ex peccato naſcuntur, enumeravi alio in loco [*Theolog. mor. lib.3. cap. 5.*] Cæterum non ſatis intelligo, quam ob rem homines, cum pro viribus damnum omne a ſe conentur repellere famæ, corporis ac fortunarum, non temperent a malefactis, quæ ſolum nocere poſſunt; immo quod dementis eſt, ea fore putent emolumento. Huic inſaniæ parandum remedium eſt præceptis, inſtitutiſque cum ſacrorum librorum, tum etiam philoſophiæ.

CAPUT XXIII.

Sit ne Vitium, ac Peccatum moleſtum.

I. QUoniam omnes fatentur, & nos ſupra diximus (*lib.1. cap.20. lib.3. cap.12.*) ſatis magnam vim eſſe in virtute ad beatam vitam; nonne fatendum eſt, eamdem vim in vitio eſſe ad miſeram vitam? Primum quidem ex turpitudine, & detrimento, quod a flagitio exiſtit, (*vide cap. 21. & 22. hujus libri*) ægritudo magna, ac moleſtia conſequatur, neceſſe eſt: omnia enim quæ turpia ac pernicioſa ſunt, eadem ſunt moleſta, ut exilium, ut bonorum proſcriptio, ut amiſſio valetudinis & pecuniæ, ut alia generis ejuſdem.

II. Deinde illud moleſtum eſt, te, quod velis conſequi, nunquam poſſe; hoc autem cadit in improbum, qui vult explere inſatiabiles cupiditates, ſecumque diffidentes; ex quo ſequitur, ut nullus ſit unquam paci locus: *neque enim civitas,* ait Cicero (*lib.1. de Fin.*) *in ſeditione beata eſſe poteſt, nec in diſcordia dominorum domus: quo minus animus a ſe ipſo diſſidens ipſe, ſecumque diſcordans guſtare partem ullam liquidæ voluptatis ac liberæ poteſt; atqui pugnantibus,*

&

& contrariis ſtudiis, conſiliiſque ſemper utens nihil quieti videre, nihil tranquilli poteſt. (*Vid. cap.13. hujus libri*)

III. Præterea nihil poteſt eſſe moleſtius, quam habere ſemper hærentem penitus in viſceribus inteſtinum hoſtem, qui animum quaſi pungat ac fauciet dies nocteſque, nec ipſum frui patiatur ulla plane voluptate: neque vero inſtrumentis eget ad vulnerandum, & miſeram vitam efficiendam, non paupertate, non dolore, non morbis, non bello, non incendiis, non eluvionibus, non tandem adverſa fortuna: ipſe per ſe importat omnem calamitatem, ut ſcriptum eſt a Plutarcho [*Opuſc. An vitioſitas ad calamitatem ſufficiat*] *Sic vitioſitas*, inquit, *afficit homines, omnia in ſe habens ad infelicitatem fabricandam poſita, neque inſtrumentorum egens, neque famulorum . . . . abſque ullo apparatu ſimul atque animum attingit, affligit atque dejicit, implet dolore, lamentis, mæſtitia, pœnitentia hominem.* Contra tyranni alant neceſſe eſt carnifices & tortores; cuneos, & rotas, & aculeos expediant, ut eos miſeros faciant, quos puniunt.

IV. Ipſa infenſa fortuna, gravis, acerba, miſerum & ærumnoſum facit neminem, niſi in ſubſidium advocet pravitatem. Afferat enim latrocinia, bella, cædes, gladios, incendia, fulmina, tempeſtates, febres, compedes, carceres, paupertatem, crucem, aliaque hujus generis: efficiet ne miſeram vitam? Non ita. *Quos ergo iſta faciunt miſeros?* pergit Plutarchus [*cit. loc.*] *Eos, qui molles ſunt, & parum habent rationis, male educatos, non exercitatos, qui opiniones a teneris conceptas unguiculis ſervant. Proinde non fortuna infelicitatem perficit, niſi pravitate utatur adjutrice.*

V. In quam rem præclara affertur ſimilitudo: *ſicut enim*, inquit, *oſſa finduntur filo, poſt quam ſunt aceto, & cinere perhumectata, ac ſicut ebur zytho emollitum, atque laxatum flectunt, inque varias formas fingunt, cum id fieri aliàs non poſſit; ſic fortuna, quod ex ſeſe male affectum, mollitumque eſt vitiis, ſuperveniens vulnerat, atque perforat.* Cæterum ſi in virum integrum ac ſanum incidat, vim habet fere nullam, ut ſupra dixi [*cap. 12. lib. 3.*] ſummamque cutem attingit, non pervadit ad animum. Quot enim fuerunt etiam priſcis temporibus, qui etſi unam ſequerentur rationem ducem; dura tamen omnia contemnerent, & pro ni-

nihilo ducerent, ut Metrocles, Diogenes, Socrates, Decius, Chrates, Theodorus? Uxores apud Indos, quæ ſe felices putarunt, ſi cum mortuis viris comburerentur? (*vide Plutarchum cit. loc.*)

VI. Si quem igitur videris adverſis rebus fœde proſtratum, ac jacentem, ſic habe, hunc non calamitate adeo confici, ſed vitio & cupiditatibus, ſuperbia, avaritia, libidine, invidentia; quibus ſublatis, ærumnæ ac infortunia nihil habent, quod pertimeſcendum videatur.

VII. Neque vero loci mutatio affert ullam ægroto, ac male affecto animo medicinam: nam, ut ſcribit Horatius (*lib.* 1. *Epiſt.* 11.)

Cælum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

Venenatum telum, quod infixum eſt penitus in medullis, extrahi non poteſt migratione, ac peregrinatione regionum: idem declarat Juvenalis (*Satyr.* 13. *v.*193.)

. Hos tu
Evaſiſſe putas, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,
Occultum patiente animo tortore flagellum.

Qua in re improbi vehementer errant, quoniam arbitrantur, ſe graviſſimæ moleſtiæ levamentum aliquod allaturos, ſi cum hic ſunt, alio proficiſcantur; nec intelligunt, curas, ſollicitudineſque ſecuturas, quocumque ierint: quippe quæ intimæ ſunt, & abditis ſenſibus implicatæ; nec eas repellunt aut ludi, aut joci, aut epulæ & convivia, aut familiaritates, aut alia ejus generis, quæ improbi conſectantur: hæc enim extrinſecus ſunt; dolor autem, & moleſtia intrinſecus, quæ occultari poteſt quodammodo [etſi difficile id quidem] tolli non poteſt.

VIII. Quod ſi qui vitioſus eſt, idem eſt dives, aut ex claro genere, aut gerit magiſtratum, tum multo miſerior: in eo quippe injuſtitia habet arma, quæ, ut enſis in hominis furentis ac violenti manu, non poſſunt non obeſſe plurimum. Eademque eſt ratio, ſi vir malus valet ingenio,

Digitized by Google

aut gratia: habet enim inſtrumenta vitiorum, quibus ut deterior, ita miſerior poſſit evadere: quare monſtrum omnium deterrimum, maximeque miſerum eſt improbus præſidiis inſtructus ad peccandum; fitque calamitatis acceſſio etiam ex corporis valetudine ac robore, omnibuſque fortunæ muneribus, quæ cæteroquin opportuna poſſint eſſe vitæ beatæ: *nam quibus male affectus eſt animus*, ait Ariſtoteles (*apud Stobeum ſerm.* 3. *qui eſt de Prudentia tom.* 1.) *illis non divitiæ, non robur, non forma pro bonis ſunt; ſed quo majus augmentum acceperint, eo pluribus majoribuſque damnis poſſeſſorem ſuum mulctant, cuicumque ſine prudentia acceſſerint.*

IX. Quæ quidem omnia ita ſe habent, licet abſit a ſcelere pœnarum metus: ineſt enim in ipſa improbitate ſupplicium: rurſus Juvenalis (*Sat.* 13.)

Exemplo quodcumque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori: prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallaci Prætoris vicerit urna.

Supplicium illud exiſtit a mala conſcientia, quæ maxime torquet impium, & recordatione male actæ vitæ, & cognitione ejus turpitudinis, qua modo animus polluitur & inquinatur, & metu futuræ calamitatis.

X. Primum recordatione malefactorum; quorum ſingula ponit ante oculos, exprobratque temeritatem, & imprudentiam, ac inſaniam ſingularem: *ſtulti autem*, ait Cicero (*lib.* 1. *de Fin.*) *malorum memoria torquentur*; & rurſus: *cum ea, quæ præterierunt, acri animo & attento intuemur; tunc fit, ut ægritudo ſequatur, ſi illa mala ſint*. Eſt autem hæc ægritudo multiplex pro ſcelerum varietate ac numero, quorum nihil ſupereſt omnino, niſi dolor & pœnitentia, quæ futura ſunt perpetua; cum fuerit breviſſima delectatio. Objicit etiam conſcientia fruſtra exantlatos labores in perquirendis commodis, ac voluptatibus: *conficiuntur* (mali) pergit Tullius (*cit. loc.*) *& angore, & metu, maximeque cruciantur, cum ſero ſentiunt, fruſtra ſe aut pecuniæ ſtuduiſſe, aut imperiis, aut opibus, aut gloriæ: nullas enim conſequuntur*

vo-

Digitized by Google

voluptates, quarum potiendi ſpe inflammati multos labores, magnoſque ſuſceperant.

XI. Mox a conſcientia explicatur omnis, quæ nunc inhæret in animo, turpitudo: is quidem, cum ſe videat virtutibus exutum & quolibet ornamento ac forma honeſtatis, & vitiorum lue undique circumſeptum, ſentiatque ſimilitudinem cum Deo eſſe deletam, nihilque intueatur, niſi ſordidum & abjectum, ac fere deſperet fore unquam, ut tantam luem, ac tam inveteratam, & altius inhærentem, poſſit abſtergere, morbumque pellere mortiferum ac diuturnum, incredibili mœrore tabeſcit. *Quod ſi*, ait Cicero (*lib. 1. de Fin.*) *corporis gravioribus morbis vitæ jucunditas impeditur, quanto magis animi morbis impediri neceſſe eſt? Animi autem morbi ſunt cupiditates immenſæ & inanes divitiarum, gloriæ, dominationis, libidinoſarum etiam voluptatum. Accedunt ægritudines, moleſtiæ, mœrores, qui animos exedunt, conficiuntque curis.*

XII. Poſtremo, quod moleſtiam auget mirum in modum, eſt expectatio futuræ calamitatis; & primum mortis: *accedit etiam mors*, ſcribit Cicero (*lib. 1. de Fin.*) *quæ quaſi ſaxum Tantalo ſemper impendet;* deinde pœnæ etiam ſempiternæ; rurſus Cicero (*cit. loc.*) *fieri tamen permagna acceſſio poteſt, ſi aliquod æternum & infinitum impendere malum nobis opinemur.* Impiis autem cum mors ſemper imminet, tum graviſſimi & infiniti cruciatus in omne poſterum tempus: qui in hoc metu eſt, quantis eum triſtitiæ fluctibus abſorberi neceſſe eſt? Ridiculum vero, quod multi mœroris cauſam putant eſſe vel temporum viciſſitudines, vel adverſos caſus, vel hominum inſolentiam & moroſitatem, quibuſcum vivunt, aut naturam, quæ ſit ad *μελαγχολίαν* propenſior; cum plerumque angor animi omnis in vitium & peccatum ſit conferendus.

XIII. Porro cum malum, ex quo triſtitia naſcitur, firmum ſit ac perpetuum; neque enim tollitur, niſi ſublato vitio, deletaque labe conſcientiæ; conſequens eſt, & ipſam triſtitiam nunquam abſtergi poſſe, quatenus flagitium manet. Reliqua quidem mala paulatim oblivione tolluntur; ut jactura opum, ut mors amicorum, ut acceptæ injuriæ; at quod a mala conſcientia exiſtit, nec tolli unquam, nec minui poteſt: illa enim ſemper impium fodit ac cruciat, nullamque

que rationem habet loci, temporis, ætatis, ac fortunarum. *Ecce autem*, inquit Cicero (*lib.1. de Fin.*) *alii minuti & anguſti, aut omnia ſemper deſperantes, aut malevoli, invidi, difficiles, lucifugi, maledici, monſtroſi, alii autem etiam amatoriis levitatibus dediti, alii petulantes, alii audaces, protervi, iidem intemperantes, & ignavi, nunquam in ſententia permanentes; quas ob cauſas in eorum vita nulla eſt intercapedo moleſtiæ.*

XIV. Sed propterea rerum imperiti falluntur, quod vitiorum via initio amœna videatur; cum deinde ſit pleniſſima moleſtiarum: quamobrem ſcriptum eſt a Lactantio [*Div. Inſtit. lib.6. cap.3.*] *quos autem primi aditus* (virtutis viam intellige) *difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atque deflectere, quæ primo ingreſſu ſit quaſi amœna, multoque tritior; deinde cum in eam paullo ulterius proceſſerint, amœnitatis ejus ſpeciem repente ſubduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc ſaxis aſperam, nunc obductam ſentibus, nunc gurgitibus interciſam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere ſit neceſſe. Quæ omnia eo referuntur, ut appareat . . . . . vitia quibuſdam delinimentis naturalibus allicere animos hominum, & inanium jucunditatum ſpecie captos ad acerbas amaritudines miſeriaſque perducere.*

XV. Eſt etiam aliud, quod in errorem inducit incautos, hoc eſt, eorum aſpectus, & conſuetudo, qui etſi peccant, quamdam tamen præſeferunt hilaritatem jocis, ac riſu; ſed intelligendum eſt, hanc lætitiam frontis eſſe, fictam ac ſimulatam; hærere vero in animo vepres, viperam venenatam atque peſtiferam, vulnus, rabiem, immo domeſticas furias, quibus beati illi dilacerantur. Id vero intelligi non poteſt, niſi patrato ſcelere: tunc enim apparet laniatus, ac vis occulta conſcientiæ. In hanc rem quædam dixi alio in loco (*lib.1. cap.4.*)

XVI. Quamquam hæc ita eſſe, & ratio, & auctoritas ſapientum, & experientia convincit, tamen plerique hominum eo veniunt inſaniæ, ut ſcelerate velint vivere voluptatis cauſa; qua quidem re nihil poteſt eſſe dementius: nihil enim eſt in peccato, niſi triſte, niſi grave, niſi moleſtum: immo illud unum efficiens eſt calamitatum, & ægritudinum: reliqua omnia careant acerbitate, ſi animus bene

va-

Digitized by Google

valet, & temperans eſt, & juſtus, & fortis, & patiens, excelſus ac generoſus: neque enim mala ſunt, quæ a terrenis nos abſtrahunt, & viam muniunt ad beatam vitam, quæ virtutis eſt merces præclara, ampliſſima, ſempiterna.

CAPUT XXIV.

Sit ne Vitium, & Peccatum difficile.

I. MAlorum via, ut paullo ante dixi, aſpera eſt, & plena ſalebrarum, præceps, ac flexuoſa, quamquam ſtulti ſecus exiſtimant. Itaque qui hoc itinere progrediuntur, eos difficultatibus impediri neceſſe eſt. Hoc autem facile intelliget, qui vitioſos ſingulos conſiderare velit attentius: quot enim labores exantlandi ſunt a ſuperbo, avaro, libidinoſo, iracundo, gulæ dedito, invido, injuſto, & ab aliis, qui aliquo vitio implicantur?

II. Primum veniat in medium ſuperbia. Qui ſtudio tenetur laudis & gloriæ, magiſtratus, imperii, ac dignitatum, vel contabeſcit in literis dies ac noctes; vel eos adit, comitatur, rogat, quorum ope, ac gratia ſperat ſe, quod velit, conſecuturum, vel multum operæ ponit in deprimendis repellendiſque competitoribus, aut in partis amicitiis ſervandis, aut aliis, maxime vero nobilibus ac principibus viris ad familiaritatem adjungendis.

III. Avaritia plena eſt incommodorum: nunc vigilandum etiam intempeſta nocte, nunc contrahendum; videndum, ne quid detrimenti patiantur prædia, greges, armenta, ædificia; datum acceptumque in tabulas referendum; terræ interdum ac maria obeunda opum comparandarum gratia; uni tandem negocio alia graviora ſuccedunt ſine ulla contentionis intercapedine. Incontinentia adjunctam habet virium infirmitatem, malamque corporis valetudinem, & maciem, & morbos quandoque inſanabiles, quos ſuſcipere difficile, ac durum ſano cuique videatur. Ad contumelias, ad diſcordias, ad rixas, ad cædes, ad pecunias & opes effundendas ul-

ultionis cauſa impellit iracundia, & animi impetus concitatior. Qui vino ac cibis ſe ingurgitat, perferat neceſſe eſt, & febres, & morbos, capitis dolorem, ſtuporemque membrorum, ac ſtomachi cruditatem. Invidi, malevoli, lividi acertimo longe omnium motu agitantur. Quantum vero incommodi patiuntur injuſti, dum aliena diripiunt, teſtamenta ſupponunt, fœnora paciſcuntur, nihil prætermittunt induſtriæ, ut ad ſe id trahant quod poſſunt, & vi aut dolis extorqueant, repugnante natura, & contra juſſa civitatum ac populorum.

IV. Denique omnes improbi ſentiunt, ſe difficultatibus, gravique labore confici, dum id ſequuntur, quod turpe eſt; id autem apertius intelligent, cum eam, in quam dementer ac temere ingreſſi ſunt, viam confecerint: tunc enim dubitare non poterunt, quin in conquirendis divitiis, honoribus, & voluptatibus fruſtra laboraverint; cum non felicitatem aſſequentur, quam appetebant dictis & factis in omni vita, ſed in malum incident ſempiternum. Præterea huc id pertinet, quod ſæpe dixi, inſatiabiles eſſe cupiditates: quantum igitur homini laborandum putamus, qui velit eis ſatisfacere, præſertim cum a nemine poſſit accipere, quo caret? Poſtremo, quæ capite ſuperiore explicata ſunt, ea in hunc locum transferas fere omnia: quod enim maxime moleſtum eſt, idem eſt pleniſſimum difficultatis. In memoriam ea revocanda ſunt etiam, quæ de virtutis facilitate diſputavimus (*lib.* 3. *cap.* 13.): nam ex contrariis cauſis contraria conſequuntur.

V. At enim: peccare & labi facile eſſe fatentur omnes, & factis etiam comprobant: etenim plerique prolabuntur in vitium. Ita quidem, ſi peccati ſpectes initia, & primum quaſi veſtibulum improbitatis; omnia amœna ſunt, & fere plana: at cum te in illam dejeceris quaſi in præcipitem locum, atque æſtuoſum gurgitem, hoc eſt, cum peccaveris, tum ſenties difficultatem, & ſpinas, & ſaxa, & contuſa membra, doloremque arctuum ac viſcerum, & fluctus ac tempeſtates: quemadmodum ergo difficilis eſt navigatio, aut natatus irato mari, & iter, & lapſus per prærupta loca, ac vepribus, lapidibuſque conſita, quamquam labi & mergi facile ſit volenti; ita eadem eſt peccandi ratio.

VI.

VI. Quod ſi qui tamen ſunt, qui flagitium flagitiis cumulent, eos ſtultis annumera, qui ne ſibi quidem ipſi credunt; eorumque eſſe ſimillimos puta, qui licet ſæpe naufragium fecerint, aut vulneribus in bello fere confecti ſint, aut clavis ac fuſtibus a ſævo inimico male mulctati, aut acerbiſſimam ſervitutem ſervierint; non habent tamen perſuaſum, difficile eſſe & navigare, & pugnare, & cum forti adverſario congredi, & ſervitutis jugum pati. De vitiis & virtutibus univerſe ſatis. Veſtrum erit videre, quanto ſatius ſit honeſte vivere, quam peccare.

Digitized by Google

PARS II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De Prudentia.

I Quanquam Heineccio [*in Elem. Phil. mor. cap.3. ſect.3.* §.118.] eſt viſum, prudentiam non eſſe virtutem; tamen ſecus eſt omnino judicandum. Eſt illa quidem virtus mentis ſuapte natura: oſtendit enim, quid ſequaris, aut fugias; verum & in mores ita influit, ut moralium virtutum ſit princeps: quoniam ſine ea, quippe quæ rectrix eſt humanarum actionum, nihil recte effici poteſt, & virtus nulla conſiſtere, ut ſupra dixi (*lib.3. cap.3.*)

II. Itaque ſapienter Jamblicus (*apud Stobeum tom. 1. ſerm.3. qui eſt de Prudentia*) *Prudentia*, inquit, *virtutum princeps eſt, reliquiſque omnibus utitur, atque ipſarumque ordinem, modum, & occaſionem in præſentia, tamquam oculus quidam mentis undequaque lucidiſſimus oſtendit.* Si cui ergo prudentiæ laudem detrahas injuria, ei quaſi aciem eruis oculorum, comprobaſque judicio tuo, nihil ab ipſo, quod bonum, malumque ſit, cerni, nihilque geri poſſe ſapienter; qua vituperatione vulnus infertur maximum famæ, ac dignitati. Nobis interim videndum eſt inprimis, ut prudentiæ ſimus compotes, eamque ſequamur ducem in omni vita: idcirco de virtute hac, ex qua pendet honeſta actio, diſtinctius diſſeramus, neceſſe eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid ſit Prudentia.

[stamp]

I. Ariſtoteles (*lib. 6. Ethic. cap. 5.*) *Prudentiam*, ait, *animi affectionem eſſe vera cum ratione conjunctam, quæ vim habeat ad ea gerenda omnia, quæ ad vitam degendam pertinent*. In eo, quod affectio dicitur, cum reliquis convenit non modo bonis, ſed etiam pravis habitibus; quippe qui omnes animi affectione, quaſi genere, continentur. Vera autem ratio, cum qua prudentiam oportet eſſe conjunctam, eam ſecernit a vitiis; eſt enim vera actio, quæ recte judicat, & res novit, ut ſunt in ſeſe, non ut videntur eſſe: in quo genere eſt vitium, quod multis bonum apparet, & expetendum; cum eo nihil poſſit eſſe deterius. Tandem poſtrema definitionis verba ita prudentiam circumſcribunt, ut eam a cæteris omnibus ſejungant ac ſeparent, propoſita materia, in qua verſatur: prudentia enim in iis cernitur, quæ ad vitam degendam pertinent; qua in re ab intelligentia, a ſapientia, a ſcientia, ab arte differt, cum quibus videtur conſentire quodammodo: quoniam intelligentia eſt cognitio principiorum, quæ demonſtratione non egent: ſapientia vero eorum eſt, quæ maximo ſunt in honore, ac pretio, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib. 6. Ethic. cap. 7.*) *Scientia autem omnis* (*Ariſtoteles lib. 6. Ethic. cap. 6.*) *quædam rerum univerſarum comprehenſio eſt, earumque omnium, quæ ſunt neceſſariæ*: poſtremo ars in exteriore opere & effectione; at prudentia in conſilio, & actione verſatur.

II. Ex quibus conſequens eſt, poſſe aliquem eſſe & doctum, & ſapientem, & eruditum artium & diſciplinarum, qui non ſit idem prudens: ea quippe non ex iiſdem principiis exiſtunt, ex quibus prudentia, ut videbimus: *quocirca*, ait Ariſtoteles (*lib. 6. Ethic. cap. 7.*) *Anaxagoram, Thaletem, cæteroſque tales ſapientes nominant; prudentes non item; cum eos cernant, quæ ipſis utilia ſint, ignorare: quos eoſdem tenere, ac ſcire ajunt res minus neceſſarias, illas quidem*

dem & admirabiles, *arduas & divinas*, *ſed inutiles; quod ea non quærant*, *quæ hominibus proſint*; videlicet, quæ ad bene beateque vivendum conferunt: in quam rem omnes vitæ actiones referre prudentis eſt; hoc eſt, ſingula facta, dicta, & conſilia perpendere ac moderari; & ſequi, quæ ſunt utilia; & declinare, quæ nocitura videantur.

III. Ex quo rurſus poteſt intelligi, materiam, quæ eſt ſubjecta prudentiæ, non neceſſariam eſſe, ſed fortuitam, maximeque incertam ac dubiam: eſt enim quælibet humana actio, quæ varia poteſt eſſe pro varietate hominum, temporum, ac locorum; quandoquidem diverſa mortalium indoles, natura & conditio, diverſa communitatis, & reipublicæ tempora diverſas ſimiliter cum agendi, cum vivendi rationes poſtulant; pendentque multa plerumque a futuro eventu, quem nemo hominum poſſit cognoſcere. Huc ſpectat, quod eſt apud Lucretium (*lib. 5. de Nat. rerum*)

Uſque adeo res humanas vis abdita quædam
Obterit, & pulchros faſces, ſævaſque ſecures
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.

apud Horatium (*lib. 3. Ode 29.*)

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

IV. Eam ob rem ſatis conſtat, qui prudentia valeant, eos eſſe perpaucos: præcepta enim hac de re certa traduntur fere nulla, & vix tradi poſſunt; nullæ præterea ſcholæ prudentiæ patent, aliis autem artibus, & diſciplinis multæ; ex quo ſequitur, ut facilius invenias & theologos, & philoſophos, & mathematicos, alioſque doctos viros, quam prudentes; cum tamen melior ſit prudentia ſine ſapientia, quam ſapientia ſine prudentia: hac enim ſi qui excellant, & ſibi & aliis maximum emolumentum pariunt, ut olim ex Græcis Themiſtocles, Epaminondas, Pericles, Pelopidas, Cimon (*Vid. Victor. in Comm. ad Ethic. Ariſt. cap. 6. pag. 322. verſ. Valet*) & ex Romanis Marcus Marcellus, Sempronius Gracchus, L. Lucullus, Valerius Publicola, Fabius, atque alii, de

de quibus ſcribit Pontanus (*de Prudentia lib.* 5.) & qui recenſentur a Petrarcha (*Rerum Memorab. lib.*4. *cap.*1.) & ab Andrea Eborenſi (*Exempl. memorab. tit. de Prudentia*); noſtri autem præſertim, qui ſanctitate floruerunt: nam ſanctitas ſolet fere ſingularem adjunctam habere prudentiam, quippe quæ cum a quibuſdam idonee definiatur *ars vivendi*, & a Cicerone (*lib.* 1. *Offic.*) *expetendarum, fugiendarumque rerum ſcientia*, vel (*lib.* 2. *de Invent.*) *rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia*: hæc maxime cadunt in ſanctos viros, qui nihil expetunt, niſi quod honeſtum eſt, & opportunum atque appoſitum ad bene vivendum.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Prudentia.

I. Triplex eſſe dicitur præſertim prudentiæ genus: alia enim eſt prudentia monaſtica, alia domeſtica, alia politica. Monaſtica, ſeu privata eſt, qua quiſque mores ſuos, vitamque omnem ita regit, ut nihil faciat, quod rationi, ac naturæ repugnet; nihil temere, nihil inconſiderate, ſed omnia decore, & cum dignitate; itaque ſit comparatus, ut poſſit, quamobrem quidquam egerit, aut dixerit, aut certum quoddam conſilium ſuſceperit, probabilem cauſam reddere ſciſcitanti: quo efficitur hac prudentia præditum eſſe oportere & principem, & patrem familias, aliiſque præfectum quemlibet; quippe qui bonus non modo rector, ſed & vir bonus debet eſſe. Prudentia domeſtica, vel œconomica eſt, quæ in recta domus, & rei familiaris gubernatione verſatur: tandem politica, qua bene & ſapienter reſpublica ac civitas adminiſtrari, & tranquilla ac beata effici poteſt.

II. Harum vero trium partium ſingulæ in alias poſſent dividi: quoniam privatæ prudentiæ tot ſunt partes, quot ſpecies ac formæ virtutum, quibus operam debet is dare, qui prudens velit eſſe: neque enim qui prudenter gerit ea,

quæ pertinent ad temperantiam, continuo eodem ea gerat modo, quæ in fortitudine, & juſtiria cernuntur, aliove virtutum genere. Item œconomica vel ad filios refertur, vel ad uxorem, vel ad famulos, vel ad rem familiarem; quare varia eſt pro munerum varietate. Tandem politicam recte tribues in togatam, & militarem: illa pacatæ præeſt reipublicæ, & domi moratur, ut civium tranquillitati conſulat; hæc foris, militiæque cernitur, proſpectatque omnia, & rite diſponit exercitus ducendi, ac victoriæ referendæ gratia. Togata non una eſt, ſed multiplex, prout varia eſt imperii ratio: vel enim eſt illud Monarchicum, vel Ariſtocraticum, vel Democraticum; quæ quidem imperia quemadmodum non iiſdem legibus gubernantur, ita nec una prudentia. Maxime vero prudentia nata eſt ad leges ferendas, ſanciendaſque ſapienter; quæ idcirco Legislatrix, ſeu Nomothetica nuncupatur. Militaris tandem tot ſunt partes, quot militiæ ac bellorum genera. His adde, ſi lubet, legalem prudentiam, eorum propriam qui legum ac juris maxime fuerint ſtudioſi ac periti, quales ferunt fuiſſe Scævolam, Ulpianum, Paulum, alioſque plures. Quibus efficitur, nihil eſſe difficilius, quam ea valere prudentia, quæ in tot formas ſe accommodet, ut ita dicam, quot infinita rerum, temporum, locorum, perſonarum adjuncta, & diſcrimina, & multiplices eventus poſtulant.

CAPUT III.

Quæ ſint generatim Prudentiæ munera.

I. Triplex eſſe prudentiæ munus fere convenit, hoc eſt, recte conſultare, judicare, imperare. Eſt autem conſultatio perſcrutatio diligens quædam, mentiſque in rebus dubiis, quæ ad finem conferunt, agitatio, ut omnibus conſideratis, ac bene perſpectis, intelligi poſſit, quid ſit optimum, & ad deligendum opportuniſſimum. Videlicet quæ ſub deliberationem cadunt, res ſunt ambiguæ, habereque

que ſe aliter poſſunt: certas enim, & cognitas, non eſt, cur quis exquirat ac perſcrutetur. Porro conſultatio eſt de viis, quæ ad propoſitum finem exitumque perducant, & ſi quando de fine ſit, tum is ſpectatur, ut via: nam in finem, qui ſit ultimus, quippe qui eſt neceſſarius, nulla cadit deliberatio: quamobrem ſcriptum eſt ab Ariſtotele [*lib. 6. Ethic. cap. 7.*] *Prudentis maxime proprium eſſe dicimus bene deliberare. De iis autem nemo deliberat, quæ ſecus cadere non poſſunt, neque de iis, quæ ad finem non referuntur, in quo ſitum ſit, quod agendum eſt, bonum.*

II. Quod vero dixi munus eſſe prudentis recte conſultare: hoc ideo dictum puta, tum quod niſi recte & mature, ut par eſt, ineatur conſilium, præcipitare id eſt, non conſultare: tum quod conſilium a prudentia profectum illud minime eſt, cum vel finis non eſt honeſtus, ut is quem habent ſibi propoſitum latrones, ſicarii, tyranni, libidinoſi; vel non honeſta quam inis, finis aſſequendi gratia, via & ratio; quamquam id, quod vis, aſſequare: prudentia enim virtus eſt; virtuti autem ſemper eſt id propoſitum, quod decet: *at poteſt illud ipſum*, ait Ariſtoteles [*lib. 6. Ethic. cap. 9.*) *quod bonum eſt, falſa ratione collectum obtineri, & ad id, quod faciendum eſt, non qua ratione æquum eſt, ſed falſa via media pervenire. Bonum igitur conſilium eſſe nullo modo poteſt, quo ad id quidem pervenitur, quod ſit honeſtum, non autem qua ratione decuit*: & rurſus: *quod ſi prudentis eſt bona conſilia inire, verum conſilium ſit, neceſſe eſt, recta via & ratio ad finem aliquem conſequendum utilis, cujus ſit vera exiſtimatio in prudentia.* Improborum igitur non eſt bonum conſilium vel ſibi capere, vel aliis dare; quippe qui fere aut ignorant, aut non ſpectant honeſtatem cum finis, tum viæ ad eum aſſequendum accommodatæ.

III. Alterum prudentiæ munus, quod eſt judicare, in eo poſitum eſt, ut ſtatuas, poſteaquam omnia ſunt excuſſa diligentius, quid eligas tamquam optimum, ſeu qua tandem via propoſitum finem aſſequaris: ſunt enim nonnulli, qui excogitandis rationibus ſunt aptiſſimi, inepti vero ad judicandum, quid facto ſit opus.

IV. Tertium prudentiæ munus, hoc eſt, imperandi, ſocordiam repellit, præſcribens, ut, quod decretum eſt, impigre

gre

gre geras; &, ſublato difficultatum ac laborum metu, exequaris celerius, quoad fieri poteſt: quo ſpectat illud Biantis (*apud Stobeum tom.1. ſerm.3. de Prud.*) *ſero aggredere; quod autem cœperis, conſtanter abſolve*. Hæc cadunt quidem in omne prudentiæ genus; ſed ſpeciatim privatæ, œconomicæ, ac civilis quænam ſint officia, aliquanto fuſius arbitror explicandum.

CAPUT IV.

Quæ ſint privatæ Prudentiæ munera.

I. DUo ſunt, in quibus plurimum hæc prudentia valet & cernitur. Alterum quidem eſt certum aliquod, & commodiſſimum e multis eligere vivendi genus: qua in re cum magnum ſit momentum ad quietam beatamque vitam in omne poſterum tempus, ſingularem adhibere oportet ad conſiderandum curam ac diligentiam, ne quid deinde incidat, quod plenum ſit periculi & moleſtiarum.

II. Cave autem in primis, ne quo te ferat impetus concitatæ cupiditatis, ut plerumque aſſolet, non libido voluptatis, non incenſum gloriæ ſtudium, opum ac divitiarum; aut domeſticorum inſolens adhortatio, aut etiam reprehenſiones ac minæ, quæ ad domus quidem, ac familiæ commoda, at nullo modo ad tuam ipſius utilitatem referantur: quoniam, quæ tibi a natura eſt data libertas in degendæ vitæ delectu, eam tueri conſentaneum eſt; modo nihil facias temere, ſed prudentiam & rationem ſequaris, qua duce ac magiſtra, rebus omnibus, quæ ad bene deliberandum valent, cognitis, penituſque perſpectis, eam ingrediaris viam, non in qua nulla (quod fieri non poteſt, cum quælibet vitæ conditio ſit maximis difficultatibus impedita) ſed pauciora, ac leviora pericula & incommoda futura eſſe videantur. Omnia vero indole ac natura & viribus metienda ſunt, & videndum, ut cum his ea, quam inire velis, vitæ ratio cohæreat.

III.

Digitized by Google

III. Tum neceſſe eſt per preces a Deo flagitare vehementius, ne te falli ſinat in eo, quod maximum eſt, maximeque neceſſarium: ad hæc conſulere ſapientes, qui optimam tibi viam præmonſtrare, quam teneas, & poſſint & velint. His peractis, quæ humanæ prudentiæ ſunt, ne diutius hæreas anceps & dubius, ſed ad rem aggredere: aliquid enim, immo multum divinæ providentiæ dandum eſt. Id quidem provide, quænam eſſe poſſint pœnitendi cauſæ, & quaſi ſemina moleſtiarum, contra quas muniendus eſt animus, ut, quidquid acciderit, modice ac patienter ferat: quocumque enim te vertas, incidis in ærumnas, quas lenire oportet conſtantia, & ſpe rerum meliorum, quæ tum ſaltem futuræ ſint, cum, abſoluta periculoſa navigatione, in portum veneris.

IV. Verum non tanta diligentia, tamque ſedula mentis deliberatione opus eſt, cum ea eſt ineunda vitæ ratio, quam mutare poſſis pro libito; quamquam tunc etiam prudentia poſtulat, ut ſapienti conſilio utaris & in eligendo inſtitutum illud, in quo poſſis excellere & quiete vivere, & in retinendo, ut turpem fugias inconſtantiæ ac levitatis notam. Hærere autem in ſuſcepto munere facilius poteris, ſi illud eligas, cui aptior eſſe natura videatur, quodque ſuſtinere poſſis cum dignitate: eſt enim arduum omnino repugnare naturæ, idcirco nec ſolet eſſe diuturnum: id vero aggredi, quod rite præſtare non poſſis, ambitionis eſt, ac ſuperbiæ: & quod alii ea in re excellant, nihil attinet; neque enim conſequens eſt, fore ut & tibi idem contingat, cui non eædem ſunt & animi dotes, & bona fortunæ: quoniam non omnia poſſumus omnes: neque vero eſt laude dignus, & habetur illuſtris, qui præclarum munus obit; ſed qui bene, quamquam non adeo excelſum ac nobile: qua in re multi falluntur, & male cum ſuæ laudi, tum alienæ utilitati conſulunt. Quapropter ſcriptum eſt a Seneca (*de Tranquillitate animi cap.* 4.) *ante omnia neceſſe eſt ſe ipſum æſtimare; quia fere plus nobis videmur poſſe, quam poſſumus*: ita quidem, qui elato ſunt ingenio, aut cupido; at qui timido, puſillo, ignavo, fere deſperant omnia.

V. Audiendus & Tullius, qui (*lib.* 1. *Offic.*) appoſite ad rem noſtram: *admodum*, inquit, *tuenda ſunt ſua cuique non vitioſa, ſed tamen propria; quo facilius decorum illud,* quod

quod quærimus, retineatur. Sic enim eſt faciendum, ut contra univerſam naturam nihil contendamus; ea tamen conſervata, propriam naturam ſequamur; ut etiamſi ſint alia graviora, atque meliora, tamen nos ſtudia noſtra naturæ regula metiamur: neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam ſequi, quod aſſequi nequeas: ac non multo poſt: *ſuum igitur quiſque noſcat ingenium, acremque ſe & bonorum, & vitiorum ſuorum judicem præbeat; ne ſcenici plus, quam nos, videantur habere prudentiæ; illi enim non optimas, ſed ſibi accommodatiſſimas fabulas eligunt.*

VI. Homines fere in iis, quæ utilia aut præclara ſunt, cenſent valere ſe ac ſapere propter inſitam ſuperbiam; cum operi, quod multum laboris habeat, at parum utilitatis & gloriæ, ſe non putent idoneos propter inertiam. Videmus quotidie multos, qui, quo ſunt ineptiores, eo munera affectant graviora; alii medicam artem, alii juriſprudentiam, alii rerum divinarum ſcientiam profitentur, quidam oratorem agunt, quidam magiſtratum gerunt: hi omnes quidem inepte: cum vero aſſentatores habeant aut callidos aut imperitos, ſibi plaudunt, & id conantur, quod recte nequeunt facere, ut Siſyphus, qui verſat

Saxum ſudans nitendo, neque proficit hilum;

(*Tuſcul. quæſt. lib.* 1.) aut Gigantum more bellant cum Diis, quod eſt naturæ repugnare, ut Cicero interpretatur (*de Senectute*): monita vero contemnunt reſpuuntque ſapientum, ea tribuentes invidentiæ vitio, aut interdum inſcitiæ: itaque nulla arte fieri poteſt, hos redire tandem ad ſanitatem. Verum ad alia pergamus: nam quæ ad ætatis degendæ genus pertinent, cum alii tradunt plures, tum ipſe Cicero [*lib.* 1. *Offic.*)

VII. Alterum privatæ prudentiæ munus eſt, omnes actiones, in eo, quod ſuſceptum eſt, vitæ inſtituto, ita moderari, ut cum ratione, ac virtutis norma conſentiant omnino; qui locus late patet: ut enim id poſſit effici, ſcire oportet, quid ſit ſingularum virtutum proprium, & tenere honeſtatis formam, & vitia cognoſcere: hæc vero partim a nobis explicata ſunt, partim explicanda erunt in poſterum, niſi

niſi quid accidat. Nihilominus opportunum fore arbitror, ſi quædam hoc etiam loco præſcribam, quæ huc ſpectant.

VIII. Primum qui prudens velit eſſe, eum neceſſe eſt operam dare, ut ſecum ipſe pacate vivat: ita enim ſentio, qui ſecus faciat, hunc quidem imprudentia maxima laborare. Porro is quiete & tranquille poteſt vivere, qui imperet ſibi, pravaſque affectiones refrenet: ea tantum ſperet, quæ poſſit conſequi: *& crura & ſpes ad ea extendere oportet, quæ tranſire poſſis*, ait Epictetus [*in Sententiis num.*85.]; nec credat id facile futurum, quod appetit, ut multi ſolent: & optet quidem in vita meliora; at quæ deteriora ſunt, ea alacri & invicto animo expectet; quippe & hæc fore confidat utilitati: qui non ægre ferat, quæ accidunt, quamquam dura & adverſa: ſeſe ad tempus, & eventus, ut gubernator ad ventos, accommodet; quoniam, ut rerum eventus, noſtræ ſe accommodent voluntati fieri non poteſt; iccircoque quæ fiunt, ut Epictetus aït (*in Manuali cap.*8.) fieri velit, ut fiunt, non fieri, ut vult; & meminerit, ſe actorem eſſe cujuſcumque, ut magiſtro placet, fabulæ (*Epictetus in Man. cap.*16.) ideoque in Dei voluntate conquieſcat, eumque ſemper præſentem adeſſe inſpectorem omnium ac judicem cum bene, tum male factorum, ſecum expendat attentius; & nihil putet ſuum eſſe, quod extra ſit, & poſitum in fortunæ poteſtate: ex inani ſuſpicione moleſtiam non capiat, nec perturbetur cura rerum futurarum; ſed cum neceſſe eſt, his, ut poteſt, ſine perturbatione diligenter conſulat: ne vehementer angatur alienis, qualia ea ſunt, quæ belli geruntur, aut in theatro, aut in civitate (*vide Epictetum in Man. cap.*30. *n.*9.): ſi quid amiſerit rerum ſuarum, ne iccirco in mœrore verſetur, puterque perturbationum vacuitatem tanti vendi (*vid. Epictetus in Man. cap.* 11.): nec ea timeat, in quibus nihil ineſſe, quod magnopere formidandum ſit, prudentes exiſtimant: quare nec ſuſpicetur remotam fraudem: nihil iis moveatur, quæ contra ſuam famam, ac dignitatem apud vulgus diſſeminata videantur: hoc enim eſt cum magni animi, tum prudentis; at ſecus facere imprudentis, ac puſilli: quid enim dementius, quam cuique etiam imperito, ac invido poteſtatem permittere quietis eripiendæ, quæ maximum eſt bonorum in terris? Videat tamen, ne quid peccet, aut, ſi quid

erratum eſt, corrigat & emendet: ne qua vero ſit juſta obtrectandi cauſa, cognoſcat ſeſe, ac ſæpius accuſet: *prob dolor*, inquit Confucius (*Scientiæ Sinicæ lib.3. p.1. §.1. edit. Pariſienſis pag. 26.*) *quotus enim quiſque reperiatur hac ætate noſtra, qui ſuimet ſeverus cenſor ſit, idemque teſtis, accuſator, & Judex!* nunquam ea faciat, quæ cauſam afferant pœnitendi: quare cum ſe offert, ac quædam titillat animum illecebra voluptatis, in mentem veniat futuri temporis [*vid. Epictetum in Man. cap.31.*] quo fortaſſe ſempiterna futura eſt ob malefactum triſtitia: id enim prudentis eſt, providere conſequentia: ratione utatur, ut medico, qui non optimus eſt cum blanda & ſuavia præſcribit, ſed cum utilia, etſi injucunda & amara; illi vitam credat omnem regendam pro libito; & illud præterea teneat, ſummæ prudentiæ eſſe tacere, & facere. *Quod facturus es*, ait Thales Mileſius [*apud Stobeum de Prud. ſerm. 3.*] *ne prædixeris; fruſtratus enim ſpe irrideberis*: nec magni æſtimare adeptas virtutes, ſed tam ſtrenue progredi, quaſi nihil viæ confectum ſit. *Satagere*, inquit Confucius (*Scientiæ Sinicæ lib.3. p.1. §.3. pag.84.*) *potiſſimum circa ſtudium ipſum virtutum accumulandarum, & non magni facere, ſeu in aliquo habere numero id, quod jam nunc eſt accumulatum, virtutis, ac meriti.*

IX. Eſt etiam prudentis in malis, ut decet, ſapere, atque ex iis boni aliquid elicere ad propriam utilitatem, & illud in primis, hoc eſt, exercitationem præcellentium virtutum, ut patientiæ, ut conſtantiæ, ut fortitudinis, ut magnanimitatis, quæ in rebus adverſis maxime cernuntur; in ſecundis autem rebus, qui prudens eſt, inſolenti non effertur, ac geſtiente lætitia; cum ſciat fortunam mutari facile poſſe; ſed auxilia ſibi parat ad adverſam fortunam, *ut qui navigant ventis ſecundis*, ait Socrates (*apud Stobeum ſerm.3. de Prud.*) *inſtrumenta quoque parata habent, quibus ſe contra tempeſtatem adverſam muniant*: non glorietur aut viribus, aut divitiis, & opibus, aut ſapientia: *ſapientiam ne jacta*, ait Phocilides (*apud Stobeum ſerm.3. qui eſt de Prudentia*) *neque vires, neque divitias: unus Deus eſt ſapiens, potens, & omnifariam dives.* Dignitates etiam, & honorum gradus non magni facit, immo nihili, quos intelligat, aliquid præclarum eſſe opinione, non re, & aliis magis eſſe

con-

Digitized by Google

conſpicuos, quam ei, qui poſſidet, ut veſtes, quarum venuſtatem & elegantiam omnem alii vident; at ubi corpus premant, ſentit is tantum, qui geſtat.

X. Illud item ſummopere ad prudentiam pertinet, recte monenti parere, & ipſi ſe facilem & gratum præbere. *Medico*, ait Epictetus (*Sentent.* 17.) *nihil conſilii danti ſuccenſent ægri, eumque jam de ſe deſperaſſe cenſent; erga philoſophum cur non ita quis affectus fuerit, ut opinetur, de ſe ipſum deſperaſſe, an unquam mentis compos futurus ſit, ſi nullas ipſi utiles admonitiones protulerit?* Et Ariſtonymus (*apud Stobeum ſerm.* 3. *de Prud.*) *Navigando gubernatori auſcultandum eſt, vivendo illi, qui plus ratione valet.* Hæc præceptio in primis adoleſcentibus poteſt eſſe ſalutaris ac neceſſaria, quorum prudentia in eo præſertim poſita eſt, ut ſe regi patiantur a ſapientibus, cum adhuc judicio non valeant.

XI. In negociis autem (cum privatus quiſque fere aliquid agat cum aliis, aut contrahat) illud tenendum eſt; nihil aggredi temere, ſeu, ut Cicero ait (*lib.* 1. *Offic.*) *cujus non poſſit cauſam probabilem reddere*: itaque quidquid acciderit, rem conſtet bene, ac prudenter eſſe geſtam, non ſine consilio ac ratione. Hæc autem fere norma ſit gerendi negocii. Primum oportet, omnino ejus naturam eſſe cognitam: liquet enim temere id geri, quod ignoratur, quale ſit: videndum ergo, ne qua menti tenebras offundat cupiditas, aut perturbatio.

XII. Tum explorata ſit, quo ad fieri poteſt, eorum indoles, quibuſcum res agitur: intereſt enim vehementer, an illi boni viri ſint & ingenui, an malitioſi, doliſque adhibendis aſſueti, quorum artem arte, honeſte tamen, repellere ſit conſentaneum; rurſus ignari ne, an ſapientes, quos non movent verba, ſed ratio; fortes, qui propoſitis incommodis nihil afficiantur, an timidi, qui frangantur objecto metu, ne alia perſequar generis ejuſdem.

XIII. Quamquam vero nihil difficilius videri ſolet, quam quod intra hominis cutem ſubeſt, id non obſcure cognoſcere, tamen hoc non omnino arduum arbitror eſſe ſapienti, qui cum aliquo verſetur aliquandiu, eumque loquentem audiat, ex quo extat illud Soſiadis [*apud Stobeum de Prud. ſerm.* 3.] *audiens vide*; & aliud (*eodem in loc. in ſent. Monaſt.*) *qualis*

ſit unuſquiſque ſermone indicat : & rurſus illud Socratis, qui *cum adoleſcentem quemdam facie boneſta ac liberali diutius contemplaretur, illeque adſtaret tacitus, dixiſſe fertur: tandem, ut te videam, aliquid loquere, adoleſcens* (*apud Sadoletum de Liber. rect. inſtitut.*): ſi quis enim defendat ac probet id quod minime honeſtum eſt, ſi ea dicat quæ ſunt a communi uſu aliena, ſi ſe ac ſua laudet, ſi tandem aliquod vitium prodat, ut ſuperbiam, ut avaritiam, ut imprudentiam, quod profecto faciet in familiari ac frequenti colloquio; præſertim ſi quis adeſt, qui ejus indolem explorare & velit & ſciat; tunc ſic habe, huic non eſſe fidendum.

XIV. At non modo ex verbis hominem novit, qui ſapiens eſt, ſed etiam ex factis, immo ex geſtu, ex facie, ex oculis, ex greſſu ipſo, ac veſtibus: *nullius enim ingenii ſignum eſt* ut Epictetus ait (*in Man. cap.37.*) *in corporis ſtudio immorari*: quod ſi idem ipſe ſecus facit, ac verbis profitetur, duplex eſt, ac vafer, & mendax, cum quo præſertim ſit adhibenda prudentia, ne fallaris. Amici etiam indicant, quæ ſit cujuſque natura: quales enim ii ſunt, quorum quis conſuetudine ac familiaritate utitur, eum talem eſſe fere judica. Hæc vero omnia obſervanda ſunt prudenter, non callide, ne quid adverſus charitatem, juſtitiamve peccetur, nec vitia curanda leviora, quibus, qui careat, ſcimus eſſe neminem: dolos ſemper ſuſpicari, & cuique fidere, utrumque in vitio eſt.

XV. Mox cognita ſimiliter debent eſſe inſtrumenta ad rem efficiendam idonea, ut vires, ut opes & copiæ, ut amicorum præſidia, & parata induſtria, qua difficultates liceat amovere, ſi quæ inciderint: quo ſpectat eorum, quæ rei adjuncta ſunt, ſedula atque accurata conſideratio: eſt enim abſurdum fundamenta jacere, ac poſtea de conſtruendæ domus ratione, modoque cogitare.

XVI. Deinde captare neceſſe eſt opportunitatem idoneorum ad agendum temporum: qua in re nocere poteſt nimia cunctatio, æque ac præpropera feſtinatio: nam apprehendi nequit occaſio, vel quæ nondum adeſt, vel quæ elapſa eſt.

XVII. Præterea prudens urget, atque inſtat ſummo cum ſtudio, ut quod ſapienter conſtitutum eſt, id perficiatur, ne-

neque animo relinquit fluctuandi locum: in negotiis audendum eſt, nec ſemper fides habenda omnibus, qui, rem fieri non poſſe, cenſent: homines enim fere puſillo ſunt animo, & objecta menti pericula, ac difficultates pertimeſcunt, & quod cæteroquin aliquo conatu licet aſſequi, idem habent, ut temerarium facinus: quoniam qui timidus eſt, eum, qui fortis ſit vocat audacem, ut ſupra diximus (*lib.* 3. *cap.* 2.) & ἀδυνάτον, quod eſt arduum quodammodo.

XVIII. Poſtremo hoc animo fixum, ac ſtatutum eſto, in gerendo negocio nunquam a virtutis via, juſtitiæque diſcedere, & honeſto id anteferre, quod utile videatur, etſi ut eſt apud Horatium [*Ode* 3. *lib.* 3.]

. . . . *Fractus illabatur Orbis:*

Inter homines, ait Pythagoras (*apud Stobeum ſerm.* 3. *de Prud.*) *multi mali*, *bonique ſermones incidunt*, *quibus haud abſterrearis*, *neque ſinas ab inſtituto te dimoveri*. *Si quis adverſum te mentiatur leniter cedes*. *Quod vero nunc dicam*, *ubique ſequi debes*. *Nemo tibi neque verbis*, *neque factis imponat*, *ut facias*, *dicaſve*, *quod tibi non conſultiſſimum ſit*. *Quin facito*, *quæ tibi non obſint*. Quod autem honeſtum non eſt, id utile, conſultumque eſſe non poteſt, ſed nocet plurimum: ſemper prudentior eſt ac felicior, qui bene ſibi eſt conſcius, quam qui male (*vide Gaſſendum tom.* 2. *lib.* 2. *Ethic. cap.* 1.)

XIX. Hoc loco illud arbitror ſcitu neceſſarium, in rebus gerendis eum prudenter facere, qui ſpectat id, quod caput eſt & ſumma, quod primum ac præcipuum, nec curat leviora, nec volitantes quaſque muſcas aucupatur, ut eſt in veteri proverbio; nec rationem habet ullam aut facti, aut dicti, quod minus placeat, aut alicujus officii, quod ab eo, quo cum res agitur, deſertum eſſe videatur: hæc enim interdum impedimento ſunt maximo, quominus id, quod magni refert, perfici poſſit: iccirco qui ſolertiore ſunt ingenio & ad omnia reſpondent, quæ incidunt, fere judicantur ad negocia minus idonei, quemadmodum & iracundi, qui nequeunt ſe continere: eſt enim ſæpe adhibenda patientia, quæ interdum magis, quam virtus, ad res debilitandas,

cum

cum uno quaſi impetu frangi non poſſunt, maxime valet. Fere etiam expedit uni negocio operam dare, ne diligentia, animique contentio, quæ late diffunditur & explicatur, minus habeat efficacitatis: quare ait Euripides [*apud Stobeum ſerm. 3. de Prud.*) *Si duo negocia proponuntur, fac alteri animum applicans, reliquum oderis.*

XX. Quoniam vero etſi nihil contrahendum ſit cum hominibus, tamen in eorum ſocietate verſamur, pauca ſubjicio prudentiæ documenta, quæ hujus loci ſunt propria. Si cui quædam ſit danda provincia, huic præfici ſatius eſt is, cujus dotes, habilitateſque ad eam cum dignitate obeundam ſunt exploratæ & cognitæ: ſolet enim uſu venire, ut fama ac rumore fallamur, & pluris æſtimemus id, quod peregrinum eſt, quam quod domeſticum: illius enim tantum virtutes ſæpe novimus, hujus etiam vitia, quæ fere ſunt cuique communia.

XXI. Qui vero muneri præfectus eſt, ita illud adminiſtret, quaſi nihil interſit, ſi amiſerit: hoc enim pacto formidine, ac ſpe ſublata, faciet omnia prudenter quidem, ac bene; ſed non callide, non inique, non malitioſe; non morem geret aliis, cum ſecus ratio, ac prudentia poſtulat: *ubi timetur amitti*, ait Confucius [Scientiæ Sinicæ *lib. 3. p. 2. §. 5. pag. 129.*] *quod ſic acquiſitum eſt, opum & dignitatum, jam nihil eſt, quo non pertingatur. Nihil, inquam, eſt tam abjectum, tam turpe, tam iniquum, quod non agant, & patiantur*: putant autem tunc ſe prudentia valere, cum ea re nihil poſſit eſſe imprudentius.

XXII. Vulgus etiam imperitorum, & inſipientium quoſdam prudentes cenſet eſſe; quoniam omnibus in rebus connivent, & ſtudent nemini diſplicere, ne fortunæ ſuæ male conſulant; contra bonos habet, quaſi imprudentes, quia non fingunt, non diſſimulant, non obtegunt ea, quæ mala ſunt, quæque reprehendenda, & emendanda, aut non premenda ſilentio. Diſſimulatio illa quidem non prudentiæ eſt, ſed improbitatis, cupiditatiſque, ac timoris, & nocet cum utenti, tum etiam maxime communitati, cui forte præſit is, qui falſa illa prudentiæ ſpecie ducitur in dictis, & factis.

XXIII. Equidem ita ſentio, prudentis eſſe, & non ſibi tantum nati, ſed etiam reipublicæ, cuique, cum poteſt

&

Digitized by Google

& placere, & prodeſſe, quamquam cum proprio incommodo, at unquam nemini, repugnante lege & ratione, etſi quis non unius tantum hominis, ſed & totius civitatis, immo omnium, quotquot vivunt in terris, invidiam ſibi conflaret: eſt enim prudentiæ magis conſentaneum non modo odio haberi, ſed etiam mori ſine peccato, quam, juſtitia, honeſtateque violata, ab omnibus amari, & vivere: nam apage benevolentia, & vita, quæ tanti venditur. Accepi a ſapientibus, bonam apud omnes famam argumentum eſſe vel maximum improbitatis; & qui bonus eſſet, ac prudens, & omnium animis amicis ac benevolis uteretur, præſertim ſi cui publico muneri præeſſet, adhuc vidi neminem. In fortes viros, ac virtute præditos multi aut invidentia, aut alio mentis impetu acerbius invehuntur, eoſque inſectantur vehementius.

XXIV. Illud tamen eſt animadvertendum hoc loco, quemadmodum in dominorum utilitatem adverſus alios æquum eſt conſtantiam præſeferre, ac firmitatem; ita prudentis eſſe, nunquam eorum voluntati obſtinatius repugnare, cum id fieri poteſt honeſte, ac ſine detrimento ſalutis ſempiternæ: ea enim quaſi pervicacia dominis, quibus obſequi debes inviſa eſt..

XXV. Cum munus, quod tibi conſtitutum eſt, poſtulat, ut aliqua diſciplina, vel arte alios inſtituas, qui te libenter audiunt, eos erudi, reliquos dimitte, ut Epictetus jubet (*in Sent. num.* 12.) nihil enim proficiet: *& cum fugientibus*, inquit, *malitia ſimul, & vitium aufugient, cum iis autem, qui tecum manent, probitas ſimul, & libertas relinquetur*. Scito autem, deſperandum eſſe de eorum ſanitate ac progreſſu, qui nec crebris adhortationibus, nec bonorum familiaritate ſapiunt.

XXVI. Magna etiam in delectu amicorum, quorum quam ſit mira paucitas, ſatis conſtat, eſt adhibenda prudentia: *Amicos*, ait Euripides (*apud Stobeum ſerm.*3. *qui eſt de Prud.*) *quorum oratio tibi nihil indulgeat, conquire. Qui vero ad gratiam, delectandi te cauſa, mali ſunt, illos excludant repagula domus*. Verſari oportet cum iis, quorum ſapientia, prudentia, & integritas multis, magniſque rebus ſpectata ſit (*vid. Confucium lib.* 3. *Scientiæ Sinicæ p.* 2. §. 1. *pag.*

*pag.*8.) & cavere ab aſſentatore: *nam ſicut lupus cani ſimilis eſt*, ait Epictetus (*in Sent. num.* 48.) *ita & adulator . . . . ſimilis amico. Cave igitur ne canum cuſtodum loco pernicioſos lupos neſcius recipias*: & alio in loco (Sent.95.) *Corvi mortuorum oculos corrumpunt, quando nullus eorum uſus eſt; at adulatores vivorum animos perdunt, & animæ oculos excæcant.*

XXVII. Verba nimium officiis redundantia aſſentationis ſignum fere ſunt, aut fallaciæ, aut inanitatis, vel etiam ſuperbiæ: *affectati ſermonis, ac facundiæ*, ait Confucius (*Scientiæ Sinicæ lib.*3. *p.*2. §.1. *pag.*8.) *nec non blandiuſculi oris homines, pauci veræ virtutis ſunt*: quibus, ſi quid forte facias, quod ſit minus gratum, videbis, eos ab officiis tranſite ad maledicta, aut palam, aut occulte.

XXVIII. Fugiendi etiam, qui obſtinatiore ſunt ingenio & facili ad querimoniam, turbant enim animi quietem; eodemque modo melancholici, quippe qui fere ſolent eſſe ſuſpicioſi, & ſemper aliquid exiſtimare ab amico violandum; immo niſi in factis cernatur, eorum bonitas & innocentia ſuſpecta eſt: multa enim cum meditentur, niſi honeſta extent effecta, dubitari poteſt interdum, an quæ moliuntur ea bona ſint. Adde ſuperbos, quibus non magnopere confidas: cum enim ſua fere nolint dicere, præſertim cum putant aliquid propriæ laudi detractum iri, amici revera eſſe nequeunt: ab his etiam fruſtra requires gratum animum; ſibi enim deberi cenſent omnia. Illud etiam tene, quod ait Epictetus (*in Sent. num.* 14.) *Nemo pecuniæ amans & voluptatum & gloriæ ſimul homines amat, ſed ſolus honeſti amans.*

XXIX. Cum potentiore ne familiariter agas, eique interroganti caute & pauca reſponde: nam ſciſcitando ex te callide eliciet ea, quæ expediat cælare; tum vero ridebit: ſimiliter contra eum, qui potentia ac divitiis valet, contendere, multum habet incommodi ac detrimenti, quod iccirco vitare prudentis eſt; quemadmodum et petulantes linguas, ac maledicendo aſſuetas.

XXX. Vide ne id aperias cuique, quod latet in animo: vix enim ſimplicem invenies, & ſincerum virum: aſtuti autem, ac malitioſi, facile futurum eſt, ut inde obtrectandi

tibi

Digitized by Google

tibi oblatam occaſionem arripiant. Optimum etiam conſilium eſt Pittaci Mitylenæi (*apud Stobeum ſerm.3.*) *qui eſt de Prud.*): *non omnibus crede:* & præſertim non cito: nam, ut ait Salomon (*Eccleſiaſt.* 19. 4.) *Qui credit cito, levis corde eſt*: & ne amicis quidem: quoniam ſolent eſſe eorum, quæ narrantur, falſa ſaltem adjuncta, immo ſæpe res ipſa fabuloſa, quod omnino compertum eſt experientia familiari, ac domeſtica, & quotidiana: multi enim facta narrant non ut ſunt in ſeſe, ſed ut vellent eſſe, ſive ut ſuſpicantur: qua in re ſæpe eſt etiam invidiæ locus: ex quo conſequens eſt, ne id quidem credendum, quod contra tuam famam, ac dignitatem ab alio dictum referatur.

XXXI. Verbis autem ne crede, ſed facta introſpice, & attentius conſidera: *in poſterum agens cum hominibus*, ait Confucius [*Scientiæ Sinicæ lib.* 3. *p.*1. §.2. *pag.*21.] *audiam quidem illorum verba, ſed & ſimul contemplabor eorumdem opera & actiones, an verbis reſpondeant. Aliter non credam.* Neque vero aut loquentis auctoritate ſinas te decipi, aut elegantia ſermonis: fit enim utrumque imprudenter.

XXXII. Debet præterea adeſſe prudentia in communi colloquio, quæ multa præſcribit, V. C. nihil temere promittendum: *ne cogaris aliquando*, ait Confucius (*lib.*3. *Scientiæ Sinicæ p.*2. §.1. *pag.*8.) *vel fidem fallere, vel certe violare juſtitiam; ante omne pactum, omnemque ſponſionem diligenter examina, juſtitiæ ne conſentanea ſint.* Aliud etiam huc ſpectat ejuſdem Confucii [*cit. loc. p.*1. *pag.* 18.] *Ex multis hominum ſermonibus, quos audire te contigerit, prudenter ſecerne ac relinque, ſilentioque fac premas, quæcumque dubia fuerint, vel incerta: conſiderate vero fac proloquaris cætera, quamvis tibi certa videantur eſſe, tutoque dici poſſe: ſic enim fiet, ut verbis quidem perraro pecces.*

XXXIII. Temporis etiam, quo loqueris, oportet habere rationem: *audi multa*, inquit Bias (*apud Stobeum ſerm.* 3. *de Prud.*) *loquere tempeſtive*: atque ætatis ſimiliter; quare prudenter facit adoleſcens, ſi taceat, præſertim coram ſenioribus. Apud imprudentes loqui multa non eſt ſapientis; quemadmodum nec nimia uti celeritate in dicendo, eademque repetere. Ad prudentiam etiam pertinet fateri, id te neſcire, quod neſcias; ſecus prætefers inanitatem, ac ſuperbiam,

biam. Ei, qui vult bene audire, hæc regula eſto ab Epicteto tradita (*in Sent. num.7.*) *ſi vis bene audire, diſce bene dicere: ubi autem didiceris bene dicere, conare recte agere, atque ſic hunc fructum capies, ut bene audias.* Quod ad alienum ſermonem attinet, videndum eſt, quid valet in ſeſe; in quam rem optime ſcriptum eſt a Confucio [*Scientiæ Sinicæ lib.3. p.1. §.2. p.114.*] *Sapiens nec ob ſermonem evehit hominem, nec ob hominem* [*quicunque is ſit*] *aſpernatur, ac negligit ſermonem.* Pauca hæc inter plurima fere ex illuſtrium philoſophorum placitis, ſententiiſque collegi: ut eſſent quaſi exquiſitioris prudentiæ ſemina. Hoc autem commune præceptum datur a ſapientibus, ad propoſitum finem, hoc eſt, extremum bonorum referenda eſſe omnia: quoniam ab eo diſcedere ſumma ſtultitia eſt. De his ſatis.

CAPUT V.

Quæ ſint Oeconomicæ Prudentiæ munera.

I. OEconomiæ, quæ diſciplina eſt rei familiaris, munera fere ſunt, quæ conſequuntur: curare, ut domus ſit apta, & ad uſus accommodata, ut ſtatus conditio poſtulat, & familia, & copia opum & divitiarum: ſordidus enim judicandus eſt is, quem in anguſtam ædem, ac decenti ornatu vacuam, quaſi in carcerem, conjicit non neceſſitas, aut chriſtiana humilitas, ſed avaritia. *Ædes quoque ita parandæ ſunt*, ait Ariſtoteles (*lib.1. Oeconomicor. cap.6. tom.5.*) *ut & rerum poſſeſſarum, & ſalubritatis, commoditatiſque rationem habeamus. Rerum poſſeſſarum dico, ceu fructuum, & veſtium, quales his conducant, & fructuum, quales aridis, & quales liquidis; & aliarum rerum, & quales animatis, & quales inanimatis, ſerviſque, & liberis, maribusque, & feminis, civibus, & peregrinis.* Vide, & Tullium (*Offic. lib.1.*). Inſtrumentis etiam ſuus debet eſſe conſtitutus locus. *Ad rectum vero uſum inſtrumentorum illud laconicum valet*, ait Ariſtoteles (*cit. loc.*) *ſingula ſuo loco jacere: ſic enim parata non requiren-*

rentur. Domus egregie diſpoſitæ minimo cum impendio habemus exempla domeſtica. Ad alia pergamus.

II. Ejus, qui familiæ præeſt, generatim eſt, diligenter videre, ne quid illi deſit utile, ſi fieri poteſt, ac neceſſarium: quamobrem in hæc præſertim incumbat neceſſe eſt; nimirum ut quærat, ac paret ea, quibus opus habet ad bene adminiſtrandam, alendamque familiam; ut quæſita, ac parta tueatur; ſecus nulla quærendi eſſet utilitas; ut augeat, ſi domus prematur inopia; non vero ſi redundet, aut habeat id, quod ſatis eſt ad bene, honeſteque vivendum; ut & ornari præſentibus, & frui ſciat cum modo ac dignitate. [*vid Ariſtot. Oecon. lib.1. cap.6. tom.5.*] Parare in primis poteſt agricultura, *qua omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius*, ut Tullius ait (*Offic. lib.1.*) nihil magis ſecundum naturam: nam terra, cum altrix noſtra, & mater ſit, omnium quæſtum honeſtiſſimum ſine fallacia & mendacio, & naturalem præbet. Quapropter in ſummo apud Sinicos Imperatores fuit honore ars agricolarum, inter quos inventus eſt, qui aratrum duceret Venus nomine, ejuſque uxor arbores quaſdam ſereret, ut alii excitarentur ad imitandum (*Salmonius Tom.1. in hiſt. Sinica cap.5. pag.124.*) Et apud Romanos plures fuerunt celeberrimi Imperatores, qui excolendæ terræ operam darent. Quinctius Cincinnatus ab aratro adductus eſt, ut dictator eſſet [*apud Tullium de Senect. & T. Livium dec.1. lib.3. p.12. editionis Baſileæ*] qui victor cum extitiſſet, depoſitis faſcibus, rurſus ad boves, & agellum ſe contulit: *In hac vita* (hoc eſt ruſtica) *M. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis*, ut ſcribit Tullius (*de Senect.*) Ad eamdem diſciplinam animum applicuit & C. Marius, qui ſepties Conſul fuit, multis victoriis, magniſque clariſſimus (*Plutarchus in C. Mario*) Et C. Attilius Regulus, quem qui ad eum accerſendum a ſenatu miſſi erant ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, ſemina ſpargentem viderunt. (*Val. Maximus lib.4. cap.4. num. 5.*)

III. Quo efficitur, honeſtam, ac liberalem ſic eſſe terræ colendæ rationem, ut (*apud Tullium in Catone major.*) nihil magis regale viſum ſit Xenophonti, quippe qui ſcribit (*apud Tul-*

Tullium eod. in loc.) a Cyro minore Perſarum rege conſitum agrum, ſatas arbores, deſcriptos ordines, humum ſubactam, variiſque ornatam floribus odorum ſuavitate fragrantibus (*vide Patritium de Inſtit. Reip. lib.9. tit.4. & Geneſium Malfantium de Fam. Inſt. cap. ult. & Papinum in Epiſt. ante libros hortorum*) Tum res familiaris paratur gregibus & armentis, ex quibus magna quædam fructuum affluentia ſolet exiſtere: præterea reliquis artibus, ac diſciplinis, præſertim magna & copioſa ac quæſtuoſa mercatura: augetur autem & amplificatur eodem modo.

IV. Ut vero quod comparatum eſt, id tueri poſſit is, qui præeſt familiæ; debet omnia per ſe jubere, & inſpicere quoad fieri poteſt: *nullus enim*, ut ab Ariſtotele ſcriptum eſt (*Oecon. lib.1. cap.6. tom.5.*) *parem curam habet alienorum, ac ſuorum: itaque quæcumque per ipſum geri poſſunt, circa illa cum diligentia intendat: in quo Perſæ ſimul, & Libyci dictum recte ſe habet: Perſa enim rogatus, quid equum maxime pinguem faceret: oculus Domini, reſpondit: Libycus vero rogatus, quod ſterquilinium agro foret optimum: Domini, inquit, veſtigia.* Quod faciendum eſſe, monet Ariſtoteles (*cit. loc.*) in exilioribus quidem rebus, raro; at ſæpe in gravioribus, quarum aliis cura commiſſa ſit: quoniam fieri vix poſſit indiligentis domini diligentes eſſe vicarios. *Cum vero hæc*, ait Ariſtoteles (*Oecon. lib.1. cap.6. tom.5.*) *ad virtutem honeſta ſint, & ad rem familiarem utilia, expergiſci decet prius dominum, quam ſervum, & cubitum ire poſterius, nec unquam incuſtoditam eſſe domum: .... & ante lucem ſurgere, quod & ad ſanitatem, & ad curam rei familiaris, & ad ſtudium philoſophiæ prodeſt quamplurimum.*

V. Valet etiam ſedula diſtinctio inter ea, quæ ſingulis diebus, & ea, quæ ſingulis aut menſibus, aut annis oportet conſumere, ſi magna quædam ſit adminiſtratio; quemadmodum & certo tempore inſpectio inſtrumentorum, ut non lateat, quid ſalvum ſit, quidve perierit [*Ariſtoteles Oecon. lib.1. cap 6. tom.5.*] veſtium etiam, & reliquæ ſuppellectilis, ne quid detrimenti capiant, in quibus etiam vitio vertitur & nimium, & parum. Sunt autem impenſæ cum cenſu, & fortunis, ac fructibus comparandæ, & cavendum, ne his majores fiant; ſecus ipſa bona paulatim æs alienum exhauriat,

riat, & familiæ ſtatus labefactetur neceſſe erit; ſi quid tamen redundet ex iis, quæ ſunt neceſſaria, ſumptus ne illiberales eſto: hoc enim ſordidi animi eſt, ac puſilli proprium.

VI. Eam ob rem, qui domus procurationem habet, is ſciat oportet, ut ſupra dixi, & ornari præſentibus, & frui, hoc eſt, illis uti ad ſui ipſius, ac familiæ ornamentum, decus, commoditatem, ad levationem egentium, ad patriæ præſidium, & amicorum, ad magnificentiam, ad liberalitatem, non ut quidam ſolent, qui nihil fere, quod nobili viro dignum ſit, pecunia faciunt, ſed omnia pecuniæ cauſa: id vero ad turpem avaritiam pertinet, non ad œconomiam, quæ ars honeſta eſt ex ſeſe, & utilis cum ſingulis, tum etiam reipublicæ; quod cum ſapienter animadverteret rex Boruſſorum (vulgo *Pruſſia*) Gulielmus I. conſtituit, ut in Alenſi Magdeburgica academia eſſet, qui publice præcepta traderet de arte, & diſciplina rei familiaris (*in Hiſt. Federici Guliel. I. edita Amſtelodami an.*1741. *novellæ litter. anni* 1742. *pag.*55.) Pauca dixi de œconomica prudentia: plura enim non poſtulat inſtituti noſtri ratio (*vide & Ariſtotelem in lib. Oeconom. & Gaſſendum tom.*2. *lib.*2. *Ethic. cap.*2. *& Malfantium de Fam. Inſtit. cap. ult. Lodovicum Muratorium in libro, cui tit. della pubbl. felicità oggetto de' Principi. præſertim cap.*15. *aliosque quamplures*) Cæterum de officio patris in filium, viri in uxorem, domini in famulos, quæ quidem ejuſdem prudentiæ partes ſunt, alius erit diſputandi locus.

CA-

CAPUT VI.

Quæ ſint generatim Politicæ Prudentiæ munera.

I. QUamquam politica prudentia nomen habet a civitate; tamen ea eſt, qua non una tantum, ſed plures etiam civitates, immo provinciæ, & nationes reguntur; debet autem in eo præſertim eſſe, penes quem eſt ſummum imperandi jus; cui nempe, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.*4. *Polit. cap.* 14.) *belli, & pacis poteſtas permiſſa eſt, itemque ſocietatis faciendæ, & dirimendæ, & legum, mortis, exilii, proſcriptionis, atque* [repetundarum] *rationum*. Porro ejus prudentiæ, quæ longe, lateque patet ac funditur, munus eſt in primis arcte id tenere, cujus gratia geritur principatus; hoc autem non quidquam eſt aliud, niſi utilitas, ſalus, incolumitaſque reipublicæ: cum iccirco conſtituti ſint reges, ac rectores gentium, & populorum: *ut enim*, ait Tullius (*in Fragm.*5. *de Rep.*] *gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori victoria; ſic huic moderatori reipublicæ beata civium vita propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* (*Vide & Epiſt. ad Atticum lib.*8. *Ep.*11.) Huc princeps optimus refert omnia, nihil faciens commoditatis ſuæ cauſa (*vide Lipſium Civilis Doct. lib.*2. *cap.*6. *tom.*4.) Tum ejus, qui præeſt, munus eſt, gloriam ſuam in populi caritate, benevolentiaque collocare: qui eam quærit aliunde, ut a faſtu, & ſupercilio, vehementer errat: id enim conſequitur, ut proſcindatur jurgiis, ac maledictis.

II. Valet etiam plurimum ad bene, ac prudenter adminiſtrandam rempublicam optimatum, populique mores vireſque cognoſcere, ac vulgi ingenium, in quo non eſt conſilium, non conſtantia, non ratio. Intereſt autem ſitne regnum antiquum, quod plus firmitatis, ac minus invidiæ habere videatur; an recens, quod expediat ſtabilire ſolertia; an vi partum,

an

Digitized by Google

an electione, ſucceſſione, legibus; ſitne omnino Monarchicum, an conſtet ex Ariſtocratico, aut Democratico dominatu; quæ pacta & conventa ſerventur cum fructu, cum periculo violentur. Nec minus finitimarum gentium indoles debet eſſe perſpecta, ſintne pacatæ, an tumultuoſæ & moleſtæ; timidæne, an audaces (*vide Gaſſendum Ethic. lib.* 2.*cap.*2. §. *Reſtat politica*, *& Gregorium de rep. lib.*10. *cap.* 4. *num.* 12.)

III. Item principis eſt ſcire fines imperii, ſitum, arces, munimenta, commercia, iccircoque Geographiam callere, ac Coſmographiam, quæ peregrinationis eſt inſtar, cum non licet longius a patria, ac diutius aberrare. Accedat hiſtoria, qua propoſitis rebus geſtis ſuperiorum temporum, princeps erudiatur ad rempublicam bene gerendam; tum philoſophia, quæ eſt prudenter ac bene cum dictorum, tum factorum quaſi parens; proderit & ſcientia picturæ, quippe quæ oculis ea ſubjicit, quæ videri in ſeſe nequeunt, aut cogitatione comprehendi; & generatim ſapientia eſt veluti mens, & anima principatus: quare præclare ſcriptum eſt a Platone (*apud Val. Maximum lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 4. *inter externa*) beatas eſſe civitates, in quibus aut philoſophi principatus clavum tenent, aut principes philoſophantur.

IV. Cum vero plura ſint, ſine quibus conſtat, regnum ac rempublicam non poſſe conſiſtere ac eſſe diuturnam, ut nihil horum deſit, prudenti principi providendum eſt. In primis autem, cum decernere ipſe per ſe ſolus, ac videre non poſſit omnia, ejus præſertim in eo prudentia cernitur, ut conſiliariis utatur optimis, hoc eſt, qui ſint benevoli; quoniam, ut Micipſa ait [*apud Salluſtium de bello Jugurt. p.*61. *edit. Gryphii in* 8.) *non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, verum amici*, itemque probi, & fideles; eſt autem fides cum probitate conjuncta; periti cum rerum, tum hominum: nam ſapienter Tullius (*lib.*2. *de Orat.*) *ad conſilium . . . de republica dandum, caput eſt*, ait, *noſſe rempublicam*. Senes, non juniores; vario fortunæ caſu exercitati; acuti, verum non nimis, commendatique communi fama; qui libere loquantur, ac illam ob oculos habeant Solonis legem (*Laertius in Solone tom.*1. *lib.*1. *cap.*2. *num.* 12.) *conſule, non*

quæ

quæ ſuaviſſima, *ſed quæ ſunt optima*; conſtantes, ſed cum modo: quandoquidem conſilia ſunt rebus, quæ mutari poſſunt, accommodanda; ac tandem taciturni: nam ſilentio maxima quæque negocia conficiuntur.

V. Eſt autem principis, qui prudens ac ſapiens ſit, amicorum conſilia, etſi propriæ ſententiæ contraria, ſequi in re dubia, & illud imitari M. Antonini imperatoris, ac philoſophi dictum [*Julius Capitolinus in M. Antonino philoſopho*] *Æquius eſt, ut ego tot, & talium amicorum conſilium ſequar; quam ut tot, & tales amici meam unius voluntatem ſequantur*. Sic non mordebit animum ſcrupulus, ſi forte res non ex ſententia ſucceſſerit. Occultet tamen princeps, quid ſit facturus, ut Vegetius monet (*lib.3. cap.26.*) *Fieri quid debeat, tractato cum multis; quid vero facturus ſis, cum pauciſſimis ac fideliſſimis, vel potius ipſe tecum*. Nec vero ſtatim conſilium arripiat, ſed mature deliberet; non tamen ita, ut agendi tempus prætereat; nec bona quidem conſilia præmiis afficiat, ne quem acquirendi ſpes abducat a veritate, nec poenis mala, ſeu quæ infelix exitus conſequatur; ſecus defuturi ſunt, qui velint conſilium dare, cum nequeant id facere ſine periculo: neque vero ſemper male ſuadent, qui non felicius.

VI. Sunt autem non minus aſpernandi, inſectandique adulatores, quam qui vitæ inſidiantur, aut peſte contaminantur, aut adulterinos nummos pro bonis afferunt: quoniam in infamiam ac perniciem adducunt cum rempublicam, tum ejus moderatorem, priuſquam is tale aliquid ſuſpicari poſſit: quare oſtentationi ſemper maxime infenſus ſit, veritati nunquam (*hac de re videatur Lipſius Doctr. Civil. lib. 3. cap. 34., & conſeq. tom. 4.*) Poteſt autem aſſentatio detegi ſimulando, id diſplicere, quod ante placuerat: nam mutabitur ab adulatore ſententia etiam temere, & ſine ratione.

VII. Porro ſi quis conſilium nolit audire, ſic habe, hunc vel ſuperbum eſſe, qui putet, ſe omnibus anteire ſapientia, vel nefarium, qui velit id facere, quod lubet, quamquam turpe ſit, vel minus ſanum, ut fere contingit, qui errorem non videat, in quo verſatur. Certe conſilio regna maxime conſiſtunt: *ego in ea vita multa legendo, atque au-*

Digitized by Google

audiendo ita comperi, ait Salluſtius (*ad Cæſarem orat.* 2.) *omnia regna, civitates, nationes uſque eo proſperum imperium babuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt. Ubicumque gratia, timor, voluptas ea corrupere, poſt paullo immutatæ opes, deinde ademptum imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt.* Quod omnium ætatum exempla confirmant.

VIII. Conſiliarii quidem mente principem juvant, ſed præterea adminiſtris eget, quibus ille utatur, ut manu; quales ſunt provinciarum, aut oppidorum præfecti, quæſtores, judices, duces, imperatores, aliique, qui non tantum ad principis ornamentum adhibentur, ſed attingunt partem aliquam reipublicæ, & gerunt magiſtratum: ſint autem honeſto loco nati, niſi eximia virtus tegat generis obſcuritatem: quoniam optimum quemque eſſe nobiliſſimum jure ait Vellejus Paterculus (*lib.* 2.) & nos ſupra diximus [*lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 10.) tum morum probitate inſtructi, & peritia rerum gerendarum, & eo ingenio, quod ſit ad datam provinciam accommodatum: quandoquidem, ut ait Propertius (*lib.* 3. *Eleg.* 6. *in emend.*)

Omnia non pariter rerum ſunt omnibus apta.

Quo efficitur dividenda eſſe munera: neque enim fere unus aptus eſt pluribus ſuſtinendis cum dignitate. Quamquam vero boni ſint adminiſtri, princeps tamen non omnia eorum poteſtati permittat: nam facile mutari poſſunt, & labi, præſertim in rebus gravioribus adminiſtrandis.

IX. Accedat deinde ærarium, in quo tanta ſit pecuniæ vis, ut ex ea, cum occaſio inciderit, poſſit accipi ſine incommodo populorum; mox copiæ, & præſidia, & fœdera maxime cum potentioribus tum ad commercia, tum ad ſecuritatem; & eorum, quæ in regno ac principatu, vel extra geruntur, perſcrutatio, atque accurata, quoad fieri poteſt, cognitio; ne quis quid adverſus reipublicæ ſalutem incolumitatemque moliatur, & pacem labefactet, quam oportet eſſe diuturnam.

X. Illud vero princeps intelligat, imperii ſtatum ſemper vacillare, niſi auctoritate, benevolentiaque firmetur. Auctoritate primum, quæ poſita eſt in imperii forma con-

ſtanti, ac propria, & ſevera quodammodo, ſed tempeſtive, & cum modo, *ut metus videlicet ad omnes*, quemadmodum ſcriptum eſt a Tullio (*pro Cluentio*) *pœna ad paucos perveniat*: in potentia, quæ paratur opibus, armis, conſiliis, fœdere, fortuna; in moribus imperantis tum externis, qualis eſt certus quidam habitus, & geſtus; cum internis, nempe virtutibus. de quibus paullo poſt dicam. Auctoritate quidem repellitur vis & proditio, quæ regnum evertunt.

XI. Deinde benevolentia, ſeu in regem charitate ſtat principatus; triplex autem ad eam via, lenitas in verbis, in factis, in juſſionibus ac præceptis; beneficentia, qua maxime animi conciliantur, nam omnium dulciſſimum eſt accipere; & indulgentia, quæ cernatur in annona, & oblectamentis, quæ tamen modum tueantur. Hoc pacto, nimirum auctoritate ac benevolentia, aberit contemptus, & odium populorum in principem; quæ duæ res, cum intimæ ſint, & penitus infixæ in viſceribus reipublicæ, ſeditionem facile concitare poſſunt, & omnino evertere principatum (*vid. Lipſium Civ. Doctr. lib.4. cap.8. & conſeqq. tom.4.*)

XII. Præter eas, de quibus memini, reliquas etiam omnes in principe ad recte adminiſtrandum imperium oportet eſſe virtutes, quibus præeat omnibus, conſentaneum eſt, ut anteit dignitate, ac munere principatus. Porro earum prima quaſi fundamentum humanæ ſocietatis, juſtitia eſt, ob quam reges ſunt conſtituti: iccirco juſti nomine nihil habent illuſtrius: hæc præmium, pœnamque decernit, & jus ſuum cuique tribuit, continetque pietatem ac religionem, quæ & ad ſuſtinendam dignitatem, ſine divina ope facile collabentem, & ad populum continendum, quippe qui eum obſervat & reveretur, quem ſibi perſuadet a Deo diligi, eſt maxime neceſſaria. Eam ſequitur fides, quam cuique certe, at regi, propterea quod ejus ſit vindex, violare turpiſſimum eſt. Similiter principis eſt fortitudo ad incutiendum metum, & clementia ad conciliandum amorem ob veniam datam, & modeſtia majeſtati conjuncta, qua odium, & contemptio declinari queat; liberalitas etiam ad benevolentiam, ut dixi, ſed cum delectu, habita etiam ærarii ratione, ne per ſcelus ſupplendum ſit id, quod exhauſit ambitio. Continentia quoque virtus eſt regia, propter quam tan-

tantum laudis conſecutus eſt & Alexander ille Magnus, & Scipio Africanus, quorum uterque nihil eleganti forma permotus eximiæ caſtitatis exemplum reliquit poſteritati (*Sabellius tom.4. lib.4. Exemplorum cap. 10. apud Andream Eborenſem v. Temperantia*) Huc adde magnanimitatem ad præclara facinora & ſuſcipienda, & perficienda, ſublato inani metu, & humanitatem facilitatemque, qua aditus cuique pateat ad principem: hac dote & Trajanus (*Plinius in Paneg. orat.1. Trajan. cap.48.*] & M. Antoninus Aurelius philoſophus (*Herodianus Hiſt. lib.1. num.3. p.4. Edit. Francof.*) tantopere commendantur; debet enim, ut ſol, ita princeps omnibus lucere & prodeſſe: ne perſequar gratum animum, aliaſque virtutes, quas omnes perfecte decet eum habere, qui velit bene præeſſe reipublicæ (*vid. Patritium Senenſem de Inſt. Reipub. lib.3. tit.1. Petrum Gregorium de Rep. lib.8. cap.2. Confucium Scient. Sin. lib.2. pag. præſertim 93. & multis aliis in locis*) cujus ſalus regis probitate omnis nititur. Jure igitur Sinici regis pelvi, in qua lavare corpus ſolebat, ut ſcriptum eſt a Confucio [*Scien. Sin. lib.1. pag.7.*) erant inſculptæ literæ: *toto die*, ideſt aſſidue, *te lava, & renova*.

XIII. Quibus efficitur, oportere principem uti, ac delectari conſuetudine bonorum ac ſapientum, quorum ſermone proficiat in dies, & ſupra alios emineat: ſi ſecus faciat, argumentum vel maximum præbet improbitatis in gerendo magiſtratu: quiſque enim ſatis intelligit, eum talem fore, quales ſunt ii, quos conſuetudine & amicitia conjunctos habet; nec bonum & ſapientem eſſe illum, qui bonos viros ac doctos aſpernetur & reſpuat.

XIV. Lubet autem hoc loco Confucii documenta quædam huic diſputationi conſentanea proponere: *Quicumque*, ait, (*Scient. Sin. lib.2. pag.63.*) *moderatur orbis regna, habeat has novem regulas, & præcepta vulgaria quidem, ſed obſervatu neceſſaria: videlicet 1. excolat virtutibus ſeipſum: 2. colat ſapientes & probos viros: 3. Obſervet & amet Parentes: 4. Honoret, & in pretio habeat præſtantiores miniſtros, & præcipuum magiſtratum gerentes: 5. Accommodet ſeſe ad voluntatem reliquorum miniſtrorum, ſeu præfectorum minorum, quos ut membra ſua autumet: 6. Filiorum inſtar diligat po-*

Digitized by Google

pulum, ac vulgus promiſcuum, congaudendo gaudenti, condolendo dolenti: 7. Accerſat plurimos omnis generis artifices ad commune regni emolumentum. 8. Benigne ac comiter excipiat, ac protegat e longinquo advenas, & adventantes hoſpites: 9. Denique amanter & impenſe foveat, & cordi habeat imperii regulos, & dynaſtas; quo fiet, ut concilietur eorum erga regem & amor, & fides. Deinde has regulas fuſius explicat. Cæterum qui aliis præeſt, is regum ac principum ſciat eſſe, cum benefecerit, male audire; ſed hoc etiam modice ferre neceſſe eſt. De Politica prudentia generatim pauca quidem dixi, ſed pro inſtituti noſtri ratione ſatis; ea vero cum ſupra a nobis tributa ſit in Togatam, Militarem, Legumlatricem, ac legalem, quæ ad has formas ac partes pertinent, ea leviter attingo.

CAPUT VII.

Quæ ſint Togatæ Prudentiæ munera.

I. PRimum hujus prudentiæ munus eſt videre, ne quid detrimenti capiat religio: *nihil eſſe*, ait Lactantius (*lib.5. Inſt. cap.20.*) *in rebus humanis religione præſtantius, eamque ſumma vi oportere defendi*: tum ut Deus rempublicam protegat & tueatur, tum ne populi metu numinis omnia introſpicientis in ea prolabantur ſcelera, quæ humana lege coerceri non poſſunt, aut occulte perverſi aliquid ac nefarii moliantur adverſus incolumitatem aut regis aut civitatis: religio, *& timor Dei ſolus eſt*, rurſus ſcribit Lactantius (*de Ira cap.12.*) *qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem;* & Cyrus ſapienter ſecum animo reputabat, ut ſcriptum eſt a Xenophonte [*Pediæ lib.* 8.] *Si omnes ſui familiares* (& populi) *pii eſſent in Deum, minus eos velle & invicem, & adverſus ſeipſum nefarii quidquam facere*. Quamobrem viri principes multum iis debent, qui populum bonis moribus informant, & ad virtutem excitant & adhortantur. Hac autem in re majorum inſtituta tueri oportet, ſacra, cæremoniaſque retinere. (*vide Lipſium Civ. Doctr. lib.4. cap.2., & ſeqq. tom. 4.*) II.

Digitized by Google

II. Alterum munus eſt, diligentem dare operam, ut ſcientiæ, ac diſciplinæ maximo in honore ſint apud omnes, arteſque excolantur, ingenuæ quidem ad decus, dignitatemque civitatis, mechanicæ vero ad utilitatem, ac vitæ uſum quotidianum; & in primis agricultura, unde exiſtit frugum ac fructuum copia & affluentia, nautica ad commercia, & mercatura.

III. Tertium eſt in id incumbere, ut reſpublica iis rebus abundet, quæ ad vitam ſunt neceſſariæ, atque ut locupletiores qui ſunt, ii ſua bona communicent cum egentibus; itaque nullum ſit membrum, in quod pars aliqua felicitatis non illabatur, influatque quodammodo. Iccirco luxum in pecuniæ uſu, in domo, in conviviis, in veſte cohibere oportet ignominia, aut mulcta, quod ſapienter majores noſtri conſtituerunt: [*in Decret. pœnal. Lucenſ. Reip. edit. an.* 1637. *die* 6. *Novembris pag.* 555.] idque eo magis, quod, ut Ariſtoteles ſcribit (*Polit. lib.* 5. *cap.* 6.) *fiunt etiam paucorum poteſtatis mutationes, cum ſua licenter, & libidinoſe vivendo effundunt: hi enim tales homines rebus novis ſtudent, & vel tyrannidem affectant ipſi, vel alium ei parant*: quemadmodum Romæ Catilina, aliique aliis in locis.

IV. Quartum eſt omni ſtudio curare pacis, felicitatiſque diuturnitatem, paratis omnibus, quæ ad incurſus hoſtium repellendos, comprimendaſque civium ſeditiones neceſſaria videantur, ita quidem, ut quiſque intelligat, inanes & irritos fore conatus contra quietem, tranquillitatemque reipublicæ. Adverſus externam vim valent potentia, milites, arces, munitiones, fœdera, & alia generis ejuſdem. Populus autem in officio continetur auctoritate, benevolentia, perſcrutatione conſiliorum, juſtitia, æqua partitione munerum, levatione vectigalium, cum fieri poteſt, aut ſi quam novam mulctam irrogari neceſſe ſit, dando operam, *ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.* [*Cicero lib.* 2. *Offic.*)

V. Verum cum arte & diligentia effici non potuit, ne qua oriatur ſeditio; hæc quam citiſſime ſedanda eſt, aut per viros, qui auctoritate, pietate, & gratia valent in civitate, aut armata vi, aut aliquid dando, ſi res eſt plena periculi. Cum vero diſſidium eo pervenit, ut civile bellum con-

conflatum ſit, aut pacta quædam ineunda ſunt pro ratione temporis, aut armis decertandum, cum ſpes eſt, fore, ut civilis tumultus, ac domeſtica perturbatio vi comprimatur. Parta victoria, in præcipuos tantum ſeditionis auctores animadverſio adhibenda eſt, cæteris remittenda, ut quædam ſit clementiæ, ac ſeveritatis temperatio. Cæterum qui turbas excitant, aut novi aliquid in republica moliuntur, priusquam peſtis latius manet, acerrime puniantur (*vide Gaſſendum Ethic. lib.2. cap.2. §. Succedit quartum.*)

VI. Quintum eſt, ſi forte bellum cum exteris geratur, nihil prætermittere, quod ad illud fauſte ac proſpere conficiendum conferat. Curandum pariter, ne urbani milites otio, umbra, & deliciis effeminentur ac diffluant. [*Vid. Patritium de Rep. lib.9. tit.3.*]

CAPUT VIII.

Quæ ſint Prudentiæ Militaris munera.

I. ORdinis tantum tuendi cauſa pauca dico de militari prudentia, cujus eſt in primis videre, ſitne bellum juſtum, an ſecus. Juſtitia vero facilius ineſſe poteſt in eo propulſando, quam inferendo: nam *hoc & ratio doctis*, ait Tullius (*pro Milone*) *& neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim, quacumque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent.*

II. Inferendi autem juſta cauſa eſt vel defenſio ſociorum, & amicorum, & imbecillium, vel ſui juris vindicatio, ac regionum, quæ ſecus recuperari non poſſint. Verum res tanta magno eget conſilio: oportet enim attentius conſiderare, quæ vires ſint cum propriæ, tum hoſtium, qui milites, ſocii, vectigales, quæ urbium munitiones, qui commeatus, quæ machinæ; itemque belli incommoda & privata, & publica,

ut

ut vaſtitas, agrorum ſterilitas, clades, cædes, urbium ac pagorum everſio, graviſſimæ acerbiſſimæque moleſtiæ, odium principis, religionis contemptus ac violatio: qui enim militiæ nomen dant, ii plerumque ſunt ex varia gentium colluvione conflata multitudo, quam nulla pietas movet, nulla religio. Videant proinde bellorum auctores, an quidquam tale audendum ſit aliquando temere, avaritia, aut ambitione, aut privata vindicta, aliave impellente cupiditate; cum bellum nonniſi neceſſitatis, ac pacis gratia ſuſcipiendum eſſe conſtet.

III. Cum vero illud geri neceſſe eſt, præſto ſint viri idonei, arma, commeatus, pecunia. Ex viris quidem duces, ac milites. Ducum ſupremus ſit unus, quem imperatoriæ virtutes ornent, quales Tullius tradit eſſe (*pro Lege Manilia*) *ſcientiam rei militaris*, *virtutem*, *auctoritatem*, *felicitatem*. Ad quas pertinet *labor in negociis* [*ibidem*] *fortitudo in periculis*, *induſtria in agendo*, *celeritas in conficiendo*, *conſilium in providendo*: & rurſus aliæ enumerantur a Cicerone (*cit. loc.*) *quanta innocentia*, inquit, *debent eſſe imperatores? Quanta deinde in omnibus rebus temperantia? quanta fide? quanta felicitate? quanto ingenio? quanta humanitate?* Debet quidem imperator auctoritate valere plurimum, & ſeverus eſſe cuſtos, ac vindex diſciplinæ; aliis præbere exempla probitatis: nam milites ducis naturam imitantur; & niſi id vetet ejus, qui militiæ præeſt, reverentia & metus, nihil eſt, quod non audeant.

IV. Hi porro firmi ſint ætate, & corpore, bellica diſciplina eruditi, ac gloriæ cupidi, & fere domeſtici potius; minus enim tumultuantur, quam exteri.

V. Inter arma locum habet pulvis pyrius, cujus præſto ſit ſatis magna vis, & copia præſertim hac noſtra ætate, cum ſæpe non enſe, ſed fere igne decertatur. De commeatu nihil attinet dicere, quippe qui ſi deſit, exercitum omnem confici neceſſe eſt; & ſimiliter pecunia ſublata, quæ eſt belli nervus: valet enim non tantum ad alendum exercitum, ſed interdum etiam ad expugnandas arces: notum eſt illud Philippi (*Cicero lib.1. ad Attic. epiſt.16.*) qui omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, in quæ modo aſellus onuſtus auro poſſet aſcendere.

VI.

VI. Sed demens ſim, ſi velim imperatoris officia perſequi in re tam varia, tam ancipiti, tantis difficultatibus involuta, quale bellum eſt, & a viris & doctis & peritis optime pertractata, ut a Lipſio (*Civ. Doctrinæ lib.5.*) a Franciſco Patritio (*de Inſtit. Reip. lib.9.*) a Petro Gregorio (*de Rep. lib.11.*) a Rollino (*de Studiis humaniorum literarum tom.4. part.3. hiſt. Rom. cap.2.*) a Flavio Vegetio [*libris quatuor de re militari*] a Julio Frontino (*Stratagematum lib.4.*) ab Æliano (*de inſtruendis aciebus*) a Polybio (*de militia & caſtrametatione Romanorum*) aliiſque quammultis (*vid. & Gaſſendum Ethic. lib.2. cap.2.*) Itaque ſilere præſtat, quam plura loqui, ne mihi potiori jure id accidat, quod olim Phormioni: nam, ut ſcribit Tullius (*lib.2. de Orat.*) *cum Annibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, proque eo, quod ejus nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, ut eum, quem dixi* (Phormionem philoſophum) *ſi vellet, audiret; cumque is ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum cum cæteri, qui illum audierant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Annibale, quidnam ille ipſe de illo philoſopho judicaret. Hic Pœnus non optime græce, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe, ſed qui magis, quam Phormio deliraret, vidiſſe neminem.* Ergo pergamus.

CA-

CAPUT IX.

Quæ ſint Legumlatricis Prudentiæ munera.

I. PLura cum ſint alio in loco (*lib.2. part.2.*) a nobis de legibus diſputata, hoc eſt, de earum vi & natura, de neceſſitate, de fine, aliiſque generis ejuſdem, quæ ob oculos habere debet is, qui velit legem condere, pauca admodum nunc ſuperſunt, quæ addenda videantur, præſertim cum brevitati ſtudeamus.

II. Illud autem prudentia primum poſtulat, ut legis promulgationi præeat diligens conſultatio. Alexander Severus, ut ſcriptum eſt a Lampridio (*in Alex. Sev.*) *nullam conſtitutionem ſancivit ſine viginti juriſperitis, & doctiſſimis ac ſapientibus viris iiſdemque diſertiſſimis non minus quinquaginta, ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quam ſenatuſconſultum conficerent; & id quidem ita, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quiſque dixiſſet; dato tamen ſpatio ad diſquirendum cogitandumque priuſquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus.* In republica etiam Athenienſium ex Solonis præcepto (*vid. Demoſthenem contra Leptinem tom.2.*) & Romanorum ſummo conſilio leges ferebantur: hoc pacto facilius excipiuntur a populo, quippequi eas intelligat ſapienter eſſe conſtitutas, & omnis amputatur occaſio pœnitendi.

III. Tum vero jura ſanciantur ad Dei cultum & religionem, atque ad utilitatem reipublicæ, bonis quidem mercede propoſita, improbis autem pœna, ita tamen, ut hi potius emendentur, ſi fieri poteſt, quam intereant: acerbiſſimæ enim habitæ ſunt Draconis leges, quæ vel leviora delicta morte mulctabant (*Patritius de Inſtit. Reip. lib.1. tit. 5.*) Reliquæ præterea conditiones condendarum legum, de quibus dixi [*in morum Theologia lib.4. cap.2.*] ſerventur omnino. In jure condendo oportet etiam habere rationem fini-

nitimorum, cum quibus curandum eſt, ut amice, pacateque vivatur.

IV. Inter peccata, quæ vetari oportet, non infimum locum obtinet luxus, quo labefactatur ſtatus rerumpublicarum, & pernicies invehitur in privatas domos, univerſamque civitatem. Præſertim vero legumlatoris eſt ea ſtatuere, quæ ad juventutem bene inſtituendam conferant. Propterea quod Romanorum rex Numa fuerit hac in re negligentior, omnia ejus conſilia ac decreta evanuere, poſteaquam e vita diſceſſit; ſublata eſt quies Italiæ, cui tantopere ſtuduerat, & omnia completa ſunt cæde ac ſanguine: quoniam tranquillitas & concordia reipublicæ non continebatur eo nexu, quo ſervari diu poſſet, hoc eſt, liberali optimaque educatione juventutis. Secus omnino Licurgo accidit, quippe qui leges ſuas juventutis moribus conformarat: eas igitur fuiſſe diuturnas, ſaltem quæ principem locum obtinerent, hoc eſt, quingentorum annorum ſpatio ſervatas eſſe, memoriæ proditum eſt.

V. Eam ob rem ſapienter facerent magiſtratus, ſi obſcenas imagines, tabellas & ſimulacra, aliaque generis ejuſdem, libros etiam ac ſpectacula, quæ aliquam turpitudinis ſpeciem adoleſcentum animis præſertim objicere poſſe videantur, & obſcenarum rerum artifices juberent abeſſe a civitate: nihil enim eſſe poteſt hac peſte flagitioſius, ac magis vitæ innocentiæ morumque probitati, atque adeo reipublicæ noxium & exitiale.

VI. Cæterum ſi princeps velit magnam in lege ineſſe vim, populo præire ſtudeat exemplo, & obſervatione eorum, quæ ſancierit: notum eſt illud Claudiani (*de* 4. *Honorii Conſulatu v.299.*)

> . . . . *Componitur Orbis*
> *Regis ad exemplum* . . . .

Nec legum multitudine ac varietate difficultatem augeat parendi, ſed potius in eo nervos contendat, ut quæ conſtituta ſunt, ſancte executioni mandentur. Hæc ſatis in re, quæ a multis eſt fuſe ac diligenter explicata.

CA-

CAPUT X.

Quæ ſint Legalis Prudentiæ munera.

I. QUi juriſprudentiæ velint operam dare, ii prudenter facient, ſi quæ ad hanc ſcientiam, difficilem illam quidem, & implicatam, & plenam ſalebrarum, muniunt viam, ea ſibi parare ſedulo, diligenterque ſtuduerint. Hæc vero ſunt primum latinæ linguæ abſoluta ac perfecta cognitio; latinæ, inquam, non barbaræ, non inquinatæ, deformatæque lue quadam & immanitate verborum, quæ homines imperiti & indocti fabricati ſunt pro libito contra receptum morem, conſuetudinemque veterum juriſconſultorum, ut Ulpiani, ut Papiniani, ut Pauli, ut Scævolæ, ut Labeonis, qui profecto ſi ad vitam redirent, eos nova lingua erudiri oporteret ad intelligenda, quæ a pleriſque ſunt edita, legum barbara commentaria. Puræ latinitatis inſcitia multi legum ſtudioſi ſæpe errant ac ſomniant, & cum vocum naturam & vim minus intelligant, male jura interpretantur. Labeo quidem Antiſtius, ut auctor eſt Gellius (*Noct. Attic. lib.13. cap.10.*) *latinarum vocum origines, rationeſque percalluerat*: *eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur*. Porro eo minus venia digni ſunt legum interpretes, ſi verbis utantur inuſitatis, peregrinis, barbaris, quo meliores in eo ipſo ſcientiæ genere, quam profitentur, auctores habent ad imitandum. Nec deſunt, qui priores illos æmulati ſunt proximis ætatibus, ut Alciatus, ut Cujacius, ut Vinnius, ut Gravina, aliique non pauci multa cum laude & commendatione ſapientiæ.

II. Accedit, quod qui ſcribunt ſine ullo delectu verborum, ii eruditis ac literatis viris pariunt moleſtiam, ac riſum movent. Quis enim ſaltem non rideat, dum inter legendum in hæc incidit & lepida, & nitida, & concinna dicendi genera: *punctus difficultatis*, *hunc punctum decidere*, *legatum*, *quod in verbis cantat de uſufructu*, *groſſolano modo*, *hoc non percutit ſubſtantiam*, aliaque fere infinita, quæ vel celeberri-

rimis juriſconſultis ſunt familiaria, quæque in ſcholis vulgarium Grammaticorum non effugerent ferulæ acerbitatem? Quid illa? *Summare, ampliare, ſubampliare, limitare, ſublimitare, caſuare*, quæ deridet etiam Heineccius (*in præfat. ad Vinnii comment. in Civil. Inſt.*) cum tamen his, & horum ſimilibus plena ſint volumina juriſconſultorum? Videlicet ad juris ſcientiam accedunt ſine præſidio latinitatis, quam quacumque vocum colluvie imitantur multo fœdius, quam ſimiæ facta hominum ſapientum.

III. Tum græca lingua non modo utilis eſt juris ſtudioſo, ſed etiam maxime neceſſaria ad corrigendos errores, qui occurrere ſolent incuria typographorum; ad intelligenda loca quæ male ſunt latine reddita, aut quæ in lingua latina ſunt ambigua, in græca non ita; cujus rei exemplum affert Joſephus Peccius (*in Oratione de lingua græca dignitate, edita Neapoli an.1743. p.72.*) Nec vero pauca ſunt græce ſcripta in Pandectis; immo quidam tituli, ut vocant, e græco accepti ſunt; ut is, qui eſt *de Excuſationibus*, ex Modeſtino, qui græce ſcripſit; græce item plures ſunt ab imperatoribus leges latæ.

IV. Deinde quamquam civiles Inſtitutiones a Triboniano, a Theophilo, a Dorotheo latine deſcriptæ ſint; tamen cum quibuſdam in locis paullo obſcuriores videantur, a græca paraphraſi lumen expedit mutuari, quam adornavit ipſe Theophilus, quo in colligendis inſtitutionibus uſus eſt Juſtinianus. Quod quidem prudenter fecit Vinnius, & magno cum fructu juventutis, quæ ſe ad juriſprudentiam applicat.

V. Præterea eſſe græcam linguam valde utilem, & neceſſariam ad intelligendas eas voces, quas in latinos libros, & in forum uſus tranſtulit: has vero plurimas eſſe ac familiares compertum eſt. Non videtur ergo ad ſcientiam legum ſatis habere præſidii jureconſultus, qui in Græcia ſit plane hoſpes, & cum in græcum nomen incidit, extemplo hæreat, nec ſciat, quid literæ ſint; quæ autem dictionis vis & poteſtas, multo minus.

VI. Has ob cauſas præſtantiſſimi jureconſulti non modo latinæ, ſed & græcæ linguæ facultate plurimum valuerunt; & quidem præter vetuſtiores, de quibus non eſt dubitandum,

Digitized by Google

ſtum, etiam ii, qui a noſtra ætate propius abſunt, ut Alciatus, Cujacius, Vinnius, Gravina, quos paullo ante nominavi, Irnerius, qui lucerna juris nuncupatus eſt, Goveanus, Budæus, Antonius Auguſtinus, Duarenus, qui commemorantur a Gravina (*de Ortu, & Progreſſ. juris civilis cap.*143. *& ſeqq.*) Connanus, Giphanius, Heineccius, aliique; Cujacius vero in primis quam nova, & præclara hauſerit ex Græcis, libri ab eo ſcripti declarant. Verum quod hi & latine loquantur non ineleganter, & interdum græce, & jura altius interpretentur, legi ſolent & raro, & a paucis.

VII. Ad hæc plurimum valet in jure civili politior literatura, & eloquentia, & philoſophia, præſertim ea pars, quæ de moribus diſſerit: hæc enim eſt quaſi juriſprudentiæ parens. Sine his præſidiis fere imprudens ſit, qui ad ſacras leges acceſſerit, & ad decernendum, judicandumve, quid æquum bonumque poſtulet: quoniam facile aut in reipſa aberrabit, aut neſciet, quæ forte animo comprehendit, ea explicare & eloqui. Sed vereor, ne ſint perpauci, qui aliquam operam in Ethicis collocaverint, & qui eloquentia & humanioribus diſciplinis inſtituti ſint, multo pauciores; cujus rei conjecturam ex eorum ſcriptis, & diſputationibus licet capere, quæ fere carent omni lumine poliriorum literarum; cum tamen magni interſit ad cauſas agendas, elegans ne ſit, & concinna; an incompoſita & rudis oratio: cujus rei teſtes ſunt veteres illi cauſarum patroni, ut Demoſthenes, ut Tullius, quorum orationes attentius conſiderare, & ſin minus ornatum & vim, ſaltem rationes & argumenta imitari opportunum iis puto fore, qui clientum patrocinium ſuſcipiant: multum etiam capient utilitatis, ſi præcepta legerint, quæ de arte oratoria in deliberandi genere tradita ſunt a clariſſimis viris, ut ab Ariſtotele (*in lib. Rhet. tom.*6.) a Tullio (*de Orator.*) a Cornificio (qui a doctis quibuſdam habetur auctor librorum ad Herennium) a Quintiliano (*in Inſtitut. Orator.*) quamquam hos forte ne ii quidem terunt, qui rhetoricam artem docent, uno Decolonia contenti.

VIII. Afferet etiam legum ſtudioſus ad cognoſcendam æquitatem, ne quid imprudenter faciat, ingenium, judicium, eruditionem, uſumque rerum variarum, atque adeo pietatem.

In-

Ingenium & judicium eſt a natura; quod tamen arte multum excoli & juvari poteſt; & cernitur in perſcrutatione, conſultatione, & intelligentia eorum, in quibus verſari oportet, & delectu cum librorum, tum ſententiarum. Præſertim vero judicii vis in eo ſita eſt, ut juriſconſultus probe intelligat & inveſtiget, quid ſit id, de quo quæritur, & ſtudeat ea omnia habere cognita, quæ neceſſaria ſunt, priuſquam ad cauſam defendendam aggrediatur; ac non de genere diſputet, ac de jure, ſed de ſingulari facto, in quo ejus poni oportet induſtriam; nec quæſtiones habeat inutiles & minime neceſſarias, aut probet ea quæ certa ſunt, & dantur etiam ab adverſariis, aut poſthabitis gravioribus, diluat objecta argumenta leviora; nec utatur auctoritate, aliorumve ſententiis, & re judicata in facti genere diſcrepante, quod ſæpe fit: coacervantur enim doctorum nomina, qui ſi conſiderate legantur, vel ſecus ſentiunt, vel de re ſcribunt plane diverſa ſaltem propter adjuncta.

IX. Intelligat item patronus, opus eſſe ratione, ſine qua nullum poteſt eſſe pondus auctoritatis. Videmus tamen rationem ſæpe aut prætermitti, aut attingi leviſſime; paginas autem teſtium multitudine late compleri, quorum plures ubinam gentium ſint, ignoratur; alii autem ſunt tantum nomine aut fama cogniti. Enim vero ſcriptores non ii ſunt, penes quos ſit poteſtas legum ferendarum; immo cum ſæpe diſputationum ſubtilitate referſerint juriſprudentiam, legum ſplendorem & decus in ſummam obſcuritatem adducunt; ita quidem ut non raro cum diſceptationem quamdam perlegeris, quid tandem ſentiant, videre non poſſis. Eam ob rem Juſtinianus imperator cavit, ne cui liceret leges interpretari & explicare commentariis [*in Conſt. Deo auctore* §. *Noſtram. de Veter. Jur. enucleando*, & *L. Tanta* 2. *tit. eod.* §. *Hoc autem*] in quo etſi a multis reprehenditur; a multis tamen laudatur [*vid. Muratorium de Vitiis Juriſprudentiæ cap.* 4. & *Heineccium in Præfat. ad Vinnium*] Certe cum juriſperiti inter ſe diſſident, & fere æquo marte decertant, nihil eſt cauſæ, cur eorum auctoritate moveamur, ſed, res qualis ſit, oportet æſtimare ratione. Quamobrem ſunt, qui velint expedire, ſi plerique juris commentarii, quibus bibliothecæ refertiſſimæ ſunt, exulent e civitate: putant enim hoc pacto

ſto legum puritati melius conſultum iri, quæ tot voluminum colluvie contaminatur. Verum legantur libri, per me licet, ſed cum delectu, & eo conſilio, ut quæ excogitata ſunt ſapienter, ea ad cauſam deferantur, nec unquam ſine ratione valeat auctoritas.

X. Illud vero ridiculum eſt, conjecturam aliquam, quæ ad cauſam opportuna videatur, confirmare auctoritate plurimorum, qui eam ſcripſerint revera conjecturam eſſe judicandam, hanc enim potius adjunctis roborare oportet, non teſtibus, ex quibus nullum ei momentum adjici poteſt; quippe quæ aut contrariis indiciis evaneſcit, aut nota eſt omnibus.

XI. Nec prudentis eſt fidere ſententiis latis, aut re judicata etiam in curia principe: neque enim novum eſt præjudicatis alia judicia repugnare, quæ fortaſſe propius accedant ad æquitatem. Similiter non eſt prudentiæ conſentaneum, legum verbis tamquam veteri ſcopulo adhæreſcere. Sed neceſſe eſt verba ad Legumlatoris voluntatem accommodare, ut ſæpe ſcribit ampliſſimus Card. Jo: Bapriſta de Luca, in juris diſciplina omnium facile princeps [*& præſertim lib. 7. part. 3. de Alienat. diſc. 59. num. 3.*]

XII. Ad judicium & ordo ſpectat, quem juriſconſulti in dicendo, ſcribendoque tueantur; is enim mirum in modum valet ad perſpicuitarem, ad rerum memoriam, atque adeo ad perſuadendum. Illud vero & ordinis proprium eſt ſingula ſuo loco ponere ac diſputare, nec quicquam inſerere, quod a propoſita quæſtione alienum ſit: nam diverticula & flexiones, præterquamquod audienti, aut legenti moleſtiam creant, fere comitem habent obſcuritatem.

XIII. A lectione autem & memoria naſcitur eruditio, qua, ut dixi, ornari volumus prudentem juriſconſultum. Ad eam omnino pertinet ſcire, quæ ſit juris origo, quæ lex divina & æterna, quid æquitas, qui libri quibus jus continetur, quæ legum partitio, quæ veterum juriſconſultorum ingenia, quæ doctrina interpretum. In quot errores lapſi ſint juriſconſulti, qui priſca eruditione caruerunt, is intelliget, qui libros legat Cujacii, Fabri, Gotifredi: qua de re vide etiam Muratorium (*de Vitiis Juriſprud. cap. 5. & Heineccium ad cit. Vinnii comm.*)

XIV.

XIV. Uſus & experientia, qua valere conſentaneum eſt juriſperitum, facilitatem & ſolertiam & prudentiam parit ad reſpondendum. Tandem pietate opus eſt, & religione adverſus Deum & ſacra, ut ea reſpuantur, quæ in Juſtiniani libris, ac generatim in jure civili extant ſacræ ac pontificiæ legi contraria: eſſet enim maxima imprudentia divino juri, aut pontificio repugnantes leges admittere.

XV. His de rebus fuſe diſputat Antonius Poſſevinus vir in primis doctus & eruditus [*Bibliotheca ſelecta lib.*13. *tom.*2.] Equidem hæc, quippequæ ab inſtituto noſtro aliena videantur, dixi tantum, ne hanc prudentiæ partem tacitus præterirem. Uberius ſcribunt, quæ ſint in juris diſciplina vitia fugienda, Jo: Angelus Serra [*ad Cauſas Civiles Card. de Luca*,] & Ludovicus Antonius Muratorius (*in libro de Vitiis Juriſprudentiæ*) Quædam item ſcribit Heineccius (*in cit. præfat. ad Vinnii commentarium*) & Marcus Antonius Muretus (*Orat.*17. *quæ eſt de Offic. Doctoris*)

XVI. Illud vero admoneo poſtremo loco, cavendum eſſe juriſconſulto, ne cauſas ſuſcipiat, quæ jure defendi non poſſint, tum ut ne juſtitiam violet, qui ejus eſt quaſi cuſtos, tum ut famæ conſulat, ac dignitati ſuæ: labem enim quamdam contrahit aut improbitatis, aut inſcitiæ, aut calliditatis, ſi cauſa tunc adjudicatur non clienti, ſed adverſario; quod prudentem hominem, ac bonum non decet; ſed nonnulli ſunt, qui pecuniæ potius rationem habent, quam conſcientiæ & dignitatis; maximeque imprudentes ſunt, etſi juriſprudentiam profitentur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XI.

Quæ neceſſaria ſint ad munera obeunda Prudentiæ

I. AD recte conſultandum, deliberandumve, & judicandum, & imperandum quædam requiruntur dotes, quæ comites etiam dici poſſunt, & quaſi adminiſtræ prudentiæ, aut etiam partes & membra, ex quibus prudentiæ facies ac forma omnis conflata cernitur, atque apparet illuſtrior. Sunt autem fere una, ac viginti, hoc eſt, ratio, conſideratio, meditatio, ingenium, judicium, perſpicientia, ſolertia, ſagacitas, diligentia, induſtria, dexteritas, circumſpectio, cautio, æquitas, æquanimitas, docilitas, animi candor, memoria præteritorum, intelligentia præſentium, providentia futurorum, tandemque bonitas: quamquam vero harum virtutum quædam plurimum inter ſe conveniant, tamen nonnihil diſcrepant. De ſingulis pauca dicamus.

II. Ratio, quam diligentem Tullius dicit eſſe (*lib.2. de Invent.*) & conſideratam faciendi aliquid, aut non faciendi excogitationem, argumentatione, ratiocinationeque concluditur: elicit enim, exprimitque unum ex alio ad recte, prudenterque conſilium capiendum, & optime judicandum. Illa uſus eſt Eumenes Pergamenus, qui Magni illius Antiochi ea tempeſtate regis omnium potentiſſimi, & cum Philopatro Ægypti rege, & cum Ariatate, qui Cappadociæ imperabat, ſumma affinitate conjuncti, Filiam in matrimonio oblatam recuſavit, ne Antiochi partes contra Romanos ſequi cogeretur: hoc vero conſilium eſſe capiendum judicavit ex Romani imperii magnitudine ac firmitate, ex rei militaris diſciplina apud Romanos, ex tolerantia laborum, & ſumma animorum pertinacia. Quanta ratione, & quam prudenti id factum ſit ab Eumene, ſuperato tandem Romana virtute Antiocho, monſtravit eventus (*Pontanus de Prud. lib.5.*)

Digitized by Google

III. Ratiocinationi affinis eſt, & quaſi cognata conſideratio, hoc eſt, aſſidua & conſtans cogitatio cum rerum, tum eorum, quæ rebus adjuncta ſint, omnium; qualia ſunt locus, tempus, perſonæ, fortuna, caſus etiam fortuiti, quoad fieri poteſt; ita quidem, ut dicendum non ſit: *non putaveram*, quod hominis eſt inconſiderati, præſertim in re gravi, & magni momenti: Scipio Africanus (*Valerius Maximus lib.7. cap.2. n.2.*) *turpe eſſe ajebat in re militari dicere: non putaram: videlicet, quia explorato & excuſſo conſilio, quæ ferro aguntur, adminiſtrari oportere arbitrabatur*.

IV. Quæ parum a ſuperiore differt eſt meditatio, hoc eſt, mentis agitatio, quæ prius ad agendum inſtruit, quam, quod conſtitutum eſt, animoque deſtinatum, inchoetur. Sic oratores multa ante meditantur ipſi ſecum, quam ad cauſam agendam aggrediantur: id præſtitiſſe accepimus Demoſthenem, Tullium, alioſque. Meditationem conſequitur apparatus eorum, quibus negocium feliciter ac fauſte perfici poſſit; quod qui minus curat, dicitur imparatus accedere ad faciendum aliquid: hoc autem vitium eſt prudentiæ contrarium.

V. Accedit ingenium, hoc eſt, mentis quoddam acumen ad res cognoſcendas & perſpiciendas, ac penetranda arcana naturæ, artium & diſciplinarum, earumque haurienda præcepta facilitate mirabili. At ingenium ſolum ſæpe inimicum poteſt eſſe conſilio ac prudentiæ: quandoquidem qui ingenioſi dicuntur, facile labi ſolent in vitium inconſtantiæ & levitatis, itemque præcipitationis, cum ſpiritus habeant ad motum faciles, celeres & concitatos, & non raro elatiore ſint indole, ideoque inhæreſcant ſententiæ ſuæ, reſpuantque alienam.

VI. Itaque ſunt, qui prudentia parum, quamquam ingenio multum valent; niſi huic, quaſi equo ferocitate exultanti & incenſo domitor tradatur judicium, quod ejus impetum ita comprimat ac moderetur, ut recta pergatur via. Judicii eſt dijudicare ac diſcernere, quando diſſimulatio, quando contentio in rebus ſit adhibenda, quid remiſſius agendum ſit, quid vehementius, quid ordo poſtulet cum negocii, tum temporis ac perſonæ; præſtetne aliquid facere, quam prætermittere, V. C. ſilere, quam loqui; unde populariter

eſt

eſt dicta diſcretio, quam proxime ſequitur delectus rerum agendarum.

VII. Perſpicientia a perſpiciendo dicta, cum penitus cernat omnia, & diligenti perveſtigatione quaſi intueatur, efficit, ut certiora inter agendum conſilia capiantur, & ad propoſitum finem accommodata. Perſpicax Tullii ingenium Catilinæ conſilia omnia in apertam lucem protulit, & providit, ne quid nocerent reipublicæ; & Numa Pompilius, quod cerneret ſaxeos adhuc, & feros animos Romanorum aliter flecti non poſſe, cum ſimulaſſet, noctu ſe familiari Ægeriæ Deæ colloquio uti, injecto Deorum metu, illos ad parendum induxit (*Petrarcha Rerum memorand. lib. 3. cap. 1.*) Simulatio eſt illa quidem non laudanda, ſed tamen argumentum perſpicientiæ.

VIII. Solertia eſt facilitas ea excogitandi, quæ in finem ducunt, præſertim in ſubito eventu, ac re gravi & obſcura: ob id tantopere commendatur Salomon [*lib. 3. Reg. cap. 3.*] cum enim ad eum veniſſent feminæ duæ, quarum utraque flagitabat, ſibi infantem quemdam ut filium adjudicari, cum veritas nullo pacto explorari poſſet, eum rex juſſit dividi, & utrique dimidiam partem dari: cui ſententiæ cum altera acquieſceret, altera vero non ita, ſed obſecraret potius, ut vivus traderetur adverſariæ, tum Salomon puerum dari voluit abnuenti, quippe quam amor veram parentem oſtenderat. Ob ſolertiam laudatur etiam Ageſilaus, qui cum adverſus rempublicam Lacedæmoniorum conſpirationem eſſe factam noctu comperiſſet, Lycurgi leges, quæ de indemnatis ſupplicium ſumi vetabant, ſtatim abrogavit (neque enim differri pœna ſine periculo diutius poterat) mox vero ſublatis ſontibus, illico eaſdem reſtituit (*Valerius Maximus lib. 7. cap. 2. inter externa n. 12.*)

IX. Sagacitas eſt habitus mentis, qui inclinat, flectitque hominem ad recte judicandum de mediis viis, quæ per conſilium, & ſolertiam inveniuntur, vel etiam ad odorandum ubi illæ lateant, & unde elici queant, quæ non apparent ad finem conſequendum idonea: nam ſagire, ex quo ſagacitas, *ſentire acute eſt*, ut ſcribit Cicero (*lib. 1. de Divinat.*) *ex quo ſagæ anus, quia multa ſcire volunt, & ſagaces dicti canes*; & addit: *is igitur, qui ante ſagit, quam obla-*

ta res eſt, *dicitur præſagire*, *ideſt*, *futura ante ſentire*. Sagax judicatus eſt Alexander Hieroſolymorum rex, qui jam jam moriturus, conſcius crudelitatis in populos, cum timeret liberis ſuis, Alexandram uxorem monuit, ut cum ipſe obiiſſet, confeſtim cadaver elatum in publicum permitteret civibus dilaniandum pro libito, ut mortuum ſaltem tyrannum ulciſcerentur, quem vivum non potuiſſent. Quo facto civium animi deliniti ſunt, & regnandi jus in mortui filios translatum eſt, immo & juſta cadaveri perſoluta (*Pontanus de Prud. lib.* 5.) Nathani etiam prophetæ ſagacitate effectum eſt, ut Davides in ſe ipſe ſententiam ferret, & ab errore, improbitateque diſcederet (2. *Regum* 12.)

X. Diligentia virtus eſt, quæ cum attentius obſervet & res, & actiones, & tempus, arripit occaſiones, quæ ad rem bene gerendam conferre videantur; nec quicquam facit aut præpropere, aut intempeſtive: naſcitur autem ex eo, quod prudentes ac ſapientes viri intelligunt, ob fortunæ temeritatem, aut hominum levitatem, alioſque caſus rem evenire poſſe ſecus, ac velint: quare cura quadam ſollicitantur, quæ laudabilis eſt, niſi nimia ſit & immoderata, atque excitantur ſtudio ſedulitatis. Hæc autem, prout invigilat, ne capiatur inſidiis, aut dolis, aut ocio & lenritudine, aut ne quid prætermittatur, quod minus animadverſum ſit, vigilantia dicitur, cui eſt mentis remiſſio quædam oſcitans, dormitanſque contraria. Ab his non procul abeſt, quæ maturitas dicta eſt, cujus vis in eo eſt ſita, ut quod in colligendis frugibus fieri ſolet, tempus eatenus expectet, quatenus res matureſcat, ſed nec illud fruſtra elabi ſinat: fructus enim, qui ſtatis non colliguntur temporibus, putreſcunt: quamobrem cum interdum prudentis ſit expectare, interdum rem expedire feſtinanter, hinc naſcirur cunctatio & celeritas, quarum utraque ponitur in recte factis, ſi ſpectat agendi opportunitatem: in illa Q. Fabius excelluit, qui Maximus eſt appellatus, & cunctando reſtituit rem, ut Ennius ait (*apud Tullium de Senectute*) in hac Julius Cæſar.

XI. Induſtria vis eſt, qua qui præditi ſunt, & induſtrii dicti, multa arte, ac facile in negociis explicant ſeſe, in quibus ægre alii, & cum labore; plures & novas vias reperiunt ipſi per ſe ad gerenda negocia. Exiſtit induſtria ab exer-

exercitatione & uſu, in quo diſcrepat ab ingenio, quod nobis eſt a natura datum.

XII. Dexteritas eſt, qua quis in mediis actionibus ſe flectit ad variam agendi, adminiſtrandique rationem, variamque perſonam induit pro varietate rerum, temporum, ac locorum, & pro eorum ingenio multiplici interdum, ac verſabili, quibuſcum aliquid agendum, contrahendumve eſt. Cavendum tamen hac in re ſemper eſt a ſuſpicione levitatis, ac fraudis, nihilque faciendum, quod ſit a boni viri gravitate alienum.

XIII. Circumſpectio eſt conſiderata omni ex parte animi ratio in iis, quæ agenda ſunt, cerniturque cum ante opus, tum in medio opere, atque ex eo ita dicta eſt, quod qui ipſa prædicus eſt, quaſi ex eminenti ſpecula metitur omnia, atque hinc & inde intuetur, quid obeſſe poſſit, aut prodeſſe, & ſecum ſtatuit, expediat ne ad res ſe accommodare, aut adverſum ire; ſic optimus gubernator omnes Cæli plagas circumſpicit, ut ventis utatur ad curſum dirigendum, vel ut contra omnem eorum vim & impetum ſit paratus.

XIV. Cautio eſt mentis machinatio quædam adverſus ea, quæ ſeſe objiciunt impedimenta rei bene gerendæ, ſeu, ut definita eſt a Tullio (*Tuſc. Quæſt. lib.* 4.) a malis declinatio cum ratione. Eſt autem cauti viri proprium videre, ne labatur ipſe in adminiſtratione negociorum, & ne rideri ſe ac falli patiatur ab aliis; quare aditum malis, & inimicorum dolis, ac fraudibus intercludit. Cautus habitus eſt Appius Claudius, qui cum videret, Romanorum virtutem ali negociis rebuſque bellicis, pace autem ac quiete impediri ac flacceſcere, dicere ſolebat, negocium populo Romano melius, quam ocium committi, quod veriſſimum eſſe exitus comprobavit (*vide Valerium Max. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 1.) eamdemque ob cauſam Scipio Naſica, contra Catonis Cenſorii ſententiam non delendam eſſe Carthaginem conſtantiſſime propugnavit (*Petrarcha Rerum memorand. lib.* 4. *cap.* 1.) & Q. Metellus, Carthagine jam deleta, ait in Senatu, neſcire ſe, illa victoria boni ne plus, an mali reipublicæ attuliſſet (*Valerius Max. cit. loc. num.* 3.) Malis ergo pluri-

rimis viam obſtructum iri cautiſſimi homines judicabant, & metu hoſtium, & multitudine negociorum.

XV. Æquitas eſt rectum judicium ſecundum bonum & æquum. In omnibus quidem, maxime tamen in jure interpretando locum habet, ut Paulus ait (*in L. 91. ff. de Reg. Juris*) Facilis autem, & humana rem temperat, ne leges calumniam patiantur [*L. penult. ff. Ad exbibendum*]; quæ duriora ſunt emollit, & aſperiora mitigat, anguſtiora propagat, pœnam vel auget, vel remittit, ut ratio & prudentia poſtulat: *qui non eſt in malam partem judex durior, ſed de ſuo jure decedit, etiamſi habeat legis præſidium, is æquus & bonus eſt habendus*, ait Ariſtoteles [*lib. 5. Ethic. cap.10.*]. Admirabilem, ac ſingularem in legibus interpretandis fuiſſe Servii Sulpitii æquitatem, ſcribit Tullius (*Philipp. 9.*) cum non magis juris, quam juſtitiæ conſultus eſſet, & jus civile ad æquitatem referret. Itaque ſapienter *Iſæus*, ut eſt apud Patritium (*de Regno lib. 6. tit. 17.*) *vir Græcis diſciplinis peritiſſimus dicere ſolebat, oportere legum ſeveritatem puniendi manſuetudine coerceri:* ex quo illud, *ſummum jus, ſumma injuria*, factum eſt jam tritum ſermone proverbium, [*apud Tullium lib. 1. Offic. vide & Puſendorphium de Off. hominis lib. 1. cap. 17. & Everardi notas in hunc locum, & Grotium in opuſc. de Æquitate*) Æquitas dominari præſertim debet in bello, cum ſit rei militaris duriſſima diſciplina.

XVI. Æquanimitas eſt animi conſtantia, & æqualitas cum in rebus adverſis, tum in proſperis; eam & tranquillitatem poſſumus dicere, ſeu conſtantem ac pacatum animi ſtatum, qualem in Delio vult eſſe Horatius, cum illum ſic adhortatur (*lib. 2. Ode 3.*)

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem; non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia, moriture Deli.

Talem fuiſſe Socratem cum alii ſcribunt, tum Stanlejus (*tom. 1. Hiſtor. Philoſ. part. 3. cap. 14. de corp. atque animi indole Socratis*) & M. Antoninum Cæſarem (*Eutropius lib. 8.*) & e noſtris ſanctos viros fere omnes, memoriæ

eſt

eſt proditum; quod maxime prudentis eſt proprium, cui vix quidquam novi accidit, minimeque proviſum.

XVII. Docilitas eſt, quæ per inſtitutionem facile acquiritur notitia & intelligentia eorum, quæ nobis ab aliis exponuntur. Efficit autem, ut faciles præbeamus aures conſiliis & præceptis, quæ ſunt fructuoſa ac ſalutaria; ſed contra ab iis caveamus, quæ callide, vafreque dicuntur, & non cuique nos accommodemus, at ſapienti.

XVIII. Virtus, quæ prudentiæ ſemper adhæreat oportet, eſt ſimplicitas, & candor quidam animi, qui cerni ſemper debet in dictis & factis, remota duplicitate. Repulſa tamen ſi quando ſit danda, ita lenitate verborum, ac benevolentiæ ſignificatione mollienda eſt, ut qui eam tulit, non modo non ſubiratus ac triſtis, ſed amicus, ſi fieri poteſt, lætuſque diſcedat. Hac dote præſtabat immortalis vir Carolus Borromæus (*in ejus vita lib.8. cap.24.*) Quamquam vero nihil unquam dicendum ſit veritati contrarium; non tamen quidquid verum eſt, expedit dicere; immo id poteſt eſſe maxime pernicioſum: prudentis eſt igitur videre, quando præſtet tacere, quam loqui.

XIX. Memoria maximum eſt prudentiæ adjumentum: nam ad judicium perficiendum, mentemque bene formandam multum valet meminiſſe facta, & exempla ſuperiorum ætatum ad imitandum, quæ bene & prudenter geſta ſunt; ſecus vero, quæ imprudenter ac male: quandoquidem quod una in re contigit, probabile eſt fore, ut idem contingat in ſimili; cum ex ſimilibus cauſis effecta conſequantur fere ſimilia: quamquam hoc fallat aliquando propter varietatem aliquam adjunctorum. Si tamen plura negocia memoria retineantur, facile erit eorum aliquod una cum adjunctis a præſenti negocio non admodum diſcrepare.

XX. Memoriam vero vehementer adjuvat hiſtoria, quæ dicta eſt a Tullio (*lib. 2. de Orat.*) *lux veritatis, & magiſtra vitæ*, & exempla ſuppeditat cujuſque generis: *illud eſt præcipuum in cognitione rerum*, hoc eſt, hiſtoria, ait Livius (*Dec.1. in præf.*) *ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri; unde tibi, tuæque reipublicæ, quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites*. Et quidem *veram diſciplinam*, *exerci-*

Digitized by Google

citationemque ad res civiles hiſtoriæ cognitionem eſſe, ait Polybius (*lib. 1. initio Præfationis*) Præter prophanam nobis valde utilis futura eſt ſacra hiſtoria, & præſertim quæ divinitus accepto codice continetur; plura enim, & præclara inde licet exempla ſumere & morum, & rerum bene gerendarum.

XXI. Memoriam rurſus juvat obſervatio eorum, quæ accidunt in omni vita, & diuturna cum hominibus conſuetudo, quæ idcirco prudentiam parit: ex quo fit, ut ſenes merito prudentiores habeantur, & ad conſilium dandum aptiores: nam, ut Ovidius ait (*6. Metamorph.*)

. . . . . . *Seris venit uſus ab annis*.

Non ita adoleſcentes ac juvenes: *geometræ, & mathematici*, ait Ariſtoteles (*lib. 6. Ethic. cap. 8.*) *adoleſcentes fiunt, rerumque hujuſmodi ſapientiam conſequuntur, prudentes non fiunt. Hoc cauſæ eſt, quod in rebus ſingulis prudentia cernitur, quarum uſu conſtat, & exercitatione cognitio; uſuque rerum non valet adoleſcens: facit enim diuturnitas temporis exercitationem*. Hoc autem modice ferant juniores: illud quippe ſæpe non voluntatis eſt, ſed ætatis vitium; quod ſi cognoſcant, ſatis prudentia valent: tunc enim mature in mentem imbibent accepta a majoribus documenta recta & utilia, & nihil facient, quod quidem aliquod momentum habeat ad vitam degendam, temere, & ſine ratione; neque libertatis appetentes atque percupidi eum beatum diem putabunt fore, ut ſolent, quo ſe de collegii ſeptis, ac magiſtrorum, moderatorumque diſciplina ſubduxerint: quoniam illis in mentem veniet ſubvereri, ne libertatem nacti, ſuæque voluntati traditi in otio, vel amatoriis inanitatibus contabeſcant, ac prudentiæ veræque virtutis expertes adhuc cum ſint, vitiorum gurgite, ac corruptela pravæ conſuetudinis abſorbeantur & pereant.

XXII. Sed alienis factis, quæ memoriæ beneficio, & rerum obſervatione cernuntur, ad prudentiam parandam propria accedat experientia neceſſe eſt: nam uſus, ut ſcribit Cicero (*lib.1. de Orat.*) omnium magiſtrorum præcepta ſuperat: vel quod facilius inhæreſcunt memoriæ, quæ ſumus

ex-

experti; vel quod ita ſumus comparati, ut potius nobis credamus, quam aliis: quamobrem etſi quis peritus ſit doctrinatum, rerumque, quæ literarum monumentis, & publicis commentariis conſignatæ ſunt, & multorum etiam actiones, moreſque perſpexerit, tamen interdum non ſatis habet prudentiæ, quippe quam ætas denique affert variis negociis, atque eventis exercitata: ex quo celebre eſt illud Solonis, qui ait (*apud Tullium de Senectute*) *ſeneſcere ſe multa in dies addiſcentem*.

XXIII. Maxime vero proprium eſt vitium adoleſcentum non credere ſenioribus. Equidem audivi non paucos, quos ſero pœniteret, parere ſe noluiſſe ſapientibus, qui monerent, non eſſe tantum operæ dandum poetarum lectioni, gravioribus ſcientiis poſthabitis, quæ magis eſſent ad vitæ uſum neceſſariæ, utilitatemque reipublicæ. Quæ ſit in ciborum copia, & delectu ſervanda temperantia, quis in ludis & oblectamentis, quis in communi ſocietate, & convictu, & colloquio modus, quæ adverſus alios obſervantia, quæ officia eſſe debeant, quæ parſimonia in re familiari retinenda, & alia plura generis ejuſdem non intelligunt adoleſcentes, niſi cum errando gravia quædam incommoda paſſi ſunt vel in vita, vel in fama, vel in fortunis.

XXIV. Præſertim quis prudentior effici poteſt experiundo, ſi eum contradicentes & adverſarii diu exagitent, & inſectentur vehementius: acuitur enim ingenium difficillimis temporibus, & ratio involuta explicatur acri & ſedula earum rerum meditatione, de quibus antea ne ulla quidem inciderat cogitatio; quod in rebus ſecundis fieri non ſolet. Hic igitur in primis fructus ex inimicis, qui nobiſcum minus clementer agunt, percipi poteſt

XXV. Intelligentia præſentium eſt vis animi, qua ea plane, & ſine fallacia perſpiciuntur, quæ ſunt, & dijudicatur quid verum ſit, quid falſum, quid æquum, quid iniquum, quod hominum ingenium, an impatiens, callidum, malitioſum, inconſtans, inane, melancholicum, an ſecus; quæ negocii conditio, quæ adjuncta, & conſequentia, de quibus ſupra dixi [*lib.3. part.2. cap.4.*] eſt enim prudentis eam inire rationem & viam, quæ ſit ad propoſitum finem opportuniſſima: hoc autem non licet conſequi, minus

Digitized by Google

perſpectis omnibus, quæ enumeravi, aliiſque hujus generis. Itaque tanto magis quis prudentiæ laude præſtabit, quanto in eo ut accuratior erit rerum præteritarum memoria, ita uberior præſentium intelligentia.

XXVI. Hujus autem vis illud etiam eſt proprium cavere maxime, ne animus fallatur a ſenſibus, & ne rerum ſpecie & umbra moveatur: cum per oculos videt hilarem vultum, frontemve compoſitam ad modeſtiam, & riſus, & audit blanda verba auribus excepta, ſecum attente ipſe reputet, an his, quæ ſunt extrinſecus, ea forte reſpondeant, quæ latent: plerumque enim uſuvenit, ut optimis verbis, ac promiſſis ampliſſimis ſint omnino facta contraria, & illud liceat uſurpare, quod eſt apud Horatium (*de art. Poet.*)

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

XXVII. Intelligentiam adjuvant amicorum conſilia, vel eorum, qui inferiores ſunt doctrina ac ſapientia: neque enim ſemper oportet conſilium ſequi, at expedit audire & perpendere: quoniam plus, ac melius duo cernunt oculi, quam unus, ut eſt in veteri proverbio. A gubernatoribus cum exortæ ſunt tempeſtates, vectores etiam conſuluntur, & medici ægrotantes opera utuntur aliorum medicorum; quiſque enim eſſe in ſua cauſa ſolet ineptior. Evagoras rex Cyprius, ut Patritius refert (*de Regno lib.6. tit.10.*) quamquam eſſet ſumma ſapientia, ac conſilio, tamen dicere ſolebat, malle ſe ex amicorum ſententia optime regere, quam in ſe ſolum omnem prudentiæ laudem convertere: quare præclare regnum adminiſtravit, ac civium incolumitati conſuluit; ſecus ac accidit Neroni, quippe qui optima præcepta, ac conſilia neglexerit Senecæ præceptoris ſui.

XXVIII. Porro vehementer conferunt ad ſalutaria conſilia dotes omnes, aut ſaltem præcipuæ, ex quibus quaſi conſtat perfecta & abſoluta forma prudentiæ (*vide, quæ ſupra dixi lib.3 part.2. cap.6.*) & uſus, & exercitatio, & adminiſtratio earum rerum diligens ac diuturna, de quibus conſilium capiendum eſt: quandoquidem ſit ridiculum ſutorem conſulere, tonſoremque de ſculptura, vel arte militari, aut de ratione adminiſtrandæ reipublicæ. Rideo equidem

cum

Digitized by Google

cum quoſdam audio de philoſophicis diſciplinis, de theologia, quæ vel de moribus eſt, vel de dogmate, de lingua aut latina, aut græca, aliiſque generis ejuſdem, quorum ignari ſunt, velut ex tripode ferre ſententiam, & de ſcriptoribus judicare, quos nunquam legerint, aut vix intelligant, eorumque lectionem aut ſuadere, aut diſſuadere adoleſcentibus.

XXIX. Providentia eſt, *per quam*, ait Tullius (*lib.2. de Invent.*) *futurum aliquid videtur antequam factum ſit*. Hæc dos magni æſtimanda eſt. *Mens mundi cum ſit*, ut rurſus ſcribit Tullius (*lib.2. de Nat. Deorum*) *ob eamque cauſam .... providentia appellari recte poſſit* (*græce enim πρόνοια dicitur*). Ea vero maxime occupata eſt in eorum delectu, quæ ad finem utilia fore ratio præſenſerit, ut res, quoad fieri poteſt, fauſte feliciterque eveniat; quemadmodum & in avertendis damnis & incommodis, quæ poſſunt conſequi, aut impedire, quominus fortunatus ſit exitus, votiſque reſpondeat. Quid eſſet futurum providit Annon Pœnus, quamquam ejus ſententia non valuit: cum enim de Cannenſis pugnæ ſucceſſu ad Pœnorum ſenatum nuncius adveniſſet, & in ejus rei fidem effuſa eſſet in curia aureorum annulorum, qui Romanis civibus interfectis detracti erant, magna copia; quæſivit, an aliquis ſociorum poſt tantam cladem a Romanis defeciſſet, atque ut a nemine audivit mutatam fidem; ſuaſit, ut protinus legati Romam, per quos de pace ageretur, mitterentur; ejus conſilio ſpreto, ſecundo bello Punico victa Carthago eſt, & tertio deleta (*Valerius Max. lib. 7. cap.2. inter externa num.13.*)

XXX. Naſcitur quidem providentia a mentis acumine; verum ad eam perficiendam mirum in modum conferunt & doctrina, & ſtudia diſciplinarum, & maximarum rerum uſus & exercitatio: ex quo fit, ut & adjuncta cognita ſint, oporteat, & mores hominum, ac propenſiones, inclinationeſque animorum, & eorum ingenium, cum quibus negocium agendum ſit, quod ſæpe monui aliis in locis. Lucius Sulla patriæ, ac libertatis everſorem fore Cæſarem, adhuc puerum, nec divitiis, nec opibus, nec imperio, nec viribus valentem, acutiſſime prævidit (*apud Petrarcham Rerum memor. lib.4. cap. 1.*) Itaque non ſatis eſt videre, an quod modo geritur, recte

geratur, niſi proſpiciantur conſequentia, quorum habenda eſt ratio, ut fiat aliquid, aut prætermittatur.

XXXI. Tum vero quamquam & prudentiſſimi falli poſſint, cum ea, in quibus providentia cernitur, dubia ſint, & fortuita; tamen ſupra reliquos id habent commodi; primum quod plerumque res ita cadat, ut proviſum eſt; licet ſecus eveniat aliquando; cum temeritas ſemel, aut iterum fortunata poſſit eſſe, ſed demum labefactet & evertat omnia; deinde, quod cum nihil credant certo futurum, vident quid facturi ſint, quodcumque acciderit; poſtremo quod eos facti non pœniteat, ſi quid præter opinionem ac ſpem acciderit: negocium enim non alio modo gerendum erat, quam eo, quo geſtum eſt; & in re ſimili conſilium eſſet idem capiendum.

XXXII. Ex quo ſequitur, imprudentem, aut ſecus judicandum eſſe neminem propter rerum exitum: *culpam nullam eſſe*, ait Cicero (*Tuſc. Quæſt. lib.3.*) *cum id, quod ab homine non potuerit præſtari, evenerit*. Neque tam facile poſt factum conſentaneum eſt dicere, ut multi ſolent, qui cæteroquin nullius conſilii ſunt: non ea, qua oportuit, via ac ratione res confecta eſt, non bene, non ſapienter: nam quo pacto aliquid faciendum ſit, cum jam factum eſt, judicare quiſque poſſit, etſi minus ſapiat.

XXXIII. Denique cum prudentia conjunctam oportet eſſe bonitatem, qua qui caret, prudens eſſe nullo modo poteſt, ideoque nec aptus ad regendum vel ſe, vel familiam, vel civitatem: primum, propterea quod *pervertit judicium vitioſitas*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.6. Ethic. cap. ult.*) *principiorumque inducit eorum errorem, unde actiones & officia proficiſcuntur. Quare non poteſt quiſquam, qui non idem bonus ſit, prudens eſſe*. Secundo loco, quia a fine diſcedere, qui eſt ultimus, ſumma ſtultitia eſt, imprudentia ſingularis, ut dixi (*lib.3. part.1. cap.4.*) atqui a fine diſcedit is, qui eſt improbus. Tertio loco, quia prudentiam non poſſe conſiſtere ſine virtutibus, ac virtutes ipſas omnes eſſe inter ſe nexas & copulatas, ſupra vidimus (*lib. 3. part.1. cap.9.*) Accedit, quod nihil bene ac ſapienter moliri poſſumus, & ad fauſtum exitum optatumque perducere ſine Dei immortalis auſpiciis: at Deus eorum, qui minus probi ſunt, frangit

git conſilia, & impedit, quominus recte cadant. Tandem prudentia nulla eſt ſine recta ratione, nec recta eſt ratio ſine probitate: itaque nec quis prudens poteſt eſſe, niſi ſit idem integer ac prudens (*Vid. & Flaminium de Felicit. lib. 2. cap. 17.*)

CAPUT XII.

Quæ ſint vitia Prudentiæ contraria.

I. PRudentiæ generatim repugnat imprudentia, ſeu ignoratio, quæ parum eſt, & verſutia, quæ nimium. Imprudentia quidem eſt prudentiæ vacuitas, ut traditum eſt a Platone (*Dialog. 9. de Rep.*) & ignorantia etiam dicitur, ſeu inſcitia non literarum quidem, & artium, ſed rerum agendarum, quæ conferunt ad bene vivendum, & ad comprimendam ita pravarum affectionum temeritatem, ut nihil geratur, quod rationi repugnet, nihil moleſtum ſit, aut jucundum, niſi quod in vitio, aut virtute ponitur. Qui ea ignoratione laborant, quamquam ingenio valeant, & gloria literarum, tamen ignorantes, hoc eſt, imprudentes a Platone judicantur, ut auctor eſt Ficinus Marſilius (*in argumento ad Dialogum 3. de Legibus*) quare omnes avari, omnes intemperantes, omnes inanis gloriæ cupidi, tandem omnes improbi imprudentes maxime ſunt judicandi: ſequuntur enim ut bonum, quod malum eſt, & quaſi utile, quod eſt perniciofum.

II. Illi etiam hoc in numero collocantur, qui cum ea negligant, quibus jucundiſſime vivitur; hoc eſt, inſtituendorum morum ſcientiam, & virtutes ad excolendos animos accommodatas, in aliis occupantur, quæ ſcire fere nihil, aut parum intereſt; nec ſecus, qui corporis commoditati conſulunt, non animorum: in quam rem ajebat Diogenes (*apud Stobeum Serm. 4. qui eſt de Imprudentia tom. 1.*) *de neceſſariis quidem ad vivendum homines ſibi proſpicere; quæ vero ad bene vivendum pertinent, non comparare*: & Ariſtones (*ibidem*) *ſtudioſiſſimos quidem eſſe circa poſſeſſiones, animum autem*

ſe-

feris obrutum affectibus non excolere: quæ quidem imprudentia efficiens eſt maximarum moleſtiarum. Non venio hoc loco ad ſingula, quæ imprudenter aut fiunt, aut dicuntur: nam cum infinita ſunt, tum intelligi non pauca poſſunt ex iis, quæ ſupra dixi: quod enim prudentis eſt facere, aut cavere, idem prætermittere, aut non vitare imprudentis oportet eſſe.

III. Illud addo, quæ a nobis imprudentia dicta eſt, eamdem dici ſtultitiam, qua non ſatis diſcernitur bonum a malo, verum a falſo propter ignorationem rerum expetendarum, & fugiendarum. Sunt autem quædam imprudentiæ formæ, & maxime ſtupiditas, præcipitatio, inconſiderantia, inconſtantia, incuria, negligentia.

IV. Stupiditatem ita lepide deſcribit Theophraſtus (in *Characteribus n.*14.) paullo longior futura eſt deſcriptio, ſed, ut puto, non injucunda. *Stupiditatem quoque definire poſſis,* inquit, *ut ſit animi tarditas, ſeu dicendum, ſeu faciendum ſit aliquid. Stupidus vero is eſt, qui ſedens ad calculos, poſtquam rationes putavit, & ſummam ſubduxit, roget eum, qui ſibi aſſidet: ſumma quanta eſt? Ac cum ei litem aliquis intenderit, ubi ad diem illum ventum eſt, quo diſceptari cauſa debet, ejus oblitus, in agrum proficiſcitur. Sæpe etiam ſedens in theatro ad ſpectandum, diſcedentibus aliis ſomno obrutus ibi relinquitur, quippe qui ſe ad multam noctem cibis ingurgitarit, ac tandem ſede ſua exſurgens in vicini canem incidit, a quo mordetur. Idem quod acceperit ipſe, ac recondiderit, id ipſum quærere ſolet, reperire autem non poteſt. Cumque nunciatur illi obiiſſe aliquem ex familiaribus ipſius, ut veniat exequias, tum ille vultu ad mœſtitiam compoſito, lacrymas etiam fundens; bene, inquit, eveniat. Debitas autem pecunias recipiens, teſtes ſibi aſciſcit: & vigente byeme, cum famulo, quod cucumeres non emerit, jurgatur. Puerulos quin etiam ſuos, ut lucta ſe exerceant, curſu contendant, uſque ad fatigationem cogere ſolet. In agro lentem ipſe coquens, ſale bis in ollam injecto, ut mandi nequeat, efficit . . . . Rogatus ab aliquo ecquot putet ſacra porta elatos mortuos: quot utinam, reſpondens, ait, ego, & tu baberemus.* Hæc tranſcripſi animi gratia.

V.

V. Huc pertinere videtur etiam ruſticitas; quam Theophraſtus idem definit (*in Charact. num.4.*) honeſti, & decori ignorationem. Ea nihil habet, quod deceat, quod tempeſtivum ſit, quod urbanis moribus accommodatum, & conſuetudini ſapientum, quod ingenuum, quod nobile (*ruſticitatis deſcriptionem vide apud Theophraſtum cit. loc.*) Qui hoc vitio laborat, cum in urbem venit, obvium quemque interrogat, quanti pelles, & ſalſamenta veneant, de rebus maximis cum ſervis communicat, & cum mercenariis de iis, quæ audita ſunt in concione, & magna utitur voce inter loquendum, & alia facit horum ſimilia, inepta, rudia, deformia.

VI. Ab hoc hominum genere non valde diſcrepant importuni, aut intempeſtivi, qui nullam temporis rationem habent in dictis, & factis, ut qui venit ad amicum febri laborantem cœnaturus, aut ad hominem graviſſimis occupationibus impeditum locuturus de nugis, ac de belli rumoribus, quod in multis geritur, ac diſtinctis locis, aut feſſos de via ad ſecum deambulandum invitat, ne alia perſequar (*vid. Charact. Theophraſti num. 12. in Theſ. Phil. mor.*)

VII. Præcipitatio vitium eſt, quo quis temere, & ſine deliberatione ac conſilio, interdum impellente cupiditate, opus aggreditur, nec adhibet ad conſiderandas res, & tempus & diligentiam, ſed id putat eſſe faciendum, quod primum venit in mentem: itaque eum ſæpe facti pœnitet: *animi levitas*, ait Sophocles [*apud Stobeum Serm. 4. qui eſt de Imprudentia tom. 1.*] *& præcipitatio in magnam calamitatem detrudit homines*: Hac de re quædam dixi in Logicis inſtitutionibus [*part. 2. cap. 2.*]

VIII. Inconſiderantia eſt vitium, quo non recte judicatur de viis ad conſequendum finem idoneis. In hoc peccant V. C. qui divitias, gloriam, voluptates appetunt, & ſequuntur felicitatis cauſa, quæ ab his rebus effici nullo modo poteſt, ut ſupra vidimus (*lib. 1. cap. 12. & conſeq.*) quare in Cebetis Thebani tabula inconſiderati dicuntur, qui ea petunt, quæ fortuna abjicit, & læti ſunt, cum accipiunt; ſecus autem triſtes.

IX. Inconſtantia eſt mutatio ſententiæ aut nulla, aut levi de cauſa. Itaque inconſtans aut diſcedit a ſuſcepto con-

conſilio, aut rem differt eatenus, quatenus nihil ab ea exiſtat utilitatis: *Proteus quidem formam*, ait Socrates (*apud Stobeum ſerm. 4. de Imprud.*) *imperitus vero animum ubique mutat, & variat.*

X. Incuria ex eo dicta eſt, quod negocium minime cures, vel priuſquam ſuſceptum ſit, vel deinde inter agendum, eoque magis vituperanda eſt, quo res utilior eſt, ac magis neceſſaria, ut virtutum ac ſcientiarum adeptio, cognitioque communium officiorum: ea vero propria eſt hominis vel ſtupidi, vel inſolentis, vel ignorantis naturam rerum humanarum quæ dubiæ ſunt, & incertæ.

XI. Ex incuria naſcitur negligentia, quæ eſt diligentiæ prætermiſſio in rebus gerendis, de quibus conſtitutum eſt: porro ab ea cavere maxime oportet adoleſcentes, a quibus improbo labore ac ſedulitate paranda ſunt ornamenta, & præſidia cum reliquis ætatibus, tum etiam ſenectuti, quæ fere nulla alia re delectari, fulciri, ornarique poteſt, quam literis & virtutibus.

XII. Huc pertinent improvidi, qui conſequentia non vident, nec futura proſpiciunt. Imparati, qui ſine opibus, atque apparatu earum rerum, quæ ſunt neceſſariæ, accedunt ad faciendum aliquid: incauti, a quibus ea non removentur, quæ obſtant; imperiti negociorum, ac perſonarum; indociles, qui alienis monitis & conſiliis flecti nullo modo poſſunt: quamobrem ſatis oſtendunt, ſe minus ſapere: *quicumque*, ait Theognides [*apud Stobeum ſerm. 4. de Imprud.*) *nihil æſtimat alium, ſeque putat ſolum conſilia varia noſſe, deſipit, atque bonæ mentis eſt expers.* Alia ſunt vitia prudentiæ contraria, quæ a modo deſunt; ſed hæc ſatis, cum præſertim multa ſint, quæ carent nomine.

XIII. Alia vero modum ſuperant; hoc eſt, verſutia, calliditas, nimia ſollicitudo, curioſitas. Verſutia eſt ingenii acumen multiplex, quod varias formas ſuſcipit, eaſque ſæpe contrarias, ſeu ad quaslibet artes momento vertitur: *Verſutos eos appello*, ait Tullius (*lib. 3. de Nat. Deorum*) *quorum celeriter mens verſatur:* ex quo illud Plauti (*in Epidico act. 3. ſcen. 2.*)

Verſutior es, quam rota figularis.

So

Solet autem accipi, prout eſt fallax nocendi ratio, & fere in verbis, aut ſermone cernitur, ut reſponſum Apollinis datum Crœſo opulentiſſimo regi Aſiæ roganti, tranſmitteretne fluvium:

Crœſus Halym penetrans magnam pervertet opum vim.

Hoſtium vim (*Tullius de Divin. lib.2.*) *ſeſe perverſurum putavit, pervertit autem ſuam*: Simile eſt oraculum, quod fertur editum Pyrrho (*apud Ciceronem cit. loc.*)

Ajo, te Æacida Romanos vincere poſſe.

Quæ amphibolia nihilo magis in Pyrrhum, quam in Romanos valet.

XIV. A verſutia parum differt calliditas, quæ ita nuncupata eſt ab rerum uſu: callidos dicit eſſe Tullius (*lib. 3. de Nat. Deorum*) *quorum tamquam manus opere, ſic animus uſu concalluit*; ex quo factum eſt, ut in negociis, artibuſque exercitati callidi dicerentur. Verum hoc nomen paulatim cœptum eſt in malam partem accipi; nimirum pro habitu depravatæ rationis ad fallendum, ac nocendum erectæ: verſatur autem plerumque in actione, & conſilio; & fraude utitur cum incautis, quemadmodum dolis verſutia: fraus enim potius in factis cernitur, dolus autem in verbis.

XV. Si calliditas exiſtit a civili conſuetudine, aſtutia dicitur: aſtus enim nomen ducit ab ἄϛυ oppido, in quo, ait Feſtus [*apud Voſſium in Etymolog. ling. lat. v. Aſtus*) *qui converſati aſſidue ſint, cauti, atque acuti eſſe videantur*: hoc autem nomine olim omnes Græciæ civitates vocabantur, & præſertim Athenæ & Alexandria: quare ait Cicero (*lib. 2. de Legibus*) *ut veſtri Attici, priuſquam Theſeus eoſdem migrare ex agris, & in Aſtu, quod appellatur, omnes ſe conferre juſſit, & Symphradaì ex Atticis; ſic nos & eam Patriam dicimus, ubi nati, & illam, qua excepti ſumus*; & Terentius ſimiliter cum ſcribit [*in Eunucho act. 5. ſcen. 6. v. 17.*) *an in Aſtu venit?* Athenas intelligit. Cæterum fere receptum eſt, ut aſtutia uſurpetur pro notitia perverſarum viarum, ac rationum, quæ ſint ad fallendum idoneæ, cum ſenſim in ma-

litiam cœperit inclinare; ſimulandi vero, diſſimulandique artem continet, quæ bonum virum dedecet: nihil enim in virtute debet eſſe fictum, nihil ſimulatum; *ex omni vita*, ait Cicero (*Offic. lib.* 3.) *ſimulatio, diſſimulatioque tollenda eſt*. Interdum tamen, cum juſta incidit cauſa, & abeſt reipſa mendacium, non vituperatur, ut cum Æneas apud Virgilium (*Æneid.* 1. *v.*213.)

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Pontanus (*lib.* 4. *de Prud.*) lepidum exemplum ponit in medico, qui ſolerti ſimulatione uſus eſt, ut ægrotus rediret ad ſanitatem.

XVI. Porro verſuti, callidi, aſtuti, doloſi, fraudolenti, fallaces, vafri, veteratores, duplices, vani, malitioſi non modo genus ſunt hominum turpiſſimorum, odioſum, inviſum, & ab humana ſocietate, cui plurimum nocet, ſi fieri poſſet, exterminandum, ſed etiam ſunt imprudentes maxime: nam præterquamquod animi innocentiam polluunt atque contaminant, & inſignem ignominiæ notam inurunt nomini ac dignitati ſuæ, plerumque in eas incidunt, quas aliis tendunt, inſidias, & paratis in alienam perniciem laqueis implicantur; tum quod Deus conſilia frangit improborum, tum quod ab hominibus etiam malitia detegitur, & communi rumore in vulgus ſpargitur & diſſeminatur: quamobrem id conſequuntur, ut omnes ſibi caveant vel tunc, cum ab illis ſine dolo malo, ac fallacia res geritur. Equidem quoſdam vidi, qui cum callidi, aſtutique omnibus viderentur, mihi viſi ſunt non eſſe; propterea quod, cum quædam inciderent cauſæ, iis artibus uterentur, quæ apud ſimplices valere poſſent, non autem apud prudentes ac ſolertes viros, quibuſcum res erat agenda: itaque cum non ſatis rationem haberent perſonarum ac temporum, ſuis negociis male conſulebant, & etiam famæ quodammodo.

XVII. Sollicitudo vel ad res præſentes pertinet, vel ad futuras. Prima eſt nimia mentis occupatio in bonis aut parandis & conquirendis, aut ſervandis, quæ fluxa ſunt & caduca, ut opibus ac divitiis, & naſcitur ex habendi fa-

Digitized by Google

fame, & amittendi metu: altera eſt nimia animi occupatio in futuris, & conſequentibus, ut in victu, ac veſtitu in diem, in menſem, in annum: hæc divinæ providentiæ parum concedit. Utraque ſollicitudo vehementer eſt perniciosa; primum quod adjunctam habet terrenarum rerum cupiditatem, quæ radix eſt omnium malorum (1. *ad Tim.* 6. *v.*10.) deinde quia mentem avocat a cogitatione rerum cæleſtium & divinarum, quarum præſtantia cognoſci non poteſt animadverſione, conſiderationeque ſublata; ex quo conſequens eſt, ut ea nec æſtimentur, nec appetantur, quæ maximo in pretio habere oportet: poſtremo quia impedit, quominus ſana conſilia, ſi qua animo concepta ſint, cernantur in facto.

XVIII. At moderata ſollicitudo & cura laudanda eſt: quoniam ea parare neceſſe eſt labore & induſtria, quæ ſunt ad vitæ uſum neceſſaria; cum a Deo ita ſit conſtitutum, ut ea in nos ſponte ſua non maneant, ne ſit otio & deſidiæ locus, iccircoque & vitiis, quæ ab otio, quaſi a fonte proficiſcuntur.

XIX. Cum nimia ſollicitudine convenit curioſitas, qua oleum & opera in rebus vanis perditur, minuſque neceſſariis: curioſus enim dicitur, qui ea ſcire vult & exquirit, quæ ſcire ac quærere nihil, aut parum attinet.

XX. Tandem nihil eſt magis inimicum conſilio & prudentiæ, quam cupiditas; quippe quæ menti tenebras obducit, nec ſinit res cerni, ut ſunt in ſeſe: itaque multa neceſſe eſt geri ridicula, inepta, levia, honeſtati, rationi ac legi contraria, dominante cupiditate: iccirco verum eſt, in ulnis & amplexu veluti temperantiæ conſervari prudentiam. Jam vero de juſtitia dicamus.

Digitized by Google

PARS III.

De Juſtitia.

I. Juſtitia cum late patet, omnium quædam eſt comprehenſio virtutum, unde viri boni nominantur, hoc eſt, omnium virtutum gloria & laude præſtantes; quippe id ſequuntur, quod juſtum eſt, quod honeſtum, quod legibus & rationi conſentaneum: *ex quo*, ait Ariſtoteles (*lib.5. Ethic. cap.1.*) *factum eſt jam tritum ſermone omnium proverbium, juſtitia una omnes virtutes reliquas contineri*: ita quidem, ut quæ fortiter, temperate, prudenter, tandem ex virtute fiunt, juſte fieri dicantur: idcirco *eadem virtus* [*Ariſtoteles cit. loc.*] *perfecta eſt ob id maxime, quod ineſt in ea uſus virtutis undique perfectæ: perfecta eſt autem, propterea quod qui ea præditus eſt, is etiam erga alios, non in ſe modo, virtutem exercere, ac excolere poteſt*, & cum propriis rebus, tum alienis, ac publicis providere.

II. Verum de juſtitia quærimus hoc loco, ut virtus eſt peculiaris, & generali ſubjecta, eodemque nomine appellata. Hæc quidem cum eximia eſt, tum maxime utilis & neceſſaria & belli, & domi: lucet enim, ac prodeſt omnibus, cum ad alterius commoda, familiæ, civitatis, reipublicæ referatur: qua ſublata, nullam conſtat inter homines ſocietatem poſſe conſiſtere, ac eſſe diuturnam: ex quo ſequitur, ut, cum multum emolumenti ac fructus afferat hominibus, ſit etiam fundamentum perpetuæ commendationis ac famæ: ſummopere enim laudari ſolent ii, a quibus reſpublica capit utilitatem, & haberi inſtar cujuſdam quaſi divinitatis: *Deus*, inquit Plato (*in Theæteto*) *nuſquam, & nullo modo injuſtus eſt, ſed quam juſtiſſimus, totam videlicet juſtitiæ complexus poteſtatem, nihilque ei ſimilius, quam juſtiſſimus homo*. Itaque quæ ad juſtitiam pertinent, eo, quo ſupra dixi (*in Præfat. lib.3.*) ordine perſequamur.

CA-

CAPUT I.

Quid ſit Juſtitia.

I. A Cicerone definitur juſtitia *animi affectio ſuum cuique tribuens* [*de Fin. lib.5.*] & alibi ut (*lib.1. de Offic. & lib.3. ad Herennium*) & ab Ariſtotele (*lib.5. Ethic. cap.1.*) *Animi affectio, qua apti ſunt* (homines) *ad res juſtas gerendas, quaque res juſtas & faciunt, & cupiunt facere:* ex quo conſtat, eam non in perturbationibus, ſed in actione verſari: nec ſecus ab juriſconſultis; quippe in jure (*Leg.10. ff. de Juſt. & Jure*) definita eſt juſtitia ab Ulpiano *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.*

II. Voluntas illa eſt animi affectio firma, qua habitus naturam, vimque contineri ſupra diximus (*lib.3. part.1. cap.1.*) Porro hæc affectio ac deliberatio juris alieni tuendi altius infixa, uſuque parta diuturno juſtitia eſt: eſt enim juſtus, qui juſte facit, libenter, ac facile, non qui juſta: quoniam hæc poteſt facere non amore juſtitiæ, ſed amicitia, ignoratione, cupiditate, ut ſpe, ut metu: *ſi reddat depoſitum quis invitus*, ait Ariſtoteles [*lib.5. Ethic. cap.8.*] *aut metu coactus, is non dicendus res juſtas facere, nec quod æquum eſt, niſi fortuito, & caſu.*

III. Cum vero juſtitia in jure cernatur, a quo nomen accipit, quid jus ipſum ſit, videamus. Primum jus dicitur, ut interpretatur Vinnius (*in lib.1. Inſtitutionum tit.1. num.5.*) naturæ juſſum, aut populorum: nam dictum eſt a jubendo; idque ex eo conſtat, quod veteres, ut auctor eſt Feſtus (*apud Vinnium cit. loc.*) jura dixerunt *juſſa*; quo ſpectat illud dicendi genus: jure aliquid, aut contra jus fieri, juris rationem non pati; ſic dicitur jus naturæ, civile, prætorium, militare; qua in ſignificatione a nobis uſurpatum eſt, cum de legibus diſputavimus. Continet autem hoc jus præcepta bene vivendi, tuendæque juſtitiæ: ita acceptum eſt ab Ulpiano, cum ait (*L.1. ff. de Juſt. & Jure*) jus eſſe a juſtitia appellatum; cum ſecus ſit, ſi jus pro eo ſumitur, quod juſtum eſt,

ſed

ſeu pro re ſubjecta juſtitiæ: prius enim eſt jus, quam opus ſit jus tuente juſtitia.

IV. Deinde jus uſurpatur pro arte juris, ſeu æqui & boni, cujus juriſconſulti ſunt quaſi ſacerdotes (*L.*1. *ff. de Juſt. & Jure*) æquum ab iniquo ſeparantes: ſic dicimus dare quempiam operam juri, jus profiteri.

V. Mox accipi ſolet jus pro loco, in quo jus redditur, ut cum dicitur in jus vocare, venire, aliaque hujus generis: *ubicumque Prætor*, ait Paulus (*L.*11. *ff. de Juſt. & Jure*) *ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum, jus dicere conſtituit, is locus recte jus appelletur.*

VI. Tandem juri id ſubeſt, quod jure continetur, aut naturæ, aut legitimo, & quod cuique tribuitur, aut debetur, cujus eſt facultas agendi, habendi, utendi, fruendi re aliqua: quo ſpectant illa: jus ſuum tueri, retinere, recuperare, perſequi; de ſuo jure concedere, decedere, remittere: uti ſuo jure, facere ſuo jure, eſſe ſui juris, aliaque permulta. (*Vid. Gaſſendum tom.*2. *Ethic. lib.* 2. *cap.*5. §. *Cæterum propter illam*): & hoc tandem eſt, in quo juſtitia cernitur, ideſt, in eo, quod cuique debetur vel natura, vel pactione, vel lege. Delictis etiam debetur pœna: quare & in his puniendis juſtitia verſatur, ut infra dicam.

VII. Quid vero cujuſque ſit, licet cognoſcere, magiſtra ac duce natura: quiſque enim id novit, quod ſuum eſt, ex quo quid alienum ſit, facile judicabit. Porro nemo eſt, qui neſciat, hoc ſibi juris eſſe, ut externis membris utatur, & ſenſibus [modo nihil contra decorum, legemve peccetur] tum rebus communibus, ut aëre, ut aquis, viis, faniſque publicis; rurſus etiam privatis, ac ſuis, ut quæ hæreditate venerint, aut partæ ſunt emptione, permutatione, pactione, veteri occupatione, victoria. Quod ſi anceps hæret interdum, natura præſcribit, ut conſulat ſapientes, qui juriſconſulti nominantur. Itaque idem jus ſciat eſſe alienum, quod ſuum, neque illud violari poſſe ſine injuria humanæ ſocietatis. At qui aliis præeſt quaſi judex, & vindex juſtitiæ, cognoſcat neceſſe eſt & merita ſingulorum, & quæ legibus conſtituta ſunt, & ſancita, quod fateor eſſe pleniſſimum difficultatis. (*Vid. Gaſſendum tom.*2. *Ethic. lib.*2. *cap.*5. §. *Non poteſt vero.*

CA-

CAPUT II.

Quotuplex ſit Juſtitia.

I. QUoniam juſtitia, ut ſcriptum eſt a Tullio (*lib.2. de Rep. in Fragm.*) dicitur eſſe virtus, *quæ foras ſpectat, & projecta tota eſt:* & ad eos pertinet, qui in aliorum ſocietate & communione verſantur: hi vero comparari poſſint cum aliis, quibuſcum quodam quaſi vinculo continentur, vel ut pars cum toto, vel ut totum cum parte, vel ut pars cum parte; hinc triplex naſcitur juſtitiæ genus; unum quidem ejus, quæ legalis nuncupata eſt, & civem inflammat ad ea, quæ ſint bono totius reipublicæ conſentanea, & ad caritatem in omne hominum genus. Alterum, quod in tribuendis honoribus, & muneribus magiſtratuum, vel pecuniis cernitur, cæteriſque rebus omnibus, quæ inter cives a principe, qui totius communitatis vicem gerit, ſunt dividendæ. Tertium, quod in pactis inter privatos, contrahendiſque rebus, ut Ariſtoteles ait (*lib.5. Ethic. cap.2.*) tamquam regula adhibetur.

II. Legalis quidem juſtitia late patet: nam virtutum omnium actiones ac munera refert ad communem reipublicæ commoditatem, in qua tamquam objecta re verſatur, & propria eſt boni civis, quem ita affectum oportet eſſe, quandiu vivit cum aliis, ut non modo ſuum bonum velit & curet, ſed etiam corporis totius, cujus eſt quaſi membrum, conſentiatque cum legibus, quæ virtutum officia præſcribunt ad communem utilitatem: huc enim ſpectant legumlatores, ut ſæpe dixi: hoc eſt, jura condunt, ut cives, vitam, moreſque componant ad honeſtatis normam propter commodum, decus, dignitatemque civitatis; ex quo juſtitia illa legalis dicitur (*vid. D. Thomas 2.2. quæſt.58. art.6.*) ut in humano corpore cujuſque membri actio, ut manus, ut pedis, ut oculorum ad hominis bonum referatur neceſſe eſt: quoniam abſurdum ſit oculos ita delectari aut Cæli aſpectu, aut agrorum amœnitate, ut neque, ſi forte pedes of-

offendant, intueri velint, aut ſi cibus ſumendus ſit ad vitæ uſum neceſſarius.

III. Cum vero etiam princeps ſit pars ac membrum reipublicæ, etſi præſtantiſſimum omnium ac præcipuum inſtar capitis; hac eadem juſtitia præditus ſit, neceſſe eſt, quæ quidem in eo eſt, quaſi in architecto, ut ſcribit Thomas (2. 2. *quæſt*.58. *art*. 6.) ad gubernationem reliquorum, ſeu quaſi in morum cenſore & magiſtro, ex quo alii ſumant exemplum ad imitandum; cum in populis ſit tamquam in adminiſtris, qui a principe diriguntur ad ea facienda, quibus queant non tam ſibi, quam aliis prodeſſe.

IV. Juſtitia, quæ poſita eſt in tribuendo, ad principem, ut dixi, ad magiſtratus, ad prætores pertinet, quorum eſt, ut honores & pecunias, ita etiam labores & ſumptus pro cujuſque dignitate ac facultate dividere: ita quidem, ut quanto in rempublicam Scipio V. C. plus contulit meritorum, quam Nævius, tanto ille majore, atque ampliore præmio donetur; *aliter pugnæ hinc*, ut bene Ariſtoteles (*Ethic. lib*.5. *cap*.3.) *criminationes*, *querelæque naſcantur*, *ſi qui pares ſunt dignitate*, *non æqua præmia*, *aut qui pares non ſint*, *eis paria tribuantur*: habenda itaque ratio eſt divitiarum, nobilitatis, virtutis præſertim, ac rerum præclare geſtarum. Eodemque modo debet eſſe ſumptuum, laborumque partitio; hoc eſt, pro opibus, ac facultate, ut dixi, geometrica, quam vocant, proportione ſervata.

V. Denique juſtitia, quæ in contractis, commutatiſque rebus cernitur, locum habet inter privatos, ac cives; ejuſque ſunt duæ partes: nam, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib*. 5. *Ethic. cap*. 2.) *contractuum* (utimur eo verbo, quando commodiore vix licet) *alius voluntatis eſt*, *alius non eſt*; *voluntarii ſunt*, *ut venditio*, *emptio*, *mutuum*, *ſponſio*, *locatum*, *depoſitum*, *conductum*, *qui voluntarii propterea dicuntur*, *quod a voluntate noſtra principium eorum proficiſcatur*. *Eorum autem*, *qui non ſunt voluntatis noſtræ*, *partim clandeſtini ſunt*, *ut furtum*, *ut adulterium*, *ut veneficium*, *ut lenocinium*, *ut ſervorum ſollicitatio*, *ut cædes dolo facta*, *ut falſum teſtimonium*; *partim vi fiunt*, *ut verbera*, *ut vincula*, *mors*, *rapinæ*, *membrorum debilitatio*, *convitium*, *contumelia*. Quamquam

Digitized by Google

quam qui non voluntarii ſunt, minus proprie contractus nominantur, ſed potius injuriæ dicendæ ſunt.

VI. In hoc juſtitiæ genere ſervatur proportio arithmetica, & nulla habetur ratio perſonæ, ſed tantum rerum, ita ut qui centum dat, centum accipiat, & viciſſim, quicumque ſit is, qui contrahit, & qui damnum infert, tantumdem reſarciat, & rem ad æqualitatem, parilitatemque traducat: *Jus id*, ait Ariſtoteles (*lib.* 5. *Ethic. cap.* 4.) *quod in contrahendis negociis cernitur . . . . . . non ad illam analogiam, ſeu comparationem* (geometricam) *verum ad arithmeticam pertinet: nihil enim intereſt, utrum bonus vir ſceleſtum ſpoliaverit, an bonum improbus* (*vide & D. Thomam* 2. 2. *quæſt.* 61. *art.* 2.) Quamquam interdum damnum eſt ejus generis, cui nulla inveniri poſſit commoda compenſatio, ut cum vita homini per injuriam erepta eſt, redditur autem pecunia, quæ non vitæ reſpondet, at damnis, quæ inde aut in familiam, aut in alios profecta ſunt.

VII. Neque vero lex Talionis, quæ præſcribit, ut quod quiſque injuſtum facit, idem viciſſim patiatur, tuetur æqualitatem: primum quod pœna hoc jure conſtituta ſæpe non eſt damni legitima compenſatio: quid enim prodeſt injuriam patienti, ſi ex. gr. ei, qui oculum eruit, oculus ſimiliter eruatur? Deinde quod *par pari reddi multis in locis*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.* 3. *Ethic. cap.* 5.) *alienum eſſe videatur, veluti ſi quempiam magiſtratus violaverit, non eſt referiendus. Et ſi quis magiſtratui manus attulerit, non ſolum referiendus, ſed ſupplicio etiam coercendus eſt:* pœna enim varia eſt pro varietate perſonæ: quoniam non modo crimini, ſed perſonæ etiam violatæ reſpondet, ex qua metiri atque æſtimare oportet injuriam. Verum illuc redeamus, unde deflexīmus.

VIII. Commutationum quamplura ſunt genera: nam prædia, domus, merces, opera, & quæ ſunt alia, commutari queunt pro indigentia cujuſque: commutationes enim ab indigentia proficiſcuntur, qua ſublata, nullæ ſunt: quandoquidem quis rem cum alia commutet, ſi nihil intereſt? Nummus vero præſertim ad commutationum uſum plurimum valet: cum enim nemo fere ſit, qui velit rem ſuam dare, niſi tantumdem accipiat, & res cum rebus non ſem-

 per

per facile ſit commutare, vel inter eas non intercedat æqualitas, ex inſtituto introductus ſit nummus, quo pretium rei æquetur, quam quis vel dat, vel accipit, dictus ἀπὸ τῦ νόμυ, hoc eſt a lege, vel more; & quamquam is, cui nummus traditur, fortaſſe tunc nulla re egeat, tamen nummum ipſum habet quaſi ſponſorem, quo certus ſit, fore, ut ſi re aliqua eguerit in poſterum, illam ejus commutatione conſequatur: quod ita eveniet propter publicam fidem, pactionem, ac legem: *futuri autem contractus* [ait Ariſtoteles [*Ethic. lib.* 5. *cap.* 5.] *nummus ipſe quaſi fidejuſſoris loco eſt nobis, etiam tunc, cum nihil opus eſt contractu: quod ſi ſit opus, præſto ſit futurus: ei enim, qui illum portat, neceſſe eſt, ejus accipiendi poteſtas detur.*

IX. Porro ſi privati ipſi in commutandis, contrahendiſque rebus a juſtitia diſcedant, judicis eſt, quod inique contractum eſt, id emendare, & ad æqualitatem adducere: itaque qui damnum paſſi ſunt, *cum orta controverſia eſt*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.* 5. *Ethic. cap.* 4.] *confugiunt ad judicem, quod confugere ad judicem hoc ſit, a jure præſidium petere; profitetur enim ſe judex legem eſſe loquentem.*

X. Ad juſtitiam, quæ rectrix eſt, emendatrixque commutationum, ea revocatur, quæ cum puniat maleſacta, aut mulctæ irrogatione, aut carcere, aut verberibus, aut exilio, aut morte, vindex appellata eſt (*Vid. D. Thomas* 2. 2. *quæſt.* 80. *art. unic. ad* 1.) in qua, ut paullo poſt dicam (*cap.* 4. *bujus partis*) modum oportet, æqualitatemque ita ſervare, ut culpæ pœna reſpondeat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Quæ ſint Juſtitiæ munera.

I. TRia ſunt munera, ſeu præcepta juſtitiæ, hoc eſt, honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere (*L. 10. ff. de Juſt. & Jure*) Honeſte vivere munus eſt juſtitiæ legalis, quæ præſcribit, nihil eſſe faciendum contra pietatem, verecundiam, dignitatemque noſtram; nihil tandem, quod ſit bonis moribus, ac publicæ honeſtati contrarium, ex quo alii ſumant exempla peccandi, itaque inficiantur membra reipublicæ, & ex uno in aliud manet, influatque contagio; quamquam id, quod geritur, aperte nullo jure vetitum ſit, ſi tale eſt quod non deceat: *eſt aliquid*, ait Cicero (*pro Balbo*) *quod non oporteat, etiamſi licet*. Eſt ergo maxime conſentaneum ſæpe meminiſſe, nos in ſocietate verſari; ex quo conſequens eſt, id omne, quod totius reipublicæ incolumitati aliqua ex parte officere poteſt, eſſe fugiendum: neque enim æquum eſt a membro aliorum membrorum aut minui commoditates, aut ſanitatem labefactari.

II. Juſtitiæ munus ſecundo loco poſitum ad perſonam alterius ac famam referri videtur, ita quidem, ut juſtitia non patiatur alium lædi vel in vita, vel in dignitate: in vita, aut ereptione libertatis, aut amputatione membrorum, aut verberibus, aut morte; in fama vero, vel dignitate, gloriæ detractione, ſtupro, adulterio, convitio, contumelia, iniqua ſuſpicione, aut temerario judicio, vel alio genere turpitudinis: *Juſtitiæ primum munus eſt*, inquit Cicero (*lib. 1. Offic.*) *ut ne cui quis noceat*: quod vero addit *niſi laceſſitus*: id non eſt conſentaneum, cum privatis opibus ulciſci injuriam ſit & rationi, & religioni contrarium.

III. Qui nulli hominum nocet, innocens nuncupatur: eſt enim innocentia, ut Tullius definit (*lib. 3. Tuſcul. Quæſt.*) *Affectio talis animi, quæ noceat nemini*, & magnam vim habet ad conciliandam ſibi benevolentiam, & conſervandam

Digitized by Google

ſocietatem, quæ juſtitiæ gratia, & repellendarum injuriarum eſt conſtituta: hæc enim cauſa homines a ſolitudine adduxit in cœtus & civitates, & vitæ communione conjunxit.

IV. Tertium juſtitiæ munus, quod eſt jus ſuum cuique tribuere, ad res externas refertur, ac bona fortunæ, ut putat Vinnius, & Heineccius (*in lib. 1. Inſtit. tit. 1. de Juſt. & Jur.*) eſt igitur juſtitiæ proprium libenter pati, ut quiſque *communibus utatur pro communibus*, ut ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *privatis, ut ſuis*, mox reddere, quod alienum eſt: *æquiſſima*, ſcribit Seneca (*lib.3. de Beneficiis cap.14.*) *vox eſt . . . . . redde, quod debes*. Tandem ab alieno omnino abſtinere, cui parti repugnat furtum, rapina, damnum per injuriam illatum, res inique contracta, conſilium, adhortatio, juſſio, conſenſio, ex quibus conſequatur, ut bona fortunæ alteri detrahantur.

V. Quiſque autem facile intelliget per ſeſe, quid juſtitia poſtulet, ſi illud teneat generale præceptum a natura datum, quo reliqua continentur omnia, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris:* cujus quidem præcepti vim nemo eſt qui non ſentiat, ac ſi forte illud violat, receſſus quærit, & latebras, & pungitur ac torquetur angore conſcientiæ: videt enim adverſus alios id non eſſe faciendum, quod ſi fiat ab aliis, ſuo corpori, rei familiari, dignitati, amicis, conſanguineis, affinibus pernicioſum eſt. Quamobrem ſi quis prudens non ſit, juſtæ eſt excuſationi locus: multa enim ſunt, ex quibus conſtat abſoluta forma prudentiæ, eaque ſæpe in noſtra non ſunt poteſtate; at niſi ſit juſtus, reprehendi jure poteſt, & in vitio eſt: juſtitia enim virtus eſt inſita fere a natura, omnibuſque perſpecta, & non ab intelligentia pendet, ſed a voluntate.

VI. *Sunt autem quædam officia*, ut Tullius ſcribit (*lib. 1. Offic.*) *etiam adverſus eos ſervanda, a quibus injuriam acceperis: eſt enim ulciſcendi, & puniendi modus. Atque haud ſcio, an ſatis ſit, eum, qui laceſſierit, injuriæ ſuæ pœnitere, ut & ipſe ne quid tale poſthac committat, & cæteri ſint ad injuriam tardiores*. Sic quidem ille; at nos eodem jure utimur cum amicis, ac cum inimicis, & adverſariis, quibus etiam nocere non licet; neque enim injurias ulciſci fas eſt au-

authoritate privata, ut paullo ante dixi, quod & præſcribit natura: primum quia nemo eſt bonus judex in ſua cauſa, & facile putat id eſſe æquum, quod ſit iniquum, & ſe injuria affectum eſſe, cum non ita eſt: deinde quia ex privata ultione multa, maximaque incommoda proficiſcuntur in familias, in civitatem, univerſamque rempublicam, & non tollitur malum, ſed augetur & creſcit. Itaque injuſti publica ſunt authoritate coercendi: vindex enim juſtitia propria eſt prætoris, ac judicis.

VII. Præterea eſt non modo domi, ſed etiam belli tuenda juſtitia. Pauca, quæ huc ſpectant, ſupra vidimus (*hujus libri part.* 2. *cap.* 8.) Nonnulla hac de re tradit & Tullius [*lib.* 1. *Offic.*] quorum ſumma hæc eſt: ſuſcipienda quidem eſſe bella ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur: parta autem victoria, conſervandos eos, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt: iis quoque, qui vi devicti ſunt, conſulendum, & illos, qui armis poſitis, ad imperatoris fidem confugiunt, recipiendos: nullum bellum eſſe juſtum, niſi quod aut rebus (*a*) repetitis geratur, aut denunciatum ante ſit, & indictum: ea bella, quibus imperii gloria propoſita eſt, minus acerbe gerenda eſſe (immo nullo modo geri fas eſſe vidimus [*eodem in loc.*] fidem hoſtibus datam conſervandam.

CA-

(*a*) Feciales enim res injuſte ablatas prius repetebant, quas ſi bona venia impetrare non poterant, bellum indicebant, & cum elapſi eſſent 33. dies, gerebatur, aut ſaltem geri poterat. Feciales erant fœderis, ac pacis curatores.

CAPUT IV.

Quæ ſint vitia Juſtitiæ contraria.

I. VItium juſtitiæ contrarium, injuſtitia dicitur, quæ interdum ſumitur, ut eſt omnium quaſi comprehenſio vitiorum, aut turpis actio virtuti repugnans, quæcumque ea ſit ſive fortitudo, ſive liberalitas, ſive continentia, ſive alia. Hæc injuſtitiæ ratio latiſſime patet, ut generalis juſtitia, de qua ſupra dixi (*in Præfat. bujus partis*)

II. At injuſtitia peculiaris, de qua modo quærimus, eſt prava affectio conſuetudine & uſu comparata, quæ voluntatem inclinat ad jus alienum violandum: uſurpatur tamen etiam pro injuſta actione conſilio ſuſcepta, qua jus idem violatur, quæ quidem actio non diſcrepat ab injuria: hæc vero fit triplici modo; primum ſi cui id neges, quod poſſit is jure ſuo poſtulare; deinde ſi auferas, quod jure ſuo poſſidet; poſtremo ſi per nefas malum alicui, aut damnum inferas.

III. Nulla autem poteſt eſſe injuria, ſublato conſilio, ut Ariſtoteles tradit (*lib.5. Ethic. cap.8.*) amotave nocendi voluntate, quæ cum abeſt, infortunium & caſus dicitur: quocirca nec querelæ debet eſſe, nec iracundiæ locus, niſi forte eatenus, quatenus aliqua fuerit in facto ſocordia, negligentia, aut ignoratio voluntaria quodammodo. Qua in re quidam ſunt multo delicatiores, & non ſatis ratione ducuntur, quos ſi pupugeris, licet inconſulto, vehementer excandeſcunt, & rixas, ac ſimultates ſuſcipiunt.

IV. Immo etiam inter injurias, quæ conſulto fiunt, ſunt aliis aliæ leviores; *ſed in omni injuſtitia permultum intereſt*, ait Cicero (*lib.1. Offic.*) *utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque brevis eſt & ad tempus, an conſulto & cogitato fiat injuria. Leviora ſunt enim, quæ repentino aliquo motu accidunt, quam ea, quæ meditata & præparata inferuntur*: quod & docet Ariſtoteles (*lib.5. Ethic. cap.8.*) Quamobrem quæ contra nos fiunt injuſte aut iracundia, aut ſubita alia concitatione, æquum eſt ferre tolerantius: nam ait Ariſtoteles

les (*loc. mox cit.*) *qui his incitati nocent aliis, ac delinquunt, faciunt illi quidem injuriam, ſed tamen non idcirco ſunt injuſti vel improbi habendi; neque enim nocendi cauſa de induſtria illata injuria eſt: at vero cum conſulto & cogitato fit injuria, tum quiſque injuſtus & improbus habetur*: eſt enim male affectus in iis, quæ ſunt propria juſtitiæ.

V. Enimvero juſtitia violari poteſt, aut quæ legalis eſt dicta, aut quæ in diſtributione, aut quæ in commutatione, pactis, contractiſque rebus cernitur. Primum adverſus legalem juſtitiam peccat is, qui ita vivit, ut ad ſui ipſius tantum utilitatem, commoditatemque natus eſſe videatur, & huc omnia fere refert, quæ molitur & cogitat, quaſi ſolus degeret in terris, nec pars eſſet, & membrum reipublicæ; quamobrem deſerit officia communia, nec ſtudet aliis prodeſſe, vitandæ moleſtiæ cauſa abſtinet a magiſtratu publiciſque muneribus, nec vult accedere ad adminiſtrandam communitatem, ad quam nihil confert operæ vel conſilio, vel pecunia, vel artibus ac diſciplinis.

VI. Hi vero boni viri judicari ſolent a multis; a me tamen habentur inepti, & indigni, qui uno communi vinculo contineantur, & ſi forte ſint boni viri, mali certe ſunt cives: *aliud eſt enim fortaſſis* (*Ariſtoteles lib.5.Ethic. cap.2.*) *virum bonum eſſe, aliud civem bonum*: quandoquidem ſi quiſque ita eſt animo comparatus, ut illi ſunt, nullam eſſe, aut diſrumpi neceſſe eſt ſanctam ſocietatem: *ut enim placet Stoicis*, ait Cicero (*lib.1. Offic.*) *quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe genitos* [cauſam intellige proximiorem] *ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſent: in hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem*: hoc quidem eſt boni civis: *optimus autem is*, ait Ariſtoteles [*lib.5. Ethic. cap. 1.*] *qui virtutem non ad ſuam, ſed aliorum utilitatem refert*: ut contra ſceleratiſſimus quidem eſt habendus is, qui malitiam & ad ſuam, & amicorum perniciem, exitiumque convertit.

VII. Quocirca qui ſuis tantum emolumentis ſtudet, nec curat aliena, ſegregandus eſt ab hominum commercio, & il-

Digitized by Google

illuc detrudendus, ubi ſolus vivat, aut cum belluis: neque enim novit jura ſocietatis, quæ communis utilitatis gratia initio coivit, & adhuc conſiſtit, ut Ariſtoteles ſcribit [*lib.* 8. *Ethic. cap.*9.] & rurſum Tullius [*de Fin. lib.*3.] cum dixerit, mundum eſſe quaſi communem urbem, & civitatem hominum, & unumquemque noſtrum ejus mundi eſſe partem, mox: ex hoc *illud natura* ait *conſequi, ut communem utilitatem noſtræ anteponamus: ut enim leges omnium ſalutem ſingulorum ſaluti anteponunt, ſic vir bonus & ſapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus, utilitati omnium plus, quam unius alicujus, aut ſuæ conſulit. Nec magis vituperandus eſt proditor patriæ, quam communis utilitatis, aut ſalutis deſertor propter ſuam utilitatem, aut ſalutem.*

VIII. Præſertim vero eum expedit ex hominum cœtu repellere & exterminare, qui rapiat ad ſe commoda aliorum; evertit enim funditus ſanctam ſocietatem: videmus interdum quoſdam moroſos, malignos, invidos, elatos, qui nihil velint ipſi pati incommodorum, nullamque operam conferant in bonum reipublicæ; quod optimum eſt, id ſibi ſumant, cum poſſint, & præterea moleſtiſſime ferant, niſi quiſque ipſorum commoditati conſulat, & annuat optatis, quamquam id fieri non poſſit, niſi poſthabito communi bono, & ſæpe etiam repugnante conſcientia: queruntur autem, & quaſi inofficioſum habent eum, agreſtem, ruſticum, ac ſi mavis, improbum, & exilio dignum, & a prætore, ſi ſuperis placet, coercendum, a quo quidquid petunt, non impetrant; quaſi ſoli ſint in terris, quorum oporteat habere rationem; videlicet non meminerunt, ſe eſſe membra, ac partes reipublicæ, quorum eſt aliis prodeſſe mutatione officiorum, ut dixi, & ſæpe publicum privato bono præferre: nonne maxima ſit confuſio ac perturbatio in humano corpore, ſi aures ſemper velint muſices & cantus ſuavitate permulceri ac deliniri, pedes, manuſque quieſcere, palatum conquiſitis cibis ac dapibus delectati; immo frequenter & a cantu, & a quiete, & a cibis ſenſus abſtineant neceſſe eſt, ut totius corporis valetudo conſiſtat.

IX. Hanc ſibi regulam proponant rerum agendarum ii, qui cum aliis aut victus, aut loci, & civitatis communione conjuncti ſunt, hoc eſt, nihil faciant, nihil petant unquam,

quod

quod aliis nocere poſſit, aut minus placere: immo ſtudeant ea gerere, quæ proſint omnibus: ſingula enim corporis menbra ſe mutuo juvant: hoc tandem eſt, quod legalis juſtitia poſtulat.

X. Deinde injuſtitia poteſt eſſe in diſtribuendo; quæ in re locum habet & nimium, & parum, ſeu exuperantia, & defectio, ut ſupra diximus (*lib.* 3. *part.*1. *cap.*2.) Nimium quidem cum is, cujus minora ſunt merita in rempublicam, ampliori honore, præmioque afficitur; parum, ſi contra accidit.

XI. Maxime autem commoveri & offendi ſolent animi populorum, cum princeps hoc jus violat, & honores non pro virtute ac meritis cuique tribuit, ſed improbos, ut avaritia, ut ambitione, ut incontinentia contaminatos, aut etiam eos, qui doctrina & uſu non valent, præficit oppidis & civitatibus, & donat magiſtratu, poſthabitis aliis, qui & ſcientia, & morum probitate, & prudentia, & rerum humanarum uſu multo eſſent aptiores ad munus idem ſuſtinendum cum dignitate; ex quo interdum exiſtit pernicies etiam, & everſio rerumpublicarum.

XII. Tandem injuſtitia in commutandis, contrahendiſque rebus, in conventis, in pactis late funditur. Exempla hanc in rem non inamœna afferuntur a Tullio (*lib.*3. *Offic.*) ſunt autem hæc inter alia: Rhodius mercator frumentum ſuum quamplurimo vendit in ſumma inopia Rhodiorum; etſi ſciat, naves frumento onuſtas adventare in civitatem: vendit quidam domus male materiatas & ruinoſas, emptore vitii neſcio. Pythius Syracuſanus villam vendit Cajo Cannio Romano equiti ſimulans in circumfuſo mari quaſi piſcium pleniſſimo plures cymbis frequentiſſime piſcari, cum non ita ſit. Titus Claudius Centimalus, qui ædes in Cælio monte habebat, cum eſſet juſſus demoliri ea, quorum altitudo officeret auſpiciis, proſcripſit inſulam, ac vendidit Publio Calphurnio rei ignaro, cui, ut idem faceret, denunciatum eſt. M. Craſſus, & Q. Hortenſius teſtamentum, in quo ipſi ſcripti eſſent hæredes, falſum eſſe ſuſpicati, illud tamen non repudiarunt. Hæc quidem iniqua eſſe Tullius exiſtimat, aliaque generis ejuſdem, velut ſi quis adulterinos nummos acceperit imprudens pro bonis, eoſque pro bonis ſolvat, ſi

Digitized by Google

cui debeat; ſi vinum fugiens vendat ſciens; ſi pro aurichalco aurum ab ignaro emat, quod ſit mille denarium. Sed hæc ſatis: ex eo enim officiorum libro huc transferenda fere eſſent omnia, cum ſint præclara.

XIII. Injuſtitia hæc, de qua quærimus, in eo poteſt eſſe, qui contrahit, & in judice, cujus eſt id corrigere, & emendare, quod non bene contractum ſit, ut ſupra diximus (*hujus partis cap.* 2.) Quod ſi qui præſidet ad judicandum, iniquam ferat ſententiam, aut rem differat diutius, quam jura poſtulant, ex quo damnum in aliquem redundet, illud ipſum reſarciat neceſſe eſt, & tantum ei reddat, qui damnum atque injuriam paſſus eſt, quantum juris detractum eſt, cum ſit judex conſtitutus quaſi præſes, cuſtoſque juſtitiæ.

XIV. Debet autem præſertim rationem habere ejus juſtitiæ, quæ vindex eſt facinorum & ſceleris, & videre, ut ab ea abſit cum nimia indulgentia, tum præſertim crudelitas. Indulgentia primum: nam ſi principes, ſi magiſtratus, ſi judices in facinoroſorum vitiis connivent, nihil eſt tutum, nihil quietum in republica, aperitur via audaciæ ac temeritati, cædibus, latrociniis, intemperantiæ, quibus non modo ſinguli perturbantur, ſed etiam evertuntur funditus familiæ ac civitates. Quas vero pœnas dabunt, qui cauſa ſunt maximarum calamitatum? nam, ut ait Seneca (*in Troade act.* 2. *v.*291.)

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Idcirco ſcriptum eſt a Tullio (*Offic. lib.*1.) injuſtitiæ duo eſſe genera: *unum eorum, qui inferunt; alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur, ſi poſſint* (ac debeant) *non propulſant injuriam: nam qui injuſte impetum in quempiam facit, aut ira, aut aliqua perturbatione incitatus, is quaſi manus afferre videtur ſocio; qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.* Quod injuſtitiæ genus non modo ad judicem ſpectat, ac magiſtratum, ſed etiam ad eos omnes, quorum munus poſtulat, ut aliorum aut vitam, aut res, aut famam dignitatemque tueantur.

XV.

XV. Deinde ab juſtitia vindice oportet abeſſe crudelitatem, quod vitium eſt non hominis proprium, ſed ferarum: recte Tullius (*lib.3. Offic.*) *eſt hominum naturæ*, inquit, *quam ſequi debemus, maxime inimica crudelitas*. Debet igitur ultio ac pœna comitem habere clementiam, ut partim improbi deterreantur a ſcelere, eorum exemplo perterriti, qui puniuntur; partim clementia ac principis bonitate: cum illi alliciantur ad vitiorum fugiendam infamiam, & legibus obtemperandum, tum boni ad ſectandam alacrius honeſtatem: ex quo extat illud Horatii (*in. art. Poet.*)

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci:

CAPUT V.

De cauſis Injuſtitiæ, & Injuriarum.

I. Illud injuſtitiæ genus, quod in inferenda injuria verſatur, a multis cauſis exiſtit, ut ſcribit Tullius (*Off. lib.1.*) interdum a metu; *ut, cum is, qui nocere alteri cogitat, timet, ne niſi id fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo:* ſed ſtultum eſt incidere peccando in longe graviſſimam calamitatem: interdum ab avaritia: *maximam autem partem* addit Tullius (*cit. loc.*) *ad injuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, ut adipiſcantur ea, quæ concupierunt, in quo vitio latiſſime patet avaritia*. Ad hanc autem injuriarum cauſam repellendam plurimum valet, ſi quiſque ſecum reputet, ſuam communi utilitate ita contineri, ut, hac amota, nec poſſit illa conſiſtere: jus enim privatum firmum eſſe non poteſt, ſi publicum collabatur: publicum rurſus everti neceſſe eſt, niſi quiſque ſuo jure contentus, ſalvum omnino eſſe velit alienum: ex quo conſequens eſt, ut quiſque debeat ſingulorum jus tueri, ut ſuum; cum præſertim hac lege ſit receptus in ſocietatem, iccircoque violet datam fidem, ſi ſecus faciat, ac communi ſocietatis jure ſancitum eſt: *unum*, ait Tullius [*Off. lib.3.*] *debet eſſe omnibus propoſitum, ut eadem ſit utilitas uniuſcujuſque, & univerſorum*.

II. Quo tamen non efficitur, noſtras nobis utilitates omittendas eſſe, aliiſque tradendas; *cum his ipſi egeamus*, ut rurſus ſcribit Tullius (*lib.*3. *Off.*) quem ſæpe commemoro; *ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Scite Cryſippus ut multa: qui ſtadium, inquit, currit, eniti & contendere debet, quam maxime poſſit, ut vincat: ſupplantare eum, qui cum certet, aut manu depellere nullo modo debet. Sic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad uſum, non iniquum eſt: alteri ſubripere, jus non eſt.*

III. Interdum ad injuſtitiam, & inferendam injuriam impellit ambitio: *Maxime adducuntur plerique* [*Tullius lib.*1. *Off.*] *ut eos juſtitiæ capiat oblivio, cum in imperiorum, bonorum, gloriæ cupiditatem inciderint:* neque vident ridiculum eſſe, abſurdum, & a ratione alienum ad honores contendere per infamiam & turpitudinem.

IV. Naſcuntur autem injuſtitiæ & injuriæ etiam ab qualibet alia cupiditate, ab incontinentia, ab iracundia, ab invidentia, aliiſque generis ejuſdem. Quamobrem cavendum eſt, quoad fieri poteſt, ne ſocietas ineatur, negocium geratur, aut contrahatur cum homine perturbationibus, praviſque affectionibus impedito: vix enim, quod ſuſceptum eſt, abſolvi poterit, non accepta inſigni aliqua injuria; & præterea illud accedet incommodi, quod qui injuriam intulit, omnia complebit querimoniis, quaſi acceperit, & multa in vulgus diſſeminabit contra alterius famam, qui vir eſt cæteroquin bonus: hæc quidem inſolentia, & indignitas ſtomachum vehementer movere ſolet; ſed tamen modice ferenda eſt, ut propriæ famæ & conſcientiæ conſulatur, & ne quid geratur, quod ſapientem virum, & maxime chriſtianum minus deceat. Cæterum qui ſic eſt animatus, ut dixi, inſtar deliri

Oſſifrago melius baculo manſueſcere poſſet,

ut ait Poeta valde bonus (*Sectani Filius ſerm.* 2. *v.* 19.) nam quo debiliora habet fundamenta, eo putat, ſe habere firmiora; quod ſæpe uſuvenit, & cupiditate eo adducitur, ut credat ſe non peccare contra juſtitiam, etſi cæteroquin reprehendentis conſcientiæ vim ſentit. *Sed nos*, ait Tullius

lius (*lib. 3. Off.*) *veri juris, germanæque juſtitiæ ſolidam & expreſſam effigiem nullam tenemus; umbra & imaginibus utimur; eaſque ipſas utinam ſequeremur.*

V. Ne quis ergo rerum difficultate ſeſe implicet, non modo cauſæ ſuæ argumenta perpendat attentius, ſed etiam alienæ, & ſe non eum fingat eſſe, qui eſt, ſed adverſarium, & in metu ſit, ne vehementiori aut pecuniæ, aut honoris, aut voluptatis ſtudio capiatur, & a recta aberret via, atque illud arcte teneat: *quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

VI. Qui vero juſtitiam violant per malitiam omnino, & improbitatem, ii ſunt importunior quædam hominum peſtis ac lues, quam omnes deteſtantur, omnes habent invifam, exoſam, intolerandam: qui enim uni nocet, aliis affert omnibus incommodorum & injuriarum metum: horum quidem curatio, quippe quæ fere eſt deſperata, ad prætorem pertinet, qui eos coerceat, & graviſſimi morbi vim comprimat ſecuri & faſcibus: *neque enim*, ut recte Tullius [*lib. 3. Off.*) *de ſicariis, veneficis, teſtamentariis, furibus, peculatoribus hoc loco diſſerendum eſt, qui non verbis ſunt, & diſputatione philoſophorum, ſed vinculis, & carcere caſtigandi*: quoniam non homines ſunt, qui ratione utantur ullo modo, ſed bruta; immo his quiddam multo inhumanius atque deterius: quippe belluæ in alias ſævire non ſolent generis ejuſdem, nec tygris in tygridem, nec leo in leonem.

VII. Non propulſandæ autem injuriæ, ſeu, ut Tullius ait (*lib. 1. Off.*) prætermittendæ defenſionis, deſerendique officii plures ſimiliter ſolent eſſe cauſæ. *Nam aut inimicitias, & laborem, aut ſumptus ſuſcipere nolunt, aut etiam negligentia, pigritia, inertia, aut ſuis ſtudiis quibuſdam, occupationibuſve ſic impediuntur, ut eos, quos tutari debeant, deſertos eſſe patiantur.* Quo in loco ii etiam ſunt reprehendendi, quorum etſi officium non poſtulat, ut aliorum curam gerant, tamen, ut id faciant interdum, cum opus eſt, ipſa ſocietatis jura compellunt: eam ob cauſam Tullius (*cit. loc*) id non probat, quod eſt a Platone pro philoſophis dictum. [*Dial. 6. de Rep.*] eos, *quod in veri inveſtigatione verſentur, quodque ea, quæ plerique vehementer expetunt, de quibus inter ſe digladiari ſolent, contemnant, & pro nihilo ducant,*

pro-

Digitized by Google

propterea juſtos eſſe: nam dum alterum juſtitiæ genus aſſequuntur, inferenda ne cui noceant injuria, in alterum incidunt. Diſcendi enim ſtudio impediti, quos tueri debent, deſerunt. Itaque eos ad rempublicam ne acceſſuros quidem putant, niſi coactos: æquius autem erat id voluntate fieri: nam hoc ipſum ita juſtum eſt, quod recte fit, ſi eſt voluntarium.

VIII. At ne accipit quidem Tullius (*lib.1. Offic.*) excuſationem eorum, *qui aut ſtudio rei familiaris tuendæ, aut odio quodam hominum ſuum ſe negocium agere dicant, nec facere cuiquam videantur injuriam:* quippe *qui dum altero injuſtitiæ genere vacant, in alterum incurrunt: deſerunt enim vitæ ſocietatem, quia nihil conferunt in eam ſtudii, nihil operæ, nihil facultatum.*

IX. Dixi hactenus, quid ſit juſtitia, quæ ejus formæ ac munera, quæque ei vitia contraria, & eorum, quæ injuſte geruntur, cauſæ: ex quibus *facile, quod cujuſque temporis officium ſit,* concludit Cicero (*lib.1. Off.*) *poterimus, niſi noſmetipſos valde amabimus, judicare: eſt enim difficilis cura rerum alienarum: quamquam Terentianus ille Chremes (in Heautontimorumeno, art.1. ſcen.1.) humani nihil a ſe alienum putat. Sed tamen quia magis ea percipimus, atque ſentimus, quæ nobis ipſis aut proſpera, aut adverſa eveniunt, quam illa, quæ cæteris, quæ quaſi longo intervallo interjecto videmus, aliter de illis, ac de nobis judicamus.* Ne vero unquam aliis male conſulamus perturbatione aliqua incitati, hanc ſtatuit quaſi regulam. *Quocirca,* inquit, (*cit.loc.*) *bene præcipiunt, qui vetant, quicquam agere, quod dubites æquum ſit, vel iniquum: æquitas enim ipſa lucet per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.*

X. Illud tamen monet Tullius (*cit.loc.*) incidere ſæpe tempora, cum ea, quæ maxime videantur digna eſſe juſto homine, commutantur, fiuntque contraria, ut reddere depoſitum etiam ne furioſo? Acceſſione ergo adjunctorum, quod erat juſtum, effici poteſt injuſtum, & contra officium, quod eſſet officio conſentaneum: qua in re oportet videre quid ratio, & natura præſcribat: neque enim licet hoc loco ſingula recenſere.

XI. Hæc dicta velim, ut alia omnia, quæ traduntur in morum diſciplina non cognitionis, ſed actionis gratia, hoc

hoc eſt, ut quiſque injuſtitiam tamquam & animi, & familiæ, & ſocietatis, & rerumpblicarum nefariam peſtem fugiat, & velut magnam infamiam; & quemadmodum dici ſe injuſtum nemo vult, eamque notam ſummo ſibi ducit dedecori, ita nec ſit: dici enim non turpe eſt, ſed eſſe id quidem turpiſſimum.

XII. Præſertim vero principes, ac magiſtratus ab injuſtitia, injuriiſque caveant, nec ab æquo & bono flecti ſe patiantur aut gratia, aut amicitia, aut divitiis, aut nobilitate, niſi velint everti omnino, atque interire, & fidem, & veritatem, & tranquillitatem, & pacem, & religionem, & rerum omnium expetendarum copiam & affluentiam, univerſamque rempublicam: quemadmodum enim juſtitia ſtant imperia, ita injuſtitia funditus collabuntur. In quam rem ſic Heſiodus [*Opera, & Dies lib.1. v.211.*] ex Vulpii interpretatione.

Tu ſequere, o Perſe, juſtum, injuſtumque relinque:
Nam multum petulans homines injuria lædit,
Quam vir ferre nequit patiens; quin corde movetur
Cladem ullam accipiens: melior ſic ſemita monſtrans
Juſtitiam, cedit quoque tandem injuria juri
Succumbens, ſtultus non noverit hoc niſi paſſus.
. . . .
Hinc lacrymans (juſtitia) *urbis vicos, populumque pererrat*
Aere tecta, illis ſecum mala plurima volvens,
A quibus exacta eſt, fraudataque partibus æquis.

Mox autem ſic de juſtitia.

Qui vero externis, & civibus omnia juſte
Diſtribuunt, nil flectentes a tramite recto,
His viret urbs, populique vigent, atque omnia florent;
Pax juvenum nutrix uſque eſt, non horrida bella
Lativídens illis immittit Juppiter unquam.

Reliqua prætermitto, ne ſit paulo longior oratio.

CA-

CAPUT VI.

Quæ ſint Virtutes Juſtitiæ comites.

I. QUoniam juſtitia virtus eſt quæ refertur ad alios, & tuetur conjunctionis humanæ ſocietatem, idcirco virtutes illæ, quibus eſt ſocietas ipſa propoſita, vitæque conjunctio, juſtitiæ connexæ & copulatæ, ejuſque comites eſſe dicuntur: in his enim non ineſt quidem abſoluta ratio ac forma juſtitiæ, ſed quædam tamen cum ea aut major, aut minor ſimilitudo & conſociatio (*vid. D. Thomam* 2. 2. *q.* 80. *art.* 1.)

II. Quæ vero, & quot illæ ſint, non convenit inter philoſophos: ſex quidem eſſe viſum eſt Tullio [*lib.* 2. *de Invent. paullo ante finem*] ſeptem Macrobio (*lib.* 1. *in Somn. Scip.*] novem Andronico Peripatetico [*apud* D. *Thomam* 2. 2. *q.* 80. *art.* 1.] quinque Antonio Le Grand (*Inſtit. Philoſoph. part.* 10. *cap.* 12. *num.* 7.] Nobis viginti & unam lubet enumerare: ſunt autem religio, pietas, pœnitentia, obſervantia, obedientia, veritas, fides, vindicatio, gratia, amicitia, benevolentia, beneficentia, liberalitas, magnificentia, hoſpitalitas, miſericordia, clementia, affabilitas, comitas, facilitas, & urbanitas; pauca dicam de ſingulis, ac primum de religione, quæ princeps eſt virtutum moralium [*Vid. D. Thomam* 2. 2. *q.* 81. *art.* 6.]: nihil enim eſt præſtantius in terris, nihil æquius, quam hominis officium in Deum, in quo verſatur religio, ut dicam: quandoquidem quod conditi ſumus, quod vivimus, quod ratione utimur, qua præſtamus belluis, quod terram hanc incolimus, in qua tam multa ſunt ad vitæ uſum, ad commoditatem, ad oblectamentum, ſingulare cum ſit Dei immortalis beneficium, ſatis conſtat, duce natura, ei deberi cultum, & religionem, a quo cum hæc, tum alia omnia in nos bona proficiſcuntur; nihilque eſſe, quod ſit hoc officio excellentius, quippe cui eſt ſumma ac divina natura ad colendum propoſita.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Religione, ejuſque muneribus.

I. SUmitur hoc loco religio pro virtute, quæ Dei cultu pio continetur, quare ita definitur a Tullio (*de Invent. lib.2.*] *religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, ceremoniamque affert.* A relegendo eſt dicta, ſi Tullium audias: *qui autem*, inquit, (*lib.2. de Nat. Deorum*) *omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tamquam relegerent, ſunt dicti religioſi ex relegendo, ut elegantes ex eligendo, tamquam a diligendo diligentes.* At Maſſurius Sabinus ἔτυμον ducit a relinquendo: *religioſum eſt*, inquit (*in Commentariis, quos de indigenis ſcripſit apud Gellium Noct. Attic. lib. 4. cap. 9.*) *quod propter ſanctitatem aliquam remotum, ac ſepoſitum a nobis eſt: verbum a relinquendo dictum:* quamquam Lactantius (*lib.4. Inſt. cap. 28.*) ab utroque diſſentit: *hac enim*, inquit, *conditione gignimur, ut generanti nos Deo juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur. Hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſumus, unde ipſa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus eſt a relegendo.* Verum in notatione nominis nihil arbitror immorandum; modo rem teneamus, intelligamuſque, quid præſcribat ipſa religio; hoc eſt colendum Deum propter infinitam excellentiam, dignitatemque naturæ, qua ſit, ut pendeat a nemine, ſitque omnium principium & cauſa, & ſummus rector ac moderator, habeatque per ſe in quolibet bonorum genere infinitatem, ex qua in res creatas, præſertim verò ratione præditas, univerſa, quæ ſunt bona, permanant, & influunt quaſi in rivos ex perenni fonte, eodemque pleniſſimo, unde Optimus Maximus eſt nominatus.

II. Eſt autem fundamentum religionis & cultus, divinæ naturæ cognitio, non ea quidem, qua probe ſcias, quid ſit Deus, hoc enim fieri non poteſt in terris, ſed qua Deum

Digitized by Google

ſcias eſſe omnia gubernantem, providentem, introſpicientem, eundemque ex ſeſe beatiſſimum propter infinitam bonorum copiam & affluentiam. Ex quo naſcuntur religionis actiones quædam, ac munera, quorum alia non apparent extrinſecus, alia autem ſecus: prioris generis duo ſunt.

III. Alterum eſt ea recta, ac prompta animi affectio, qua nos rebus iis, quæ ad Dei famulatum pertinent, addicimus ac devovemus, unde populari, eodemque commodo, aptoque nomine eſt dicta devotio (*D. Thomas 2.2. q.82. art.1.*) quam vim habet etiam apud Tullium, (*Orat. pro C. Rabirio fere initio, aliiſque in locis.*) *Non modo*, inquit *in gloria rei militaris Paulum Scipio, aut Maximum filius, ſed etiam in devotione vitæ, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius.*

IV. Ejus virtutis eſt cauſa meditatio, contemplatioque hinc divinæ bonitatis, & ſingularis, eximiæque beneficientiæ in genus humanum, qua de re plura ſcribit Seneca (*lib.4. de Benef. cap.4. & conſeqq.*) inde calamitatis, in qua verſamur, & vitiorum, quibus tenemur obſtricti; quamobrem egemus cæleſti præſidio. Conſideratione quidem bonitatis, & munificientiæ excitamur ad caritatem in Deum; calamitatem autem noſtram cum nobiſcum ipſi reputamus, repellitur audacia, & animi quædam elatio, quæ impedimento eſt, quominus alacriter, libenter, pie nos ipſos velimus divinæ ſubmittere poteſtati, ut religio poſtulat (*vid. D. Thomas 2. 2. q.82. art.3.*) Hanc vero affectionem, de qua loquor, incredibilis quædam conſequitur delectatio: nihil eſt enim, quod jacentem animum erigat magis, ac recreet, quam divina bonitas ac beneficentia, & ſpes fore, ut Deus optimus noſtræ calamitati ſubveniat, & vitiorum abſtergat labem, ac repellat infamiam (*Vid. D. Thomas 2. 2. q. 82. art.4.*)

V. Cum vero fieri non poſſit, ut nos divinis obſequiis devoveamus omnino, ſi ab eo diſcedimus, quod honeſtum eſt, iccirco a devotione divelli nullo modo poteſt vitæ probitas & innocentia, qua maxime Deum coli placet ſapientibus: *hæc eſt religio cæleſtis*, inquit Lactantius (*Divin. Inſtit. lib.6. cap.2.*) *non quæ conſtat ex rebus corruptis, ſed quæ virtutibus animi, qui oritur e cælo:* & rurſus (*cap.24.*)

Hic

Hic eſt veriſſimus ritus, *hæc illa lex Dei*, *ut a Cicerone dictum eſt*, *præclara*, *& divina*, *ſemper*, *quæ recta & honeſta jubet*, *vetat prava & turpia*, *cui parentem ſanctiſſimæ*, *ac certiſſimæ legi juſte ac legitime neceſſe eſt vivere*. Et Seneca [*epiſt.* 95.) *vis Deos propitiare? Bonus eſto*. *Satis illos coluit*, *quiſquis imitatus eſt*. Quocirca extat vetus illud præceptum, quod Pythagoricum putat Boetius (*lib.*1. *de Conſol. Phil. proſ.*4.) aut ad Moyſem refert Philo [*de Migratione Abrahæ tom.*1.) *Deum ſequere* (apud Boetium ἕπου Θεῷ) (*vid. Gaſſendum tom.*2. *lib.*2. *Ethic. cap.* 6.)

VI. Qua in re multi falluntur; etenim nonnulla cum faciant, quæ divini cultus ſpeciem præſeferant, ac religionis, ſe Deo devotos putant, cum ſint potius cupiditatibus, quibus obſequuntur, & vitiis, quorum laqueis implicantur, ac facile jura perrumpant adverſus Dei voluntatem, & iniquo animo ferant adverſa; ſcilicet non intelligunt animi devotione virtutes omnes, ac maxime obedientiam juri cum naturæ, tum legitimo, & caritatem contineri, qua etiam divinæ providentiæ acquieſcimus; unde mentis quædam exiſtit ſumma placatio.

VII. Alterum religionis munus, quod foras non eminet ex ſeſe, eſt precatio, quæ Deo adhibetur tamquam bonorum omnium auctori: quem etſi non latent calamitates & ærumnæ, quibus conflictamur in vita, & bona, quorum egemus; tamen divina voluntate ſancitum eſt, vel emolumenti noſtri cauſa, ut beneficia ſæpe nonniſi nobis petentibus conferantur, ut cum religioni ſit locus, tum aliis virtutibus, ut ſpei, ut laudabili humilitati, ut patientiæ, ut conſtantiæ: quare nulla gens eſt, nulla natio, quæ non modo privatas Deo precationes adhibendas putet eſſe, ſed etiam non decernat publicas.

VIII. Itaque non ſatis ſcio, cur Maximus Tyrius, quem cæteroquin Platonis, qui ſecus ſentit (*in Dial.*3. & 4. *de Legibus in Philebo.*) diſcipulum facile poſſis agnoſcere, ſcribat, non eſſe orandum Deum: nam *qui petit*, inquit (*Diſſert.* 30. *num.*177.) *aut dignus eſt id conſequi*, *aut indignus*. *Si dignus eſt*, *conſequetur*, *etiamſi non petat*; *ſi indignus*, *non conſequetur*, *etiamſi petat*. Non ita quidem: etenim præterquamquod oportet precibus uti cum Deo, ut ſupra dixi, quiſquis

ſit ille, qui petit, modo velit honeſta, poteſt conſequi; & licet oret ea, quæ minus deceant, ſi faciat imprudens, ea ratus decere, non vacat ſua mercede precatio; eſt enim, quamquam non ex ſeſe, tamen propter voluntatem laudabilis. Contingit etiam interdum, ut Deus pro re, quæ petita eſt, aliam concedat, quæ magis ſit ad noſtras opportunitates accommodata.

IX. Ne quis vero erret in precibus, id flagitare debet a Deo, quod ornat animum, & beatum facit, hoc eſt, virtutes, ac ſummum bonum, tum vero quod ad vitæ uſum pertinet, quoad vivimus; in quo genere poſſunt eſſe & bona fortunæ, ſi inſtrumenta ſunt ad virtutem, felicitatemque comparandam. In hanc rem ſapienter Seneca [*Epiſt.*10] *Roga bonam mentem*, inquit, *bonam valetudinem animi, deinde corporis*: & Juvenalis (*Satyr.*10. *in fin.*)

Orandum eſt, ut ſit mens ſana in corpore ſano:
Fortem poſce animum, & mortis terrore carentem,
Qui ſpatium vitæ extremum inter munera ponat
Naturæ, qui ferre queat quoſcumque labores;
Neſciat iraſci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat, ſævoſque labores,
Et Venere, & cœnis, & plumis Sardanapali.

X. Generatim vero ſcribit Seneca (*Epiſt.*10.) nonniſi ea orandum eſſe Deum, quæ nemo non probet ſi audiat, & quaſi munus ad amicum ſuum mittit Seneca hoc dictum Athenodori (Solenſem putat Lipſius *manuduct. lib.*1. *diſſ.*12. *tom.*4. quartum in tabula diſcipulorum Zenonis) *Tunc ſcito te eſſe omnibus cupiditatibus ſolutum, cum eo perveneris, ut nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam.* Nec ſecus Pythagorei jubentes *clara voce precari*, quod Clemens Alexandrinus (*lib.*4. *Stromat.*) ita interpretatur, ut velint, juſtas preces eſſe oportere, quales neminem pudeat, multis audientibus & conſciis, nuncupare. Macrobius huc ſpectat, cum ait (*lib.*1. *Saturn. cap.*7.) *præceptum eſſe philoſophiæ, ſic loquendum eſſe cum hominibus, tamquam Dii audiant; ſic loquendum cum Diis, tanquam homines audiant.* Cujus ſecunda pars ſancit, ne quid a Diis petamus, quod velle nos indecorum

ſit

Digitized by Google

ſit hominibus confiteri. (*Vid. Lipſium in Comment. ad cit. epiſt.10. & Lambinum in Comment. ad epiſt.16. Horatii lib.1. ad verſ. Labra movens &c.*)

XI. Hoc maxime ſervandum eſt a viro chriſtiano, cui, Chriſto duce ac magiſtro, compertum eſt, unum eſſe neceſſarium, ad quod ſi qua non referuntur, ea peti, vehementer vituperandum eſt. Jam vero quorumdam vota vel turpia ſunt, vel ridicula: *nunc enim*, pergit Seneca [*cit. loc.*] *quanta dementia eſt hominum! Turpiſſima vota Diis inſuſurrant, ſi quis admoverit aurem, conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant*: in quos etiam poetæ invehuntur, ut Horatius (*lib.1. epiſt.16.*) ut Perſius (*Satyr.2. init.*) ne quid dicam de Plutarcho (*de Defectu Oraculorum*). Sed de precibus noſtri melius, quos oportet conſulere, & operam dare, ut earum neceſſitate perſpecta, & virium noſtrarum imbecillitate ſpem in hoc quaſi propugnaculo, firmiſſimoque præſidio collocemus.

XII. Exterior religionis actio multiplex eſt. Prima quidem eſt veneratio (vulgo adorationem vocant) quæ debetur divinæ, excellentiſſimæque naturæ: *habet enim*, ait Tullius (*de Natura Deor. lib.1.*) *venerationem juſtam, quidquid excellit*: idque exteriori aliquo ſigno perficitur, quale eſt genu flectere, caput aperire; quod quidem ad interiorem refertur mentis cultum ac reverentiam. Quamquam vero & alios dicimur venerari, ut principem, ut magiſtratum, ut viros ſanctitate ac virtute conſpicuos: non tamen his idem adhibetur cultus, qui Deo; at ſingulis pro dignitate, major, aut minor, Deo autem ſummus, qui λατρεία nuncupatur, accepto a Græcis nomine.

XIII. Altera eſt ſacrificium, quod ratio ipſa, ac natura præſcribit Deo eſſe faciendum, cum ad ejus cultum, tum ad ſignificationem, teſtificationemque ſummæ, quam is habet, hominum, rerumque omnium poteſtatis; quare fert uſus, conſuetudoque communis, ut ubique gentium aræ conſecrentur, fiantque ſacrificia ſeu ſuperſtitioſo ritu, ſeu ſacro, ac legitimo. Unum eſt autem hoc tempore verum ſacrificium, ac ſalutare, Chriſti Jeſu corpus ac ſanguis, de quo non eſt modo dicendi locus.

XIV.

XIV. Cæterum aliud præter hoc a nobis exigit Deus, ut bene Lactantius (*lib.6. Inſtit. cap.1.*) *Nihil*, inquit, *ſancta, & ſingularis illa majeſtas aliud ab homine deſiderat, quam ſolam innocentiam, quam ſi quis obtulerit Deo, ſatis pie, ſatis religioſe litavit* : & alio in loco (*cap.2.*) *Hic verus eſt cultus, in quo mens colentis ſeipſam Deo immaculatam victimam ſiſtit* : & rurſus (*cap.24.*) *Hic cultor eſt veri Dei, cujus ſacrificia ſunt manſuetudo animi, & vita innocens, & actus boni, quæ omnia qui exhibet, toties ſacrificat, quoties bonum aliquid, ac pium fecerit . . . . . . Itaque in aram Dei, quæ vere maxima eſt, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non poteſt ſanguine, juſtitia imponitur, patientia, fides, innocentia, caſtitas, abſtinentia.*

XV. Tertia religionis actio eſt Deo quædam offerre, quæ ad ejus cultum referantur quodammodo, qualia ſunt, quæ ad templi, aut altaris ornatum, ad miniſtrorum uſum, qui ſunt Deo ſacri, ac ſacrificia conferunt; hæc autem aut voluntaria ſunt, hoc eſt cum ſponte dantur, nulla impellente legis, aut præcepti neceſſitate, aut non voluntaria, ſed debita, vel ex pacto, convento, promiſſo, vel more & conſuetudine.

XVI. Quarta eſt votum, cujus ſponſione Deo obligamur ad prætermittendum, vel faciendum aliquid, quod ſit honeſtum, & contrario melius; ſecus non eſt Deo grata atque accepta promiſſio, iccircoque nulla & irrita: quemadmodum vero pium eſt vota facere, ita violare ſacrilegum; niſi incidant cauſæ, cum non facere, quod promiſeris, non ſit contra datam fidem, ut cum inutile eſt, aut pernicioſum id effici, quod promiſſum eſt, aut etiam fieri omnino non poteſt (*ἀδυνάτον*). Cæterum videndum eſt, ne quid temere voveas, ac ſine conſilio, ne te deinde facti pœniteat propter rei difficultatem, aut etiam audeas commoditati, cupiditative poſthabere religionem.

XVII. Quinta eſt jusjurandum, quo plurima firmantur inter homines, Deo immortali interpoſito tum judice, tum teſte: hoc enim nullum vinculum ad adſtringendam fidem majores arctius eſſe voluerunt, quemadmodum nullum certius argumentum ad ſtabiliendam, confirmandamque veritatem. Eſt autem jusjurandi tanta religio, ut ſanctiſſimum

apud

Digitized by Google

apud omnes gentes ſit judicatum, quod violare ac negligere ſcelus eſſet inexpiabile.

XVIII. Quocirca honeſti viri apud Romanos volebant potius quidvis pati, quam videri, aut eſſe perjuri. Celebre eſt, quod geſſit M. Attilius Regulus: cum enim a Carthaginenſium republica juratus miſſus eſſet ad ſenatum, ut niſi redderentur Pœnis captivi nobiles quidam, rediret ipſe Carthaginem, primum quidem reddi captivos negavit eſſe utile; tum cum ejus ſententia valuiſſet, ad Pœnos reverſus eſt: *neque vero*, ait Cicero (*Off. lib.*3.) *tum ignorabat, ſe ad crudeliſſimum hoſtem, & ad exquiſita ſupplicia proficiſci, ſed jusjurandum conſervandum putabat:* & paullo poſt (*cit. loc.*) *eſt enim jusjurandum affirmatio religioſa: quod autem affirmate, quaſi Deo teſte, promiſeris, id tenendum eſt.*

XIX. At non privati modo, verum & univerſa reſpublica romanorum tanti jusjurandum faciendum cenſebat, ut nihil apud eam ſanctius, ac religioſius eſſe videretur: *Id indicant leges*, ait Tullius (*lib.*3. *Off.*) *in duodecim tabulis; indicant ſacra; indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides; indicant notationes, animadverſioneſque Cenſorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando, judicabant.* Deinde id refert, (*eodem loc.*) quod contigit poſt Cannenſem pugnam: decem enim *juratos ad ſenatum miſit Annibal, ſe in caſtra redituros ea, quorum potiti erant Pœni, niſi de redimendis captivis impetraviſſent . . . .* atque *unum ex decem, qui paullo poſt, quam egreſſus erat e caſtris, rediiſſet, quaſi aliquid eſſet oblitus, Romæ remanſiſſe: reditu enim in caſtra liberatum ſe eſſe jurejurando interpretabatur, non recte: fraus enim diſtringit, non diſſolvit perjurium. Fuit igitur ſtulta calliditas, perverſe imitata prudentiam. Itaque decrevit Senatus, ut ille veterator, & callidus vinctus ad Annibalem duceretur.*

XX. Quamquam vero jurare religioſum eſt; propterea quod in Deo ineſſe profitemur veritatem ac ſapientiam, iccircoque eo utimur ut teſte; tamen non modo qui in re falſa, aut minus honeſta adhibet teſtem Deum, in vitio eſt, ſed etiam, qui temere: eſt enim jusjurandum non ex genere earum rerum, quæ expetendæ ſunt per ſeſe, ut caritas in Deum, & homines; ſed aliarum, ad quas utendas neceſ-

ſi-

ſitate compellimur, qualis eſt medicina, quæ expetitur quidem, at propter ſanitatem (*D. Thomas 2. 2. q. 89. art.5.*)

XXI. Tandem ſexta religionis actio eſt aliquem obſecrari, & obteſtari per Deum, aut res ſacras, ut id, quod volumus, impetremus: quod quidem licet, ſi juſta ſit obſecrandi cauſa, & magnam vim habet apud pios & religioſos viros, quippe qui permoventur, cum Deus adducitur, ut ipſemet nobiſcum aliquid quaſi petere videatur.

CAPUT VIII.

Quæ ſint vitia Religioni contraria.

I. REligioni repugnat ſuperſtitio, quod nimium eſt, prout cultum continet, qui non decet Deum: vitium autem, quod eſt parum, caret latino nomine, barbare vocant *irreligioſitatem*, ex quo *irreligioſi* ſunt nuncupati. Superſtitionem putat Tullius ex eo dictam, quod parentes precarentur ſibi filios eſſe ſuperſtites. *Nam qui totos dies precabantur*, inquit (*lib.2. de Nat. Deorum*) *& immolabant, ut ſui ſibi liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati.* Sed eum erudite refellit Lactantius (*lib.4. Inſtit. cap.28.*) *Quid enim mihi affert cauſæ*, ait, *cur precari pro ſalute filiorum ſemel religioſi, & idem decies facere, ſuperſtitioſi eſſe hominis arbitretur? Si enim ſemel facere optimum eſt, quanto magis ſæpius? Si hora prima, ergo & tota die . . . . Quod argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari & immolare criminis eſt, ergo & ſemel; ſi ſuperſtites filios ſubinde optare, vitioſum eſt; ſuperſtitioſus igitur & ille, qui etiam raro id optaverit.* Tum vero pergit paullo poſt: *Superſtitioſi autem vocantur, non qui filios ſuos ſuperſtites optant (omnes enim optamus) ſed aut ii, qui ſuperſtitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus ſuis ſuperſtites, celebrant imagines eorum domi, tamquam Deos penates*: hæc quidem

ſtem eſt aptior etymologia; nec tamen illa ſpernenda, quam affert Servius (*in lib.8. Æneid. ad v.*187.)

Vana ſuperſtitio, veterumque ignara Deorum.

eſſe nempe ſuperſtitionem ſuperſtantium rerum; hoc eſt, cæleſtium & divinarum, quæ ſupra nos ſtant, inanem, & ſupervacaneum metum: iccirco Græci ſuperſtitionem vocant δεισιδαιμονίαν, quaſi Deorum formidinem, non quod non ſit metuendus Deus, uti parens, ſed quod non timendus inſtar hoſtis.

II. Superſtitio autem eſt falſa religio, & Dei cultu impio continetur. Porro impius potes eſſe, ac falſus, vel quod Deum colis quidem, at non quemadmodum debes, hoc eſt, non eo ritu ac ceremonia, qua oportet; vel quod alium, qui revera Deus non eſt, colis ut Deum. Utrumque ſuperſtitioſum eſt: intereſt enim, non tantum quid, ſed etiam quomodo colas; ſecus ac viſus eſt ſentire Lactantius, cum ait [*lib* 4. *Inſtit. cap.*28.] *Nimirum religio veri cultus eſt, ſuperſtitio falſi; & omnino quid colas, intereſt, non quemadmodum colas, aut quid precere:* parum id conſiderate dictum: quoniam Deum colere ceremoniis, V. C. ac ritibus Judæorum, aut aliis, qui novi ſunt, nec a majoribus inſtituti ac probati, ad ſuperſtitionem pertinet; & ſimiliter miracula ſimulare, iiſdemque ſtabilire velle religionem, quæ mendaciis non eget, ac fallacia; cum tam multa habeat ex ſeſe, ac firmiſſima fundamenta rationum.

III. At capitale omnino eſt, ſi id pro Deo colatur, quod non ſit Deus: quod ſcelus funditus tollit, evertitque divinitatem. Hoc ſuperſtitionis genus olim præſertim fuſum eſt per gentes, & omnium fere animos occupavit. Tot autem fuere commentitii Dii, ut difficile ſit eos oratione comprehendere (*vid. Philonem de Decalogo non longe ab initio*) Tullius poſteaquam multos enumeraverit (*lib.*1. *de Nat. Deor.*) quibus a philoſophis pro libito eſſet data divinitas: *expoſui*, inquit, *fere non philoſophorum judicia, ſed delirantium ſomnia; nec enim multo abſurdiora ſunt ea, quæ poetarum vocibus fuſa, ipſa ſuavitate nocuerunt, qui & ira inflammatos, & libidine furentes induxerunt Deos, feceruntque, ut eorum bella,*

pugnas, prælia, vulnera videremus, odia præterea, diſſidia, diſcordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes: ſcilicet ut haberent homines, quo vitia ſua tuerentur exemplo divinitatis: *cum poetarum autem errore*, pergit Tullius (*cit. loc.*) *conjungere licet portenta magorum, Ægyptiorumque in eodem genere dementiam: tum etiam vulgi opiniones, quæ in maxima inconſtantia, veritatis ignoratione verſantur.*

IV. In Deos relati ſunt non modo homines vita functi fere impii ac ſceleſti [*vid. Lactantium Divin. Inſtit. lib. 1. cap. 15.*) ſed etiam belluæ, ac res inanimæ (*Gyraldus de Diis Syntagm. 1.*) turpes, ridiculæ ac ſordidæ, ut boves, ut mures, ut lacertæ, ut allia etiam, & cæpæ; immo & morbi, ut febris, videlicet ne nocerent: tanta erat hominum, ac tam ſingularis inſania: quamobrem ipſe Tullius, poſteaquam falſas opiniones de Diis, fabulaſque deſcripſit: *hæc*, ait (*de Nat. Deorum lib. 2.*) *& dicuntur, & creduntur ſtultiſſime, & plena ſunt futilitatis, ſummæque levitatis:* Quocirca eos operam perdere ſcribit alio in loco, qui fabuloſam theologiam explicare conarentur: *magnam*, inquit, (*lib. 3. de Nat. Deorum*] *moleſtiam ſuſcepit, & minime neceſſariam primus Zeno, poſt Cleantes, deinde Chryſippus commentitiarum fabularum reddere rationem.*

V. Dementiſſima vero ſuperſtitio, de qua hoc loco quæritur, ex eo ſumpſit initium, quod cum parentes immatura morte præreptos ſibi liberos vehementius doluiſſent, levandi doloris gratia, eis ſtatuam domi poſuerunt, in qua mortuum filium quaſi præſentem cernerent; tum ſtatuæ adhibitus cultus, & ſacra domeſtica conſtituta (*Sap. 14. 15.*) & ex familia ſuperſtitio manavit in civitatem, totamque rempublicam; ideo Synophanes Ægyptius filium ſuum in Deorum numero collocavit (*Calmet. diſſert. de Orig. Idol.*) & Tulliolam ſuam Cicero, ut auctor eſt Lactantius [*lib. 1. Divin. Inſtit. cap. 15.*] adeo ſtultus eſt, ac temerarius interdum amor parentum in filios.

VI. Sunt autem a filiis viciſſim efficta ſimulacra majorum; ſic Oſiris rex Ægypti inſigne templum conſecravit parentibus ſuis, Jovi, & Junoni, ut ſcribit Diodorus Siculus (*lib. 1. cap. 2.*) itemque regum (*Lactantius Divin. Inſt. lib. 1. cap. 15.*) & eorum, a quibus inventæ eſſent optimæ artes

&

& diſciplinæ, & egregia quædam collata beneficia generi humano: *ſuſcepit autem vita hominum*, ait Tullius [*lib. 2. de Nat. Deorum*] *conſuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama, ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Caſtor & Pollux, hinc Æſculapius, hinc Liber*. Unde ortum habuerint commentitii Dii, vide eumdem Tullium [*cit. loc.*] & Lactantium (*Inſtit. lib. 1. cap. 12. & ſeq.*) & Gyraldum [*de Diis Syntagm. 1.*] & Euſebium [*de Evang. Præpar. lib. 3. cap. 3.*]

VII. Huc acceſſit artificum eximia & ſingularis induſtria in elaborandis imaginibus, quarum ſpecie, elegantia, & venuſtate inſana multitudo adducta eſt, ut eum, qui homo fuiſſet, veneraretur & coleret quaſi Deum (*Sap. 14. v. 18. 19. 20.*) Ex quo aliud eſt ortum deterrimæ hujus ſuperſtitionis genus: nam ſenſim cœptum eſt coli ipſa ſimulacra, tamquam plena numine, vique divina, maxime cum multis in locis virtute latentis, verſutique dæmonis ederentur oracula ad capiendos incautos, ut Delphis (*vid. Ciceronem lib. 2. de Divinat.*) Ea vero paſſim conſulebantur, qua in re Græcia erat in primis ſuperſtitioſa: *quam vero Græcia*, ait Tullius (*lib. 1. de Divinat.*) *coloniam miſit in Ætoliam, Joniam, Aſiam, Siciliam, Italiam ſine Pythio, aut Dodonæo, aut Ammonis oraculo?*

VIII. Mox vero cum homines cæleſtium corporum formam, pulchritudinemque ſuſpicerent, eorum imagines dedicarunt, rati quamdam in ipſis naturam ineſſe divinam (*Sap. 13. v. 2. & 3.*) *Nec vero . . . . . Xenocrates*, ait Tullius (*lib. 1. de Nat. Deorum*) *in hoc genere prudentior, in cujus libris, qui ſunt de natura Deorum, nulla ſpecies divina deſcribitur: Deos enim octo eſſe dicit; quinque eos, qui in ſtellis vagis nominantur; unum, qui ex omnibus ſyderibus, quæ infixa cælo ſunt, ex diſperſis quaſi membris ſimplex ſit putandus Deus; ſeptimum Solem adjungit; octavamque Lunam.* (*Vid. hac de re & Auguſtinum lib. 7. de Civ. Dei cap. 15. & 16. tom. 7.*)

IX. Denique tanta vis fuit perverſæ conſuetudinis, ut quidquid utilitatem aliquam afferret hominibus, pro Deo coleretur, quod cum ita eſſe Cicero demonſtrarit (*lib. 2. de Nat. Deorum*] tum concludit: *videtis ne igitur, ut a phyſicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio ſit ad commentitios &*

fictos Deos? quæ res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos, ſuperſtitiones pene aniles. Hac de cauſa inter Deos conſecrati ſunt Saturnus, Jupiter, Juno, Neptunus, Proſerpina, Ceres, Mavors, Minerva, Janus, Veſta, Apollo, Diana, quorum omnium fabulas exponit Tullius (*cit. loc.*) *Quidquid enim* [*cit. lib.*) *magnam utilitatem generi afferret humano, id non ſine divina bonitate erga homines fieri arbitrabantur. Itaque tum illud, quod erat a Deo natum, nomine ipſius Dei nuncupabant*: nimirum ſingulos Deos rebus ſingulis præficientes; itemque operibus, quæ ad vitæ uſum pertinerent, iiſque, quæ honeſte expeterentur: quippe cum ſcirent opus eſſe rectore, ſine quo nihil bene poſſet, fortunateque ſuccedere, hinc Fidei, Menti, Victoriæ, Libertati templa ſunt dedicata. *Vides Virtutis templum*, inquit Tullius (*lib. 2. de Nat. Deorum*) *vides Honoris a M. Marcello renovatum; quod multis ante annis erat bello Liguſtico a Q. Maximo dedicatum. Quid Opis? Quid Salutis? Quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? Quarum omnium rerum, quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit.* (*Vid. & Euſebium de Evangel. Præparat. lib. 3. cap. 3.*) unam ergo divinitatem diſtrahebant & amputabant in plurimas, ex quo conſequens erat, ut ipſam funditus tollerent.

X. Immo cum putarent malis etiam, ac morbis occultam vim aliquam præſidere, eam iiſdem nominibus, quæ eſſent noxiarum rerum propria, nuncupabant, & precibus & ſacrificiis placandam arbitrabantur ærumnarum repellendarum cauſa: icci rco inter numina relatus eſt & canis, & ſerpens, & hircus, & crocodilus, & mus Ægyptius, immo & febris, ut ſupra vidimus. Pauca dixi in re, quæ longe lateque patet (*Vide Auguſtinum Calmet diſſ. de Orig. Idololatr. & Gyraldum in hiſt. Deorum Syntagm. 1.*) ubi enumerat ſingularum gentium Deos (*& Laurentium Berti de theol. diſciplin. tom. 1. lib. 1. cap. 5. & Huetium tom. 1. Demonſtrat. Evang. propoſ. 4. cap. 8.*)

XI. Quæ profecto quo eſt luctuoſior hominum, ac deteſtabilior inſania, eo ampliores conſentaneum eſt nos Deo gratias agere, quod in veræ religionis ſinu alti ſumus, & educati. Sed, quod maxime dolendum eſt, & chriſtiani viri εἴδωλα (idola) ac ſimulacra fabricantur, quæ colant, hoc eſt,

vi-

Digitized by Google

vitia & cupiditates, quas etiam vero Deo, ejuſque voluntati ac religioni præferunt: diſcedunt enim a bono, quod eſt extremum, ut in re creata, quaſi in fine, conquieſcant: quod quidem idolum eſt effictum pro libito: itaque in hoc ſcelus incidunt, qui ſuperbiæ ſerviunt, qui avaritiæ, qui incontinentiæ: ex quo etiam tamquam ex fonte manaſſe cultum inanium numinum vetuſtiſſimis temporibus affirmat Euſebius [*Præparat. Evang. lib.1. cap.6.*] & Athanaſius [*tom. 1. Orat. contra Gentes*]. Parum autem intereſt, an propter falſam religionem, ſuperſtitionemque ſacrilegam, an propter alia vitia quis ſempiterna pœna mulctetur: immo in chriſtianum virum, quam in alios futura eſt multo gravior animadverſio: is enim, quem cæleſtis ſapientiæ lumen accendit, & plura confirmant præſidia, atque adjumenta rerum præclare gerendarum, acriori eſt ſupplicio dignus, ſi jura violaverit, Deumque contempſerit.

XII. Ad ſuperſtitionem pertinet etiam divinatio, quæ a Tullio definita eſt (*lib.1. de Divinat.*) *earum rerum, quæ fortuitæ putantur, prædictio, atque præſenſio*, ut humanarum actionum, ut futuræ infirmitatis, aut valetudinis, non conjectura quadam, ſed ſcientia. Divinatio dicta eſt quaſi divina actio: nam tenere futura nemo poteſt, niſi Deus; quippe qui cauſas tenet rerum futurarum. At Græci eam μαντικὴν appellant, nomen a furore ductum; quod præſagire animi ſit a corpore abſtracti, & furore concitati.

XIII. Divinandi artem maxime coluerunt olim Aſſyrii, Chaldæi, Ægyptii, Cilicum, & Piſidarum gens, & Pamphylia, & Græcia populuſque Romanus omnia propemodum divinandi genera complexus eſt. Ea ratio fere probata eſt a philoſophis, qui & libros ſcripſerunt de vario divinationum genere (*Tullius lib.1. de Divin.*) Hæc autem tam longe, lateque patuit inanitas; propterea quod facile conſequitur ex falſo Deorum cultu: ad id enim impelluntur homines a dæmoniis, quorum opera ac diſciplina aut occulte, aut aperte adhibetur in divinando.

XIV. Porro dæmonia, quæ eſſe in rerum natura non modo nos certo ſcimus edocti divinitus, ſed etiam fuit veteribus perſuaſum, ut dixi in libris metaphyſicorum (*lib.2. part. 2. cap.1.*) plura poſſunt cognoſcere, aut aſſequi conje-

ctu-

ſtura, quæ ſint hominibus ignota. Primum, quod naturales cauſas tenent, earumque efficacitatem ac vim, ex qua effecta conſequuntur; mox quia ſciunt, quid ſint ipſa factura, niſi quid obſtet. Deinde, quia rerum experientiam habent, uſumque diuturnum; tandem quia in disjunctiſſimis locis aliquam vident eſſe cauſam, effectumque inchoari: itaque poſſunt hunc alio in loco ante prædicere, quam eveniat. Cæterum dæmonia ſcientiam non habent rerum futurarum, quæ ſunt fortuitæ: & idcirco olim tanta erat ambiguitas oraculorum.

XV. Divinationis quidem plures ſunt formæ. Prima præſtigiis quibuſdam continetur, cum quis fallaci ſpecie oculis objecta, aut voce excepta auribus, quam nemo alius exaudiat, docetur occulta.

XVI. Alia ſomniis perficitur cognoſcendi gratia quemnam res aliqua fortuita eventum ſit habitura, ut quod nomen extrahendum ex urna in certo genere ludorum. Eſt autem hoc cum ſuperſtitioſum, tum inane ac futile: neque enim eſt rerum futurarum, occultarumve ſocietas ulla cum ſomniis.

XVII. Quod ſi interdum aliquid eveniat ex his, quæ ſomniamus, id caſu fieri, aut cujuſdam dæmonii ope putandum eſt. Tullius quidem cum quædam ſomnia collegiſſet, quorum viſus ſit eventus comprobare veritatem (*lib 1. de Divinat.*) tum alio in loco (*lib. 2. de Divinat.*) eorum exponit inanitatem: *quis eſt enim*, inquit, *qui totam diem jaculans, non aliquando collimet? Totas noctes ſomniamus, neque ulla fere eſt, qua non dormiamus; & miramur aliquando id, quod ſomniamus, evadere?* Et rurſus (*cit. loc.*) *quomodo autem diſtingui poſſunt vera ſomnia a falſis, cum eadem & aliis aliter evadant, & eiſdem non ſemper eodem modo, ut mihi mirum videatur, cum mendaci homini, ne verum quidem dicenti credere ſoleamus, quomodo iſti: ſi ſomnium verum evaſit aliquod, non ex multis potius uni fidem derogant, quam ex uno innumerabilia confirmant.*

XVIII. Illud vero ridiculum, quod cum ſomnia plerumque obſcura ſint, incondita, perturbata, cum jam quidpiam accidit, tum eorum explicationem ii, qui his ineptiis delectantur, ad eventum conantur accommodare, ac queri ſolent,

ſent, ſe, quid illa ſignificarent, prius non ſatis perſpicere potuiſſe ad ſuam ipſorum utilitatem: qua re nihil dici poteſt ineptius: ſomnia enim vix a cogitationibus diſcrepant, viſiſque dementium: *Quod ſi inſanorum viſis*, ſcribit Tullius (*lib.2. de Divinat.*) *fides non eſt adhibenda, quia falſa ſunt; cur credatur ſomniantium viſis, quæ multo etiam perturbatiora ſunt, non intelligo.*

XIX. Neque vero fere eſt effector ſomniorum Deus, quippe quæ inania cum ſint, minime conſentanea ſunt Dei majeſtati. Rurſus Tullius (*lib.2. de Divinat.*) *Atque illud quidem*, inquit, *perſpicuum eſt, nulla viſa ſomniorum proficiſci a numine Deorum: noſtra enim cauſa Dii id facerent, ut providere futura poſſemus. Quotus igitur eſt quiſque, qui ſomniis pareat? qui intelligat? qui meminerit? quammulti vero, qui contemnant, eamque ſuperſtitionem imbecilli animi, atque anilis putent? Quid eſt igitur, cur his hominibus conſulens Deus, ſomniis moneat eos, qui illa non modo cura, ſed ne memoria quidem digna ducant?*

XX. Non nego tamen, interdum quædam ſomnia eſſe divina, quale fuit illud Theodoſii, cui in ſomnis Meletii Antiochenſis præſulis ſpecies oblata eſt, a quo imperatoriis veſtibus ornaretur, & regio diademate: paucos autem poſt dies renunciatus eſt imperator, & plurimum religioni conſuluit (*Theodoretus Eccl. Hiſt. lib.5. cap.6.*) Ejuſdem generis ſunt plura ſomnia, quæ narrantur in ſacris literis, ut Jacobi [*Gen.31.*] Joſephi (*Gen.37.*) Pharaonis (*Gen.41.*) Nabuchi (*Dan.2.*) & alia. Hæc quidem impellunt ad id, quod honeſtum eſt, animumque excitant, ac mirifice conſolantur, niſi cum objecta imago eſt ad aliquam denunciandam impendentem calamitatem. At cum probabile non eſt, ſomnium eſſe divinum, illi fidem habere ſuperſtitioſum eſt.

XXI. Quædam tamen poſſunt intelligi ex ſomniis, ut ex effectis cauſa, V. C. aeris mutatio, morbus, affectio corporis, humorum copia & affluentia: ſæpe enim aut externo, & adventitio pulſu animi permoventur, aut interiore. In hoc genere eſt ἐπιάλτης, hoc eſt, viſum aliquod, quod quieſcentes videtur invadere, ſuoque pondere vehementius premere, halitumque præcludere. Cauſa eſt craſſior & frigidior vapor in cerebro, quo viæ intercipiantur fluentium ſpirituum,

tuum, ut tradit Bartholomæus Caſtellus (*in Lexic. medico v. Ephialtes*) Galenus etiam quædam ſcribit de ſomniis [*in libell. de Præſagiis ſomniorum, ſeu de dignotione ex inſomniis tom. 4.*] Illud autem viſum, ſi crebrius occurrat, conſequi poteſt Epilepſia.

XXII. Sæpe ſomnia nihil indicant rerum futurarum, ſed reliquiæ ſunt præteritarum cogitationum, ut ſcribit Cicero [*lib. 2. de Divinat.*] ſic enim ille: *is* [animus] *cum languore corporis, nec membris uti, nec ſenſibus poteſt, incidit in viſa varia, & incerta ex reliquiis, ut ait Ariſtoteles, inhærentibus earum rerum, quas vigilans geſſerit, aut cogitarit. Quarum perturbatione mirabiles interdum exiſtunt ſpecies ſomniorum:* his proprie inſomnii nomen eſt datum, *quia in ipſo ſomnio*, ait Macrobius (*in Somnium Scipionis lib. 1. cap. 3.*) *tantummodo eſſe creditur, dum videtur; poſt ſomnium nullam ſui utilitatem, aut ſignificationem relinquit:* Verum hæc ſpectant ad phyſicos. De vario ſomniorum genere vide Macrobium (*cit. loc.*) & Rhodiginum (*Lection. Antiquar. lib. 27. cap. 14.*) Cæterum vehementer admiror non improbitatem modo, ſed etiam eorum levitatem, qui ſomniis dant operam, vaniſque interpretationibus tempus terunt, & curis mentem implicant.

XXIII. Tertia divinationis ſpecies poſita eſt in ſignis, quibus futura præſentiri videantur. Ea vero ſi cernuntur in terra, rebuſque terrenis, γεωμαντεία dicitur; ſi in aqua ὑδρομαντεία; ſi in aere ἀερομαντεία, ſi in igne πυρομάντεια, ut alia præteream generis ejuſdem; nec vero hoc loco νεκρομαντείαν nomino, cum dæmonion invocatur ad mortuum ſuſcitandum, qui reſpondeat.

XXIV. Quarta eſt aſtrologia judiciaria, cum ex temperatione, ſtatu, motuque cæli, ac ſtellarum, & earum maxime, quæ natalitiæ ſunt, notatione prædicuntur res futuræ fortuito, ut vitæ conditio, opes & copiæ, honor, infamia, calamitates, ſimultates, pugnæ, exilium, mors, aliique caſus humani. Hac divinatione qui utuntur, & mathematici, quia mathematicæ arti dant operam, (quod quidem nomen per ſeſe honeſtum eſt) & genethliaci, quoniam, quid futurum ſit, vaticinantur ex ortu naſcentium, & Chaldæi, quod valde eſſet ea natio his inanitatibus dedita, ſunt appellati.

XXV.

XXV. Totum hoc prædicendi genus repudiatum omnino eſt non modo a noſtris, ut ab Auguſtino (*lib.5. de Civit. Dei cap.1. & ſeq. tom.7., & lib.2. de Doctr. chriſtiana cap. 21.22.23.24. tom.3.*) a Lactantio (*lib.2. Divin. Inſtit. cap. 17.*) ab Euſebio [*lib.6. de Præp. Evang. cap.8. & 9.*] ab Origene (*apud Euſebium cit. loc. cap.9.*) aliiſque omnibus; verum etiam olim a ſapientibus, ut a Tullio (*lib.2. de Divinat.*) a Favorino philoſopho [*apud Gellium Noct. Attic. lib.14. cap.1.*] ab Eudoxo Platonis diſcipulo, a Panætio, ab Archelao, a Caſſandro, a Scylace Halicarnaſſeo (*apud Tullium cit. loc.*): eſt enim quædam incredibilis deliratio. Ecquis in aſtris deſcripſit eventus rerum futurarum? res adverſas, ac proſperas? cujuſque virtutes, ac vitia? tam varias vitæ actiones, tam multas, tamque multiplices? Erit igitur in ſtellis fatum ſimiliter belluarum, muſcarum, culicum? Videlicet divinum ingenium aſtrologorum hæc animadvertit omnia, planeque perſpicit. At qua ope? oculis, ut puto, ea cernit, quæ a terris infinito prope intervallo disjuncta ſunt; cum ſit fallaciſſimus ſenſus oculorum: at eſto ſit certus & perſpicax; breve illud temporis punctum, quo homo naſcitur, & quo paulum mutato, fatum non idem eſt, aſtrologi quo pacto aſſequi queant?

XXVI. Tum non omnium, qui eodem tempore nati ſunt, idem eſt exitus, eademque fortuna; & contra idem ſæpe eorum caſus & eventus, qui disjunctis temporum ſpatiis in lucem ſunt editi: *Proclus*, ait Cicero (*lib.2. de Divinat.*) *& Euriſthenes Lacedæmoniorum reges gemini fratres fuerunt. At hi nec totidem annos vixerunt: anno enim Procli vita brevior fuit, multumque is fratri rerum geſtarum gloria præſtitit:* & aliquanto poſt: *Ego autem etiam hoc requiro, omneſne, qui Cannenſi pugna ceciderunt, uno aſtro fuerint. Exitus quidem omnium unus, & idem fuit.* Eademque eſt ratio, cum multi aut naufragio abſorbentur, aut terræ motu & hiatu.

XXVII. Neque etiam intelligo, cur non habenda potius ratio ſit ejus temporis, quo fœtus concipitur, quam quo naſcitur: quid enim obſtat, quominus in infantem, qui nondum in lucem ſuſceptus eſt, vis influat illa cæleſtis? Quid quod diverſi mores, & leges apud varias gentes indicant,

 nul-

nullam eam eſſe vim ſiderum? numquid enim omnes, qui iiſdem moribus, legibuſque utuntur, uno aſtro ſunt nati, aut eodem nemo eorum, qui non utantur? Quod argumentum late perſequitur Euſebius (*Præparat. Evang. lib.6. cap.8.*) Tandem nonne videas aſtrologorum prædicta re, & eventis, & quotidiana experientia refelli? Si unum, ut prænunciatum eſt, cadat, innumera ſunt, quæ ſecus accidunt, ut quiſque poſſit cognoſcere caſum in illo uno, aut paucis, non artem valuiſſe (*vide Jo. Picum in toto opere contra Aſtrologos, ſed præſertim lib.2. cap.9.*)

XXVIII. At ego id ipſum, quod multi etiam e noſtris videntur concedere, nego ex aſtris poſſe intelligi non ſolum certo, ſed ne conjectura quidem ulla probabili, hoc eſt, futuram definito tempore ſerenitatem, pluviam, nivem, grandinem, tempeſtatem, frigoris, aut caloris viciſſitudines: nam aſtra, maximeque Sol, & Luna nulla alia re, niſi calore, & luce aliquid influunt in corpora: reliqua commentitia ſunt, & inania. Joannes Picus narrat (*lib.2. contra Aſtrologos cap.9. non longe ab initio*) ſe, cum in ſuburbana villa ſpatio centum triginta dierum aſtrologorum decreta obſervaſſet de aeris mutatione, ſex tantum, aut ſeptem dies comperiſſe, qui prædictionibus reſponderent.

XXIX. Eodemque modo judicandum eſt de propenſione voluntatis: itaque ridiculum eſt ex aſtris velle prædicere quali quiſque natura, aut ad quam maxime rem aptus futurus ſit: hoc autem iiſdem fere rationibus, quibus paullo ante uſi ſumus, confici poteſt. Accedit quod non a cælo, ſed a parentibus propenſiones permanant in filios: *Quis enim non videt*, ait Tullius (*lib.2. de Divinat.*) *& formas, & mores, & pleroſque ſtatus, ac motus effingere a parentibus liberos? Quod non contingeret, ſi hoc non vis & natura gignentium efficeret, ſed temperatio lunæ, cælique moderatio:* & rurſus. *Quid? Diſſimilitudo locorum nonne diſſimiles hominum procreationes habet? Quas quidem percurrere oratione facile eſt: quid inter Indos & Perſas, Æthiopas & Syros differat corporibus, animis, ut incredibilis varietas, diſſimilitudoque ſit. Ex quo intelligitur, plus terrarum ſitus, quam lunæ tractus ad naſcendum valere.* Eademque in ingenium cadunt. *Quid?* pergit Cicero (*cit. loc.*) *qui ingenio, atque animo ſingu-*

gu-

Digitized by Google

gulares, num aſtro quoque uno? Quod enim tempus, quo non innumerabiles naſcantur? At certe nemo ſimilis Homeri.

XXX. Adde, quod ad honeſtatem compoſita natura depravari poteſt, depravata vero reſtitui & corrigi, cum ipſa ſe revocat arte, ac diſciplina: itaque ne de propenſione quidem licet ex aſtris judicare. Ex quo conſequens eſt, ipſam naturalem aſtrologiam plenam eſſe futilitatis, totamque artem inventam eſſe ad cibum captandum, quæſtumque mendaciis: quo ſpectat illud Accianum [*apud Gellium Noct. Attic. lib.*14. *cap.*1.]

Nihil credo auguribus, qui aures verbis divitant
Alienas, ſuas ut auro locupletent domos.

XXXI. Quinta divinationis ſpecies eſt augurium, quod capitur ex avium cantu & volatu: ſic ſcribit Tullius (*lib.*1. *de Divinat.*) *apud Lebadiam Trophonio cum res divina fieret, gallos gallinaceos in eo loco ſic aſſidue canere cœpiſſe, ut nihil intermitterent: tum augures dixiſſe Bæotios, Thebanorum eſſe victoriam; propterea quod avis illa victa ſilere ſoleret, canere, ſi viciſſet.* Hoc ridens idem Tullius (*lib.* 2. *de Divinat.*) *Tu vates Bæotios*, inquit, *credis Lebadiæ vidiſſe ex gallorum gallinaceorum cantu victoriam eſſe Thebanorum, quia galli victi ſilere ſolent, canere victores. Hoc igitur per gallinas Jupiter tantæ civitati ſignum dabat? An illæ aves, niſi cum vicerint, canere non ſolent? At tum canebant, nec vicerant. Id enim, inquies, oſtentum: magnum vero: quaſi piſces, non galli cecinerint. Quod autem eſt tempus, quo illi non cantent, vel nocturnum, vel diurnum? Quod ſi victores alacritate, & quaſi lætitia ad canendum excitantur: potuit accidiſſe alia quoque lætitia, qua ad cantum moverentur.* Eodemque modo alia auguria repudiat, ut & omnia, quæ ex volucrum numero, ex fulgure, ex fulmine, ex humana voce, ex pedum offenſione, ex ſternutamento ducuntur, aliiſque generis ejuſdem; atque oſtenta ſimiliter, qualia ſunt, pluiſſe ſanguinem, ſudaſſe ſimulacra, clypeos corroſos a muribus: horum enim partim fabuloſa ſunt, partim fortuita (*Vid. Tullium lib.*2. *de Divinat.*, *& Martinum Delrium Diſquiſit. Magic. lib.* 4. *cap.* 2. *quæſt.* 7. *ſect.*2.)

Digitized by Google

XXXII. Sexta, quæ ad ſuperiorem refertur, eſt aruſpicina, quæ ex extis animalium, dum ad aram ſiſterentur, declarabat futura, adverſus quam ſic quidem Tullius (*lib.2. de Divinat.*) *non dicam gallinaceum fel* (*ſunt enim, qui vel argutiſſima hæc exta eſſe dicant*) *ſed tauri opimi jecur, aut cor, aut pulmo quid habet naturale, quod declarare poſſit, quid futurum ſit?* Et non multo poſt cum reſpondet ad id, quod pro aruſpicina erat dictum, hoc eſt, dum quiſpiam immolat, exta mutari: *Illud vero*, inquit, *multo etiam melius, quod & a te uſurpatum eſt, & dicitur ab illis, cum immolare quiſpiam velit, tum fieri extorum mutationem, ut aut abſit aliquid, aut ſuperſit: Deorum enim numini parere omnia. Hæc mihi jam crede, ne aniculæ quidem exiſtimant.*

XXXIII. Hoc autem loco plura contra hanc extiſpicum artem erudite diſputat, ac lepidum quoddam refert Catonis dictum: *vetus autem illud*, inquit (*lib.2. de Divinat.*) *Catonis admodum ſcitum eſt, qui mirari ſe ajebat, quod non rideret aruſpex, aruſpicem cum vidiſſet;* oſtenditque aut nihil eveniſſe eorum, quæ ab his prædicta ſunt, aut ſi quid evenit, id factum caſu. De hac re fuſe Martinus Delrius (*Diſquiſit. Mag. lib.4. cap.2. quæſt.7. ſect.1.*

XXXIV. Septima eſt chyromantia, χειρομαντέια, quæ aſtrologica dicta eſt, hoc eſt, inſpectio lineamentorum, quæ cernuntur in manu ad prædictionem rerum futurarum, quæ ſunt fortuitæ. Huc ſpectat Juvenalis, cum ait (*Satyr.6.*)

. . . . frontemque, manumque
Præbebit vati crebrum (a) *poppiſma roganti.*

Eam artem maxime profitentur ex eorum colluvione fæminæ, qui dicuntur Egyptii (vulgo *Zingari*) vagi homines, otioſi, furtis victum quærentes, ac fraudibus, quos ad reipublicæ bonum pertinet exterminare.

XXXV. Porro divinandi genus ex inſpectione cum manus, tum frontis, ac dorſi, ſomnium eſt ſuperſtitionis ac in-

(*a*) Crebra manuum tractatio cum vocis adulatione a ποππῖζω *ſibilo, adulor.*

Digitized by Google

inſaniæ plenum: nam ecqua lineamentorum cum moribus, vita, hominumque fortunis, & caſibus poteſt eſſe conjunctio? (*De Chiromantia vid. Maſcardum Rom. diſſ.7.*) Ex phyſiologia quidem licet conjicere, quemadmodum quæ ſit corporis temperatio, ſic & propenſio animorum: nam in facie, in fronte, in oculis ſe prodit cujuſque indoles ac natura quodammodo, ut docent phyſici.

XXXVI. Octava eſt vaticinium per ſortes, quibus aut quid in re obſcura faciendum ſit, quæritur, aut quid ſit futurum: tale eſt jacere talos, aut teſſeras, vel librum aperire V. C. Homeri, Horatii, Virgilii, & verſum, in quem oculi primum inciderint, conſiderare, ut ex his, in *quibus temeritas, & caſus*, ut ſcribit Tullius (*lib. 2. de Divinat.*) *non ratio, nec conſilium valet*, futura præſentias. Olim apud varias gentes varia erat hæc ſuperſtitio (*Vid. Martinum Delrium Diſquiſit. Magic. lib.4. cap.2. q.7. ſect.3.*) ſed paulatim magna ſaltem ex parte cœpit obſoleſcere: quamobrem & Tullius: *ſed hoc quidem*, inquit, [*cit. loc.*] *genus divinationis vita jam communis explosit . . . . . . quis enim magiſtratus, aut quis vir illuſtrior utitur ſortibus? Cæteris vero in locis ſortes plane refrixerunt*: & paullo ante dixerat, rem totam eſſe inventam fallaciis, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem.

XXXVII. Jam vero concludo cum Quinto (*apud Ciceronem lib.1. de Divinat.*) *Nunc illa teſtabor, non me ſortilegos, neque eos, qui quæſtus cauſa hariolentur, ne* (a) *pſychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti ſolebat, agnoſcere.*

Non habeo denique nauci Marſum augurem
Non (b) *vicanos aruſpices, non de* (c) *Circo aſtrologos,*
Non Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniorum:
Non enim ſunt ii aut ſcientia, aut arte divini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:

Qui

(*a*) Loca vaticinii a ψυχὴ *Spiritus*, ubi Spiritus invocabantur.
(*b*) Qui in vico habitant.
(*c*) Campus, in quo Populus ludos ſpectans, conſidebat.

Digitized by Google

Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam ipſi petunt.
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Atque hæc quidem Ennius. De divinatione ſatis.

XXXVIII. Aliud ſuperſtitionis genus eſt inanis obſervatio in eo ſita, quod ex eventu fortuito conjectura ducitur aliquid futurum eſſe aut adverſum, aut proſperum regendæ vitæ gratia, ut qui propter pedum offenſionem, ſternutamentum, occurrentem canem, aut vulpem, aut felem facit aliquid, aut prætermittit, neque vult iter aggredi, ac negocium certis diebus, quos nefaſtos habet, & mali ominis. Ejuſdem vitii poſtulatur is, qui quædam adhibet inepta omnino, ac futilia conſequendæ arti & diſciplinæ, comparandæ ſanitati, molliendo dolori, vitæ tuendæ contra hoſtes, caſuſque fortuitos.

XXXIX. Tandem huc adde magorum portenta, hoc eſt, qui mira, & inuſitata faciunt ope dæmoniorum, aut noxam aliquam inferunt hominibus, ex quo venefici ſunt dicti. Verum his, quæ longe, lateque patent, diutius non arbitror inhærendum. Pauca dixi, ut religio pure & ſancte colatur, quovis teterrimæ ſuperſtitionis ſemine deleto: *ſuperſtitionis ſtirpes*, ait Tullius (*lib.2. de Divinat.*) *omnes ejiciendæ ſunt; inſtat enim, & urget, & quocumque te verteris, perſequitur*. Atque hactenus quidem dixi de vitiis, quæ modum ſuperare dicuntur, in quo religio conſiſtit; nunc dicam de aliis, quæ a modo deſunt, quorum

XL. Primum eſt Deum tentare, cum dicis aliquid, aut facis experiundi gratia, ſitne Deus aut ſapiens, aut bonus, aut juſtus, aut præpotens, ſive id directo feceris ad experiundum, ſive non ea quidem mente, ſed tamen tale eſt id, quod aggrederis, ut ſine inſueta Dei ope non poſſit perfici, quam temere expectas & appetis, ut ſi velis a cibo ac potu abſtinere diutius, ac putes te poſſe vivere: Deus enim jubet, ea ad finem conſequendum adhiberi, quæ natura præſcribit: eſt igitur temerarium expectare miracula, & injurium Dei majeſtati, quaſi debeat is ſeſe ad tuam volun-

luntatem accommodare, cum id negligis ac prætermittis, quod eſt rerum naturæ conſentaneum.

XLI. Alterum eſt ſacrilegium a ſacris legendis dictum, hoc eſt, furandis, aut violandis, ex quo ἱεροσυλία nuncupatur a Græcis, hoc eſt, συλᾶν τὰ ἱερὰ, quod eſt ſacra prædari: itaque re ſacra violanda continetur, ſeu indigna tractatione rerum ſacrarum, quæ nimirum Deo ſunt peculiari quodam ritu dedicatæ, ut ſacræ veſtes, ut ſacerdotes, ut templa. Tanto autem ſacrilegium eſt gravius, quanto plus habet ſanctitatis & religionis res illa, quæ violatur.

XLII. Tertium eſt perjurium, quo quidem peccato tenetur is, qui aut falſum jurat, aut id non facit, quod jurejurando promiſerat. Gravis profecto apud omnes gentes pœna eſt conſtituta perjurio: apud Scythas, & Ægyptios, qui eſſent hujus flagitii rei, ii capite damnabantur (*Leſſius de Juſt. lib.* 2. *cap.* 42. *dub.*14. *num.* 74.). Apud Indos manuum illis, pedumque digiti amputabantur (*Alexander ab Alex. Genial. dier. lib.*6. *cap.*10.). Turpis inuſta eſt infamiæ nota ab utroque jure cum civili [*L. Si quis major.* 41. *C. de Tranſactionibus*] tum ſacro (*Can. Infames* 17. *cauſ.*6. *q.*1.) ſed a Deo puniuntur acerbius, qui eum non verentur teſtem interponere mendacii: quare eſt etiam in legibus duodecim tabularum (*apud Tullium de Leg. lib.*2.) *perjurii pœna divina exitium; humana dedecus.* [*de perjurio vid. Philonem de Decal. tom.*2.]

XLIII. Quartum eſt in eo poſitum, quod ſacra vendantur, aut emantur, & ab auctoritate religionis abducantur ad mercedem & quæſtum: quod peccatum non admodum inſolens eſt, ac rarum; quoniam ſi minus pecunia, certe frequenter dantur munera, aut præſtantur obſequia, quibus ad id, quod ſacrum eſt, conſequendum via munitur & ſternitur, quod non caret labe ſacrilegii: eſt enim nefarium ſcelus ea velle inter ſe comparare, quæ maximo intervallo diſtant, qualia ſunt divina & humana, & hæc illis æquare.

XLIV. Quintum eſt convicium, ſeu maledictum impie jactatum in Deum; quod ſcelus graviſſimis pœnis etiam in terris a Deo mulctatum eſſe memoriæ proditum eſt. Olim qui tale quid auderet, cautum erat lege, ut lapidibus obrueretur (*Levit.*24. *v.*74. *& ſeqq.*)

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De Pietate, ac de Vitiis, quæ ſunt Pietati contraria.

I. Pietas cum late patet, idem ac bonitas, & innocentia ac ſanctitas valere videtur; quare pius dicitur is, qui vitæ, morumque probitate præditus eſt; cum autem minus late, virtus eſt, qua bene ſumus affecti in Deum, in parentes, in patriam: nos enim officium conſervare monet in eos, qui vitæ noſtræ ſeu habendæ, ſeu regendæ ſunt principium & cauſa quodammodo (*D. Thomas 2. 2. quæſt.* 101. *art.*1.) quales ſunt Deus, qui nos condidit & tuetur, parentes, a quibus gignimur & gubernamur, patria, in qua nati ſumus, & educati; at cum virtus, quæ Deo cultum affert, potius ſit dicta religio, reſtat, ut pietas ſit in parentes, ac patriam. Cultu autem parentum etiam conſanguinei continentur; propterea quod ex iiſdem parentibus, ac majoribus orti ſunt; ac ſimiliter patriæ cultus cives complectitur, patriæque amicos ac benevolos, quippe qui intime ſunt cum patria conjuncti: hanc ob cauſam recte Tullius: *pietas eſt*, inquit, (*lib.*2. *de Invent.*) *per quam ſanguine conjunctis, patriæque benevolis officium, & diligens tribuitur cultus.*

II. Primum itaque ſunt colendi parentes, quos habere oportet, quaſi Deos in terris (*Plato lib.*11. *de Leg. vid. & Ariſtotelem Ethic. lib.* 9. *cap.* 2. *& ibi Victorium*) domeſticos, ac familiares, & quaſi conditores quamdam Dei ipſius imaginem referentes: ut enim Deus parens eſt omnium, ita illi liberorum, quos procrearint (*vid. Philonem de Decal. in* 4. *præceptum tom.*2.). Quamobrem nulli alii, Deo excepto, plus debemus, quam procreatoribus, quibus id etiam debemus, quod ſumus, quod vivimus, quod hoc cælo fruimur: *filiorum enim*, ait Philo (*cit. loc.*) *nihil eſt proprium, quod non parentibus debeant, a quibus vel acceperunt, vel*

in

in acquirendo adjuti ſunt. Et Seneca (*lib.3. de Benef. cap.29.*) *Non potuiſſem quicquam conſequi, niſi parentum beneficium anteceſſiſſet*; ac non multo poſt (*cap.30.*) *quicquid præſtiti patri, etiamſi magnum eſt, infra exiſtimationem paterni muneris eſt: quia non eſſem, ſi non genuiſſet*. His accedit Plutarchus (*libel. de fraterno amore*) *reliqui omnes*, inquit, ... *hoc dicunt, atque canunt, primum ſecundum Deos honorem, ac præcipuum parentibus naturam, & legem naturæ deſtinaſſe: neque Diis quicquam gratius homines facere, quam ſi parentibus, alumniſque ſuis veteres ſuper novis fœneratas gratias benigne, & alacriter perſolvant*. Sed non opus eſt plura dicere in re aperta, & probata omnibus.

III. Deinde pietas in patriæ cultu cernatur neceſſe eſt: quippe ea dicitur communis eſſe omnium parens, & educatrix, quam interdum præferendam parentibus præſcribit natura; non quod ſit aliquis, cui plus, quam parentibus debeatur, ſed quia reipublicæ incolumitas eſt anteponenda commoditati ſingulorum; quod niſi æquo animo ferant procreatores, exuerunt humanitatem, nec ſatis ſciunt, quid poſtulet jus ſanctæ ſocietatis; recte Tullius (*lib. 1. Off.*) *Cum omnia*, inquit, *ratione animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?* Si ergo parentem a patriæ proditione, aut iniqua occupatione revocare non poſſit ullo modo filius, accuſabit. *Quid ſi tyrannidem occupare*, ait Tullius (*lib.3. Off.*) *ſi patriam prodere conabitur pater; ſilebit ne filius? Immo vero obſecrabit patrem, ne id faciat; ſi nihil proficiet, accuſabit; minabitur etiam. Ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet ſaluti patris*: eſt enim potius, quam privatæ cujuſque utilitati, publicæ conſulendum: quo ſpectare poteſt illud Plutarchi [*comment. an ſeni gerenda ſit reſpublica*] *Patria*, & [*Cretenſium more ut loquar*] *Matria plus in te, quam parentes tui, jus habet*. Eam ob cauſam diligendi ſunt patriæ benevoli, & magiſtratus, & principes; quippe qui cum patriam, legeſque, & majorum inſtituta tuentur, id in nos beneficii conferunt,

ut eorum tecti præſidio tuto vivere, tranquilleque poſſimus.

IV. Incidunt tamen aliquando tempora, ut patria non parens ſit, at noverca: quoniam non modo filios quoſdam ſinu ſuo non excipit ac fovet humaniter, non educat, non tuetur, non diligit; ſed contemnit & aſpernatur, rejicit, oppugnat, eorumque detrahit famæ ac dignitati, quod bonum eſt ſummum in terris: cumque, quod iniquius ferendum eſt, in honore habeantur exteri, non raro minuti homines, nullaque optima diſciplina aut liberali arte præſtantes; deridentur, & pro nihilo ducuntur domeſtici, cæteroquin ad præclara nati, & ingenuis ſtudiis exercitati, quos oporteret etiam jacentes ac proſtratos erigere ac recreare. Quare multi ſapientes patriam deſerendam putarunt, ut in exterorum humanitate conquieſcerent, quam nanciſci apud ſuos minime potuiſſent. Verum tunc etiam animi eſt in primis nobilis, & excelſi, patriæ commoditati & incolumitati conſulere, eamque ornare & dictis & factis, & privatum bonum publico poſthabere, maxime cum ſemper plures ſint viri boni in civitate, & amici & benevoli, & præſertim qui ſummopere curant, ut vita populorum quieta ſit ac beata, principes ac magiſtratus, quorum etiam gratia nihil eſt prætermittendum, quod ad reipublicæ ſalutem & ornamentum conferre videatur. Sed ut ut eſt, nos ita ſumus divinitus inſtituti, ut debeamus omnibus prodeſſe, nocere nemini, quamquam laceſſiti.

V. Cæterum amor ille, quo quidam ita in patriam tenentur adſtricti, ut ab ea divelli ſine magno dolore non poſſint, muliebris eſt, & mollis: nam totum mundum eſſe patriam, & quaſi communem civitatem ſapientes judicarunt. (*vid. Lipſium de Conſtantia lib.1. cap.11. tom.4.*) & nos ſupra diximus (*lib.3. part.1. cap.12.*). *Atque etiam hodie*, ait Plutarchus (*de Exſulio*) *celeberrimi, & præſtantiſſimi viri vivunt extra patriam, non indicto, ſed ultro ſuſcepto exſulio, neque juſſi fugere, ſed ſponte ſua fugientes negotia, occupationes, moleſtias, quas patria affert*: & hoc in loco plures enumerat, qui mallent abeſſe, quam in patria degere, ut Thucydidem, ut Xenophontem, ut Thymæum, ut Bacchylidem, ut Archedemum, alioſque quammultos; & e noſtris innumeri alio profecti ſunt procul ab ea regione, in qua ſuſcepti eſ-

ſent

Digitized by Google

ſent in lucem, cum ſcirent, ſi qua eſt patria in terris, eam fortaſſe corporis eſſe, non animi, cujus patria cælum eſt vera ac ſempiterna, ubi nemo eſt invidus, nemo arrogans ac ſuperbus, nemo iniquus, aut aſſentator, aut callidus, ut quærenti *nihil tibi curæ patria eſt*, id poſſint dicere, quod Anaxagoras [*apud Lipſium de Conſtantia lib. 1. cap. 11. in fin. tom. 4.*] *mihi vero illa patria*, & digito aſtra monſtrare. Sed lubet in viam redire, a qua viſi ſumus paulum deflectere.

VI. Pietas velut extremum vitium, quod parum eſt, ſeu a modo deficit, habet impietatem, non ut hæc latiſſime patet, & omne complectitur improbitatis genus, ut ſuperbiam, ut avaritiam, ut incontinentiam, aut ſaltem ea ſcelera, quæ ſunt religioni contraria, ex quo impii ſunt dicti, qui aut Deum, aut ſacra violant; ſed prout minus late patet, & continetur dumtaxat in parentibus violandis, aut patria; in quam ſententiam uſurpatur a Tullio [*Orat. pro Quinctio*] *Si veritate, amicitia*, inquit, *fide ſocietas, pietate propinquitas colitur, neceſſe eſt iſte, qui amicum, ſocium, affinem fama, ac fortunis ſpoliare conatus eſt, vanum ſe, & perfidioſum, & impium eſſe fateatur*: & quod ad patriam attinet: *Illi igitur impii*, (hoc eſt, qui ſe contra patriam armarunt) *quos cecidiſtis, etiam ad inferos pœnas parricidii luent* [*Philipp. 14.*]

VII. Peccant autem, & impii ſunt in parentes, qui eos non reverentur & colunt, qui eorum non obſequuntur juſſis ac voluntati, qui neceſſitati, & famæ non conſulunt ope, defenſione, præſidio, & omni genere officiorum: hi quidem a Philone (*lib. de Decal. in 5. præcept.*) comparantur cum belluis: *Qui nec de hominibus*, inquit, *benemerentur læti eorum proſperitatibus, condolentes adverſitatibus, nec pietatem, ſanctitatemque ſuſpiciunt, poſſunt videri mutati in ferarum ingenium: inter quos primas ferent, qui parentes ſuos negligunt, utriuſque partis hoſtes, tum ejus, quæ Deo, tum ejus, quæ hominibus ſe approbare vult. Sciant igitur ſe damnatos pro duobus tribunalibus, quæ ſola ſunt naturalia: impietatis apud divinum, quod ſecundos poſt Deum auctores vitæ ſuæ non tractant ex officio: inhumanitatis vero apud humanum; cui enim benefacient, qui proximos, & optime de ſe meritos vilipendunt, quibus nulla poteſt referri gratia non inferior acce-*

Digitized by Google

ptis beneficiis? . . . . . proinde indigniſſimum fuerit, ſi qui ne omnibus quidem officiis poſſunt gratitudini ſatisfacere, graventur præſtare vel minima. Tum eos infra feras etiam collocat, quippe quæ cibum præbentibus blandiuntur, quod faciunt non modo canes, ſed urſi interdum, pardi, leones.

VIII. Quamquam hoc fœdum eſt, uſuvenit tamen hac ætate præſertim, ut magnis odiis, diſcordiis, ſimultatibus filios a parentibus diſſidere, atque abalienari videamus propter avaritiam, aut ſuperbiam, aut inſanam cupiditatibus obſequendi libidinem: putant enim, cum paulum adoleverint, beatius ſe poſſe vivere, excuſſo quaſi ſervitutis jugo, abjectaque obedientia.

IX. Mox in patriam impii ſunt, qui eam deſerunt, qui non tuentur, non adjuvant, afflictam ac proſtratam non erigunt, cum poſſint; ac multo magis, qui reipublicæ ſtatum labefactare conantur, & perturbare ac evertere ſocietatem.

X. Porro ſi quod eſt vitium pietati contrarium exuperantia, caret nomine: in hoc forte peccant, ac modum ſuperant, qui parentes, aut patriam ita colunt, ut ſalutem ſuam, aut divina jura, naturæve præceptionem negligant: eſt enim amori parentum & patriæ, Dei voluntas, ac ſalus animi & incolumitas præferenda. Hæc breviter, ſtrictimque attigi: quoniam de officiis liberorum in parentes, & civium in patriam alius erit dicendi locus.

CA-

CAPUT X.

De Pœnitentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Pœnitentiæ contraria.

I. NOn una eſt pœnitendi vis & poteſtas: nam pœnitere interdum idem eſt, ac tædere [*vide Morinum de Pœnitentia lib.*1. *cap.*1.] ut apud Tullium (*de Senectute*) *Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret?* & apud Virgilium (*Ecloga* 2. *v.*34.)

Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.

Interdum idem valet quod pudere: ſic idem Tullius (*in Somnio Scipionis*) *Jam ipſa terra*, inquit, *ita mihi parva viſa eſt, ut me imperii noſtri, quo quaſi punctum ejus attingimus, pœniteret:* quandoque eſt parvi æſtimare & contemnere: ita uſurpatur a Plinio (*Hiſtor. Natur. lib.*5. *cap.*17., *quod eſt de Eſſenis*) *Gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur: tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia eſt.* Sed hæc ad τρόπον, ac minus propriam locutionem ſunt referenda. Proprie autem aliquem dicimus pœnitere, cum is dolorem capit ex eo, quod conſilio ac voluntate geſtum eſt, mutatque ſententiam, ut bene Gallus Aſinius, & Largius Licinius interpretantur (*apud Gellium Noct. Attic. lib.*17. *cap.*1.) *Nam pœnitere*, inquiunt, *tum dicere ſolemus, cum quæ ipſi fecimus, aut quæ de noſtra voluntate, noſtroque conſilio facta ſunt, ea nobis poſt incipiunt diſplicere, ſententiamque in iis noſtram demutamus.* Quod & Gellius probat (*cit. loc.*). ſcribit enim: *eſt hæc quidem, quam dicunt, verbi hujuſce ſententia, & pœnitet niſi in voluntariis rebus non probe dicitur.*

II. Ad animi dolorem, mutationemque ſententiæ, quæ duo ſunt pœnitentis, ut dixi, cautio adjungitur, ne id fiat in poſterum: eſſet enim dementis id velle facere, quod factum eſſe vehementer dolet.

III.

Digitized by Google

III. Denique accedit quartum, hoc eſt, pœna ſponte ſuſcepta malefacti ulciſcendi gratia; eo enim cum dolor impellit, qui ſemper eſt pœnitentiæ comes, tum etiam ratio, quæ præſcribit, ſi quid peccatum eſt, id eſſe merita debitaque pœna eluendum; in quam ſententiam ſcriptum eſt a Tullio [*lib.4. Tuſc. Quæſt.*] *Alexandrum regem videmus, qui cum interemiſſet Clytum familiarem ſuum, vix a ſe manus abſtinuit: tanta vis fuit pœnitendi:* Iccirco Iſidorus (*lib.6. Originum de Officiis num.20.*) *Pœnitentia*, inquit, *appellata quaſi punientia, eo quod ipſe homo in ſe puniat pœnitendo, quod male admiſit: nam nihil aliud agunt, quos veraciter pœnitet, niſi ut id, quod male fecerunt, impunitum eſſe non ſinant.* Nec ſecus ſentiunt, qui pœnitere volunt idem eſſe, ac pœnam tenere, hoc eſt, conſtanter in ſe punire, atque ulciſci malefacta. (*In lib. de vera, & falſa Pœnit., qui adſcribitur D. Auguſtino cap.19. tom.6. in app.*) Id quidem chriſtianis hominibus familiare eſt; at olim eorum, qui eſſent ſuperſtitione occupati, fere nemini.

IV. Hæc quatuor complexus eſt Lactantius [*lib.6. Divin. Inſtit. cap.24.*] *Is enim*, inquit, *quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum priſtinum intelligit, ideoque Græci melius, & ſignificantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latine poſſumus reſipiſcentiam dicere; reſipiſcit enim, ac mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ſuum ad rectius vivendum, tum illud ipſum maxime cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.*

V. Quod apud Latinos pœnitentia, idem fere valet apud Græcos μετάνοια; primum quidem ei ſubjecta eſt ſententiæ mutatio, ut in eo Xenophontis loco (*initio Cyropediæ.*) *At ubi*, inquit, *veniſſet in mentem, Cyrum, qui foret Perſes, permultos quidem homines, permultas urbes, permultas gentes juſſis ſuis reddidiſſe obedientes, hinc ſententiam mutare* (grece μετανοεῖν) *coacti ſumus*: hoc eſt, fateri, non difficilius eſſe homini, quam cæteris animantibus imperare.

VI. Deinde μετάνοια ſignificat animi dolorem propter priorem ſententiam, aut aliquid, quod ex ea ſit conſecutum, ut ex Plutarcho compertum eſt (*libell. de amico, & adulatore diſcernendo.*) *Sed neſcio quo pacto fit, ut . . . . . iidem ſi quid peccaverint, aut deliquerint, pro inimico, atque*

ac-

accuſatore habeant, quicumque reprehenſione, ac vituperatione mordere, & ad pœnitentiam (μετάνοιαν) trahere cupit. Et Lucianus [*in fine Dialogi de Saltatione tom.*4.] *Et ſane*, inquit *perbibebant illum* [Ajacem] *poſtquam a tanta veſaniæ temulentia ſobrius eſſet factus, intantum ob hæc, quæ turpiter admiſerat; affectum eſſe pœnitentia*, (græce μετανοῆσαι) *ut præ nimia mentis mæſtitia ægrotus decumberet.*

VII. Tum vero μετάνοια pœnam, laboreſque comprehendit, ac dura opera, quæ vis illi a ſcriptoribus rerum ſacrarum paſſim tributa eſt (cum gentes ſuperſtitioni deditæ nullam fere ſolerent pœnam ſponte ſuſcipere propter malefacta, ut dixi) ut ab Ignatio (*in Epiſtola ad Smyrnenſes data*) in qua μετανοεῖν uſurpat pro eo pœnitendi genere, quod in externis operibus laborioſis, officiiſque cernitur: quam nominis poteſtatem hoc trito diſticho expreſſit etiam Auſonius (*Epigr.*12.)

Sum Dea, quæ facti, non factique exigo pœnas,
Nempe ut pœniteat, ſic Metanoea vocor.

Ex quo conſequens eſt, minus vere dixiſſe Lactantium nomine μετανοίας *ſignificantius* explicari *reſipiſcentiam*, cum proprie alia omnia, quæ dixi, ſint illi ſubjecta nomini; immo reſipiſcentia a Græcis ἀνάληψις nominatur.

VIII. Quæ cum ita ſint, ita apte definiri videtur pœnitentia: eſt ſcilicet ſententiæ mutatio cum dolore conjuncta propter errorem, aut peccatum vitæ ſuperioris; tum conſtans animi propoſitum de errore ipſo aut malefacto in poſterum fugiendo; & gravis ac ſevera in corpus animadverſio. Primum itaque erratum aut delictum cognitum ac perſpectum eſſe neceſſe eſt, & intelligi quantum illud ſit, quam inhoneſtum ac turpe, quam pernicioſum, quam injucundum; ex quo deinde conſequitur dolor: quoniam cum ratione ſimus præditi, id dolere ſolemus, quod male geſtum eſt, quod injuſte, quod temere; ac qui ſecus faciat, non homo ſit mentis particeps, ſed bellua. Tum vero ex hoc rurſus naſcitur ſententiæ, conſiliique mutatio: neque enim quemquam dicimus facti pœnitere, cum eadem manet ſententia, idemque conſilium.

IX.

Digitized by Google

IX. Præterea argumentum eſt animi minime abhorrentis a ſcelere, qui eadem facit, quæ cauſas afferunt pœnitendi: ſunt enim ridiculi, qui ſe ajunt pœnitere male actæ vitæ, nec tamen rectius vivunt in poſterum, nec pericula declinant opportunitatemque peccandi, nec quicquam faciunt eorum, quibus avocari poſſint a vitiis; ſcilicet hæc quidem eſt callida doloris ſimulatio; nam *hominem*, ut ſcribit Lactantius (*lib.6. Div. Inſtit. cap.24.*) *pœnitentia cautum, ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ ſemel fraude deciderit: ut muta quoque, animalia* (Lactantius paullo ante) *cum fraude capiuntur, ſi aliquo ſe modo in fugam extricaverint, fiunt poſtmodum cautiora, vitantque ſemper ea omnia, in quibus dolos, inſidiaſque ſenſerunt.* In quo major eorum apparet prudentia, quam hominum, qui in idem rurſus diſcrimen conjiciunt ſeſe, a quo evaſiſſe videantur.

X. Tandem debet is, quem pœnitet malefactorum, pœnas a ſeipſo ſumere, itaque compeſcere ſuperioris vitæ temeritatem, & quod violatum eſt, id compenſare; eoque magis, quod præſtat ſponte pœnam ſubire multo leviorem, quam a Deo vel in terris, vel poſt obitum acerbiore mulctari, cum fieri non poſſit inulta eſſe, atque impunita peccata: hoc enim omnino non eſt divinæ juſtitiæ conſentaneum.

XI. At non ſemper neceſſaria eſt ea, de qua dixi, in ſeipſum animadverſio, cum nimirum nihil in eo facto, aut conſilio peccatum eſt, cujus te pœnitet, quod contingit aliquando: nam & beneficii poteſt aliquem pœnitere, cujus is, qui accepit, ingratus exiſtat, aut ſuſcepti facinoris, cujus deinde infelix ſit exitus. Sic ſcriptum eſt a Seneca (*lib.1. cap.1. de Benefic.*) quoſdam muneris ſui, hoc eſt, dati beneficii pœnitere; & a Cicerone [*Philipp.12.*] *Si eſt erratum P. C. ſpe falſa, atque fallaci, redeamus in viam. Optimus eſt portus pœnitenti mutatio conſilii.* Verum nihil eſt cauſæ, cur nos pœniteat rerum bene, prudenterque geſtarum; quod ſi quid hinc conſecutum eſt minus felix ac fortunatum, non noſtra culpa eſt, ſed aliena, ac temporum; re tamen integra, id eſt emendandum, quod male cecidiſſe videatur.

XII. Ut vero ad id, quod propoſitum eſt, revertar, frequens pœnitentia non modo valet ad ulciſcenda ſuperiora de-

Digitized by Google

deliſta, ſed etiam ad vitanda futura: nam difficile eſt in ea prolabi, quorum nos ſemper pœnitet, & in quibus ipſi nos caſtigamus inedia, flagris, vigiliis, aliiſque generis ejuſdem, præſertim cum tum Deus noſtros conatus adjuvet, diligentiam, induſtriam. Quo in loco non ſatis admirari poſſum Aonii Palearii, qui olim eloquentiam profeſſus eſt in hac ipſa Civitate, non improbitatem modo, ſed etiam audaciam, & impudentiam ſingularem, immo & rei, de qua diſputat, ignorationem: ſic enim ſcribit, ut eleganter, ita nefarie (*Orat. de Felicitate ad Patres Conſcriptos Reip. Luc.*) *Quid eſt quod quidam, quos ſicuti boves armenta, ſecuta eſt infinita hominum multitudo, ſeſe & alios oleribus & craſſiore cibo paſcere inſtituerunt? Quod genus vitæ fecit homines minime aptos ad meditandum. Unde primum juri naturali, & civili bono incredibiles tenebræ ſunt offuſæ. Unde illa nata ſunt monſtra, ut alii cum feris libenter habitarent, alii in ſordibus & ſitu jacerent, alii ſibi plagas infligerent & afferrent crudeliter vulnera, quaſi morbis affecti melius contemplarentur, & propterea corpus non eſſet curandum.* O præclaram ſententiam, & effeminato homine dignam! Credo equidem inepti fuerunt ad contemplandum Chryſoſtomus, Baſilius, Athanaſius, Auguſtinus, Thomas, Bonaventura, Bernardus, Hieronymus, aliique innumerabiles cum ſanctitate, tum doctrina ac prudentia celeberrimi viri, qui corpus ſuum omni pœnarum genere affligerent & enervarent. Hos omnes audeat homo flagitioſus, immo & Paulum, alioſque religionis inſtitutores ac magiſtros armentis, ac bovibus comparare? & ſacrum omne inſtitutum evertere, & chriſtianæ diſciplinæ ac virtutis quaſi nervos elidere? immo & præcepta, & conſilia labefactare data divinitus? Sed non eſt neceſſe pluribus hanc ſententiam perſequi ac refutare. Id quidem quid ſit, unus oſtendit nobiliſſimus pictor Protogenes, qui cum Jalyſum pingeret, fertur lupinis tantum madidis victitaſſe: quoniam famem ſimul, quantum ſatis eſt, ac ſitim depellerent, ne operis præſtantiæ hebetior ſenſus officeret (*Plinius Hiſt. Nat. lib.35. cap.10., & Rollinus tom.7. Hiſt. ſucceſſ. Alexandri. §.8.*). Sed & hunc ridebit Aonius, quemadmodum & contemnit priſcos philoſophos, qui de vitæ commodis minime laborarent.

XIII. Eſt tamen in corporis caſtigatione adhibendus modus, ut dicam; verum non pœna, ac pœnitendi negligenda ratio & diſciplina, quæ una jacentem erigit animum, ne deſperet: *nec tamen deficiat aliquis*, ſcribit Lactantius (*lib.6. Divin. Inſtit. cap.24.*) *aut de ſe ipſo deſperet, ſi aut cupiditate victus, aut libidine impulſus, aut errore deceptus, aut vi coactus ad injuſtitiæ viam lapſus eſt: poteſt enim reduci ac liberari, ſi eum pœniteat actorum, & ad meliora converſus ſatisfaciat Deo:* cum ſumma ſit Dei bonitas in genus humanum: *ſi liberos noſtros*, pergit Lactantius [*cit. loc.*] *cum delictorum ſuorum cernimus pœnitere, correctos eſſe arbitramur, & abdicatos abiectoſque, rurſus tamen ſuſtentamus, ſuſcipimus, fovemus, amplectimur; cur deſperemus, clementiam Dei Patris pœnitendo poſſe placari?* cum præſertim ille nos infirmos & imbecilles ſciat eſſe: *nemo enim poteſt eſſe tam prudens*, ut rurſus bene Lactantius (*cit. loc.*) *tam circumſpectus, ut non aliquando labatur. Et iccirco Deus imbecillitatem noſtram ſciens, pro ſua pietate aperuit homini portum ſalutis, ut huic neceſſitati, cui fragilitas noſtra ſubjecta eſt, medicina pœnitentiæ ſubveniret. Ergo quicumque aberraverit, referat pedem, ſeque quamprimum recipiat ac reformet.* Enitatur tamen oportet vehementius; nam cum turpium voluptatum ſuavitatem attigerit, vix divelli ab his poteſt, & cohibere cupiditatem; at licet ſeſe eripere ſervituti, & ab errore diſcedere, ut ſupra dixi (*lib.3. part.1. cap.17.*)

XIV. Nec debet quiſquam propterea remiſſius in ea re inſtare, quod delicti conſcium habet neminem: *ſcit enim ille omnia*, ait Lactantius (*lib.6. Divin. Inſtit. cap.24.*) *in cujus conſpectu vivimus; nec ſi univerſos homines celare poſſumus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditum, nihil poteſt eſſe ſecretum*: ac non multo poſt (*cit. loc.*) *appetenda hæc eſt omnibus medicina: quoniam majori periculo vexatur anima, quam corpus, & quamprimum latentibus morbis adhibenda curatio eſt*. Qui integer eſt, purus, innocens forte acerbiorem hanc poteſt repudiare medicinam, quippe quam morbus, & infirmitas ante ſuſcepta non flagitat, niſi cautione ſit opus in poſterum tempus ad tuendam contra impendentes ægritudines ſanitatem; at cum lues invaluit, & confirmata eſt, & graviorem perniciem atque interitum minatur in dies, tum

Digitized by Google

tum non modo leniori arte, ſed ferro etiam, & igne retundatur neceſſe eſt.

XV. Vitium pœnitentiæ contrarium, quod parum eſt, *ἀμετανοησία* a Græcis appellatum eſt, & a nobis populari nomine *impœnitentia*, cum eum, qui peccavit, malefacti non pœnitet, neque illud corrigit, neque cavet, neque caſtigat, ex quo ſupplicium conſequitur ſempiternum, in quam ærumnam is incidit, qui apud Virgilium (*lib. 6. Æneid. verſ. 569.*)

Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Quo loco monet Seneca (*Epiſt.* 23.) oportere nos ita vivere, ut ſemper prompti ac parati ſimus ad moriendum, nihilque ſit, quod emendandum ſuperſit: *non poteſt autem ſtare paratus ad mortem*, inquit, *qui modo incipit vivere. Id agendum eſt, ut ſatis vixerimus: nemo hoc putat, qui orditur tum maxime vitam: non eſt, quod exiſtimes paucos eſſe hos; propemodum omnes ſunt. Quidam vivere tunc incipiunt, cum deſinendum eſt. Si hoc judicas mirum, adjiciam, quod magis admireris: quidam ante vivere defecerunt, quam inciperent.* Hic fere eorum eſt exitus, qui eiſi vitam ajunt moreſque ſe velle corrigere, rem tamen quotidie differunt ac procraſtinant: prava enim conſuetudine, quaſi laqueo in dies arctius obligantur, & imbelliciores efficiuntur ad evadendum, præſertim cæleſti præſidio magna ex parte deſtituti, quo hactenus uti noluerunt.

XVI. Pœnitentiæ contrarium eſt non modo parum, ut dixi, ſed etiam nimium, hoc eſt, vehementior triſtitia, qua ſic animus contrahatur propter peccata, ut fere tabeſcat, & nullus ſit quieti locus; ſimiliter nimium eſt, ſi tanta exardeſcat doloris magnitudo, ut ad eam pœnam ſubeundam impellat, qua vires omnino debilitentur, & corporis infirmitate & cruciatu mens evadat inepta cum ad meditandum, tum ad virtutis officia præſtanda, juvandoſque homines: virtus enim non debet eſſe virtuti contraria, & maxime caritati: iccirco conſentaneum eſt hac in re ducem aliquem, & conſiliarium ſequi pium, ac prudentem virum: nam cum cœpta eſt perturbari corporis valetudo, ſuſtentari ac reparari vix poteſt.

 XVII.

XVII. Verum non eſt neceſſe hac in re plura præcipere: quoniam qui modum tranſeant pœnitendo, perpauci ſunt; qui non attingant, hi quidem plurimi. Homines fere etiam chriſtiani delicate & molliter vivunt, & accurate declinant, quicquid corpori incommoditatem aliquam afferre poſſe videatur: itaque privant ſe ſummo bono, quod non licet niſi corporis laboribus, graviori opere, animique contentione aſſequi.

CAPUT XI.

De Obſervantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Obſervantiæ contraria.

I. UT religio cultum affert æternæ præſtantiſſimæque naturæ, & pietas parentibus, a quibus gignimur, & educamur; ita obſervantia his, qui inſigni aliqua re nobis antecellunt: iccirco ſic definitur a Tullio [*lib. 2. de Invent.*] *Obſervantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur.* Dicuntur dignitate præſtare, qui ſuperiores ſunt poteſtate, auctoritate, ſapientia, ætate, prudentia, ac præſertim ſanctitate & virtute, quæ res eſt omnium ſpectatiſſima, & honorabilis ſuapte natura, ac tandem qui nos aut regunt, aut ſunt ad regendum idonei: quales ſunt principes, magiſtratus, duces, imperatores, heri, præceptores, ſenes, literati viri, ac ſtudiis doctriniſque dediti, & ſacerdotes, aut alia qualibet dote conſpicui. Neque obſtat improbitas, quominus habenda ſit ratio muneris & dignitatis.

II. Non idem tamen eſt cultus cuique tribuendus, ſed varius pro excellentiæ gradu: cum non idem debeatur ſapienti, qui imperatori, ut Ariſtoteles tradit (*lib. 9. Ethic. cap. 2.*) non idem juniori, qui ſeniori. *Omni etiam ſeni*, inquit, *honos tribuendus eſt is, qui ætatem illam decet, aſſurgendo, decedendo de via, aliiſque generis ejuſdem . . . . Cognatis etiam, atque tribulibus, civibus item, reliquiſque omni-*

omnibus, ſemper enitendum eſt, ut ſuus cuique tribuatur; & quæ in quoque inſunt, ea ex illa, quæ nobis cum illis erit, familiaritate, ex virtute & uſu erunt judicanda.

III. Quiſque etiam diligentius obſervet, & colat neceſſe eſt principem ſuum, quam alienum: ab eo enim, a quo gubernatur, majus quoddam beneficium accipit: quare qui prætermittit officium in principem, cui ſubeſt, magis in vitio eſt, & poteſt pœna mulctari; ſi vero in alienum, fere non poteſt. Principi tamen debetur obſervantia, ut me gubernat ac regit: ut enim patriæ conſulit, ac ſaluti, incolumitatique reipublicæ, colitur pietate, ut ſupra dixi (*lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 9.) Qua de cauſa parentibus eſt aliquando præferendus: quoniam id poſtulat bonum communitatis.

IV. Enimvero cultus debet a voluntate, rectaque erga majores animi affectione proficiſci, quæ eſt quaſi forma obſervantiæ; eaque affectio ex hoc naſcitur, quod inhæreat in mente dignitas quædam ac præſtantia majorum: niſi enim perſuaſum nobis ſit, aliquem eſſe honore dignum, eum colere & obſervare non poſſumus, aut obſequium futurum eſt fictum ac ſimulatum: nihil autem debet ineſſe in virtute, quod tale ſit. Si quid ergo in majoribus ineſt, quod contemnendum videatur, oportet ab eo animum revocare, atque ad id oculos adjicere, in quo præſtant, & putare etiam latere multa, quæ præclara ſint, & digna quæ in pretio ac honore habeantur: ita fere erit nemo, quem nobis non anteponendum, ideoque non obſervandum eſſe arbitremur.

V. Deinde ex animo in majores bene affecto, & comparato manat externus cultus in dictis & factis: primum enim poſtulat obſervantia, ut in ſermone, ſi quis cum ſuperioribus habendus ſit, non modo comitas quædam, ac ſuavitas adhibeatur, ſed etiam reverentia, ita quidem ut qui minor eſt vel ætate, vel gradu non docere velle, & diſputare, & contendere videatur; at diſcere: & quæ audit, ea magni faciat, & excipiat attentius; neque ipſe primus aggrediatur ad loquendum niſi juſſus: eſt enim ejus, qui ſuperior ſit, indicare, qua potiſſimum de re velit audire, ut monet Jo: Caſa (*de Off. inter potentiores, & tenuiores amicos cap.* 6. *tom.* 4.) Silentium quoque argumentum eſt re-

ve-

Digitized by Google

verentiæ & obſequii, & timor quidam honeſtus, & verecundia; itemque laudibus ornare præſtantes viros, cum abſunt, eorumque dotes, & virtutes, & ornamenta prædicare: his enim hominibus, in quibus aliqua ineſt præſtantia, laus debetur, tamquam merces laborum, eorumque, in quibus excellunt induſtria, ac voluntate.

VI. Tum cultus in factis cernitur, ut in honore, qui exiſtit a reverentia, & defertur ad aliquem, ad ejus excellentiam teſtificandam exteriore ſigno, quale eſt aſſurgere, caput aperire, domum reducere; apparet item in obedientia alacri & prompta, & in rebus perficiendis, quas ſuperiori placere intelligas, aut ei prodeſſe quodammodo, atque in moleſtiis, quas ille exhibeat, aſperitate, moroſitate, injuriis æquo animo tolerandis: tantum enim dignitati, ac perſonæ tribuendum eſt, ut nihil fere animum a cultu abducat. Maxime vero revereri oportet, & colere ſacerdotes, etſi maculis quibuſdam aſperſi, & vitiis contaminati videantur; cum divinam quamdam habeant excellentiam, ac poteſtatem.

VII. Vitia obſervantiæ contraria carent nomine. Quod tamen ad hanc attinet, poteſt quis & modum ſuperare, & ab eo deficere. Superat quidem, qui nimius eſt in officiis, & rationem non habet & loci, & temporis, & perſonæ in cultu tribuendo: quare & illi ipſi moleſtiam affert, quem cumulatiori, quam oporteat, honore proſequitur, & forte in ſuſpicionem cadit aſſentatoris, a qua vir honeſtus abhorret. Prudentia, quæ cujuſque virtutis eſt comes, præſcribit, quali quiſque honore dignandus ſit, qua loci opportunitate, quo tempore.

VIII. Modum vero deſerit, qui, majoribus audientibus, utatur loquacitate in dicendo, & præ illis velit haberi ſe doctum & eruditum; qui eorum orationem interpellet, redarguat etiam, & carpat, & contra diſputet, nec acquieſcat; qui ſit princeps ordiendi ſermonis, capiendique conſilii auctor, nemine flagitante, nullaque impellente neceſſitate; qui ſuperiori meritum honorem non habet, non paret, non obſequitur, non prodeſt, cum poſſit. Similiter coram eo, qui ſuperior eſt dignitate, inepte ſedere, ſtare, incedere, accumbere, cachinnari, oſcitari frequentius, voci-

ciſerari, excreare, indecori aliquid præſeferre in geſtu, in motu, in oculis, in fronte, in manu, in voce eſt obſervantiæ contrarium.

IX. Hæc autem vitia interdum ex inconſiderantia quidem, inſcitia, & ignoratione officiorum, aut inurbana vitæ ratione naſci ſolent; at ſæpe ex ſuperbia, faſtidio, arrogantia: qui enim elatiore ſunt animo, quem ſibi præferant, putant fere eſſe neminem: quoniam ſpectant tantum in dotes ſuas, mentemque ab alienis avocant, & attentius id conſiderant, quod culpare poſſint in aliis: quare hos contemnunt, ſe vero plurimi faciunt. Eſt ergo fugienda ſuperbia; ſecus obſervantiæ locus eſſe non poteſt.

CAPUT XII

De Obedientia, ac de Vitiis, quæ ſunt Obedientiæ contraria.

I. OBedire dicimus quaſi obaudire [quod verbum nunc quidem obſoletum eſt, ſed olim fuit uſitatum) ut auctor eſt Feſtus [*apud Voſſium in Etymolog. & Junianum Parthenopejum de priſcorum verborum ſignificatione*] audit enim non auribus tantum, ſed & facto, qui obedit: quare & modo audire eleganter idem valet, ac obtemperare, & juſſa facere, aut conſilium ſequi: *tu ſi me audies*, ait Tullius (*lib.* 7. *Epiſt. ad Fam. ep.* 20.) *quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis*; ac ſimiliter Græci, quod nos obedio, dicunt ἐπακούω, hoc eſt, exaudio.

II. Obedientia vero alia quidem communis eſt, & rerum omnium creatarum, quippe quæ omnes obtemperant conditori, ut Sol, ut Luna, ut aſtra, ut mare, ut terra, ut bruta, ut alia etſi rationis ac ſenſus expertia. Hæc tamen proprie obedientia non eſt: cum ea impulſu, inſtinctuque naturæ ad faciendum aliquid, non intelligentia ac voluntate moveantur. Alia eſt peculiaris, & partium, maximeque cadit in hominem, & ad id pertinet, quod aut inte-

terius eſt, aut quod exterius. Obedientia intrinſecus eſt, cum ſenſus parent atque obſequuntur rationi: hoc eſt enim commune præceptum omnibus a natura datum, atio imperet, quaſi domina ac regina; cupiditates, pravæque affectiones obediant, & mortale ſubjectum ſit rei, quæ immortalis eſt & ſempiterna; ex quo virtus omnis, perfectioque conſequitur, ac beata vita. Verum ne hanc quidem eſſe obedientiam proprie dicimus: nam is, cui obtemperatur, eſt unus, atque idem cum eo, qui obtemperat: virtus autem, de qua modo diſputamus, refertur ad alterum; niſi velis, eum, qui ſe obedientem præbet rationi, Deo ipſi parere, a quo ratio tamquam dux actionum, ac morum magiſtra eſt data.

III. Ejus obedientiæ, quæ foras ſpectat, duplex eſt genus: alia civilis in eo ſita, quod gentes ac populi morem gerant principi, ac magiſtratibus, legeſque ſervent latas ad communem omnium utilitatem, unde exiſtit tranquillitas, incolumitaſque reipublicæ, qua continetur ſalus etiam ſingulorum: alia domeſtica, quæ propria eſt ſervorum in dominos, liberorum in parentes, diſcipulorum in præceptores, aliorumque in eos, qui præſunt familiæ, aut, etſi principis locum non tenent, tamen ſuperiores ſunt poteſtate, & imperandi jus habent. Maxime vero eſt ſecundum naturam, ut imprudentibus, & rerum ignaris ii præſint & imperent, qui prudentia & ſapientia valent (*vid. Platonem Dial. 3. de Leg.*) neque enim aut divitiæ, aut nobilitas, aut robur corporis, aut venuſtas & forma, aliaque generis ejuſdem apta ſunt ad gubernationem, ſed mens, & conſilium: quare natura præſcribit, ut in gerendis negociis principes ipſi, ac reges obediant ſapienti.

IV. Utraque obedientia cum civilis, tum privata, & domeſtica hoc nomen ſuo jure ſibi vindicat; eſſe autem nullo modo poteſt, niſi cupiditas, ac ſenſus rationi paruerint: quemadmodum enim, qui ſibi non imperat, aliis non poteſt imperare, ita nec obedire, niſi prius ſibi ipſe obtemperare didicerit; ea igitur virtus & iracundiam, & ſuperbiam, & avaritiam, & invidentiam, incontinentiamque, & reliqua vitia omnia comprimat, neceſſe eſt; ſi enim ab his alio trahatur animus, non poteſt eo contendere, quo impu-

pulerit obedientia, neque promptus eſſe ad parendum.

V. Dixi hactenus quotuplex ſit obedientia, ut nominis ambiguitas tolleretur; nunc quid ſit, dicam: eſt autem conſtans animi affectio, ſeu voluntas juſſis ac mandatis ejus, qui præſidet, obtemperandi pro facultate honeſtatis, quæ in obtemperatione ineſt, gratia. Ea conſtanti affectione ac voluntate habitus continetur, qui eſt quaſi genus in ſingulas virtutes, immo etiam vitia diffuſum. Quæ conſequuntur, ſatis exponunt, quid ſit id, in quo a reliquis virtutibus differat obedientia.

VI. Præſes autem, & rector omnium, ac moderator eſt Deus, cujus voluntati in primis pareamus neceſſe eſt, tum propter præſtantiam naturæ, tum propter ſingularia beneficia, quibus ab eo cumulati ſumus, & cumulamur in dies, tum propter maximam utilitatem, uberrimoſque fructus, quos ex eo capimus, quod beneficentiſſimo domino ſubjecti ſimus, & fideliter, ſanctęque famulemur: ex quo etiam omnis pendet actionum honeſtas: quandoquidem quæ ſunt divinæ voluntati conſentaneæ, eædem ſimiliter honeſtæ ſunt; ſecus non ita: princeps enim honeſtatis regula voluntas eſt ſummi omnium moderatoris Dei: quare etſi actio præclara ſit ex ſeſe, non tamen erit recta, nec digna præmio, niſi cum illa conſentiat.

VII. Sunt deinde plures a Deo conſtituti, quibus eſt obediendum quaſi vicariis, quorum alii magis eminent, & propius accedunt ad Deum, alii minus. Principes, & magiſtratus, qui præſunt reipublicæ, ac præſertim pontifex Maximus, aliique ſacrorum antiſtites pro Diis habentur in terris propter perſonæ, quam gerunt, dignitatem. Mox ſuccedunt alii aliis inferiores, qui tamen omnes ſubjectis imperant, poteſtate accepta divinitus: cum enim obedientia ſit ordinis ſervatrix & cuſtos, manat ab ea, quæ rerum ordinem tuetur, Dei providentia. Iccirco videmus, ita natura comparatum eſſe, ut ſubjecta ſint inferiora ſuperioribus, terra animalibus, animalia homini. Qua in re illud eſt mirabile, a puero inſidente in dorſo regi immenſæ magnitudinis elephantem, magnumque camelum a puſillo Æthiope, & generoſum equum, & mulum, & bovem, & taurum cornigerum ac truculentum ab homine, qui eſt multo viribus

 im-

Imbecillior; nimirum ut homines diſcant Dei, ac majorum poteſtati, atque imperio ſubeſſe; cum turpiſſimum ſit, eos, qui ratione ſunt præditi, repugnare naturæ, ac ſupremæ mentis providentiæ, cui vel feræ ipſæ immanes, & beſtiæ obſecundant.

VIII. Civilis obedientia naſcitur etiam ab hominum inter ſe ſocietate, & communione domicilii ac civitatum: nam ea ita tandem conſiſtit & cohæret, ſi qui inferiores ſunt gradu, & muneribus, id exequantur, quod principes, & magiſtratum gerentes juſſerint; ſecus evertitur.

IX. Quamquam vero improbus ſit is, qui præeſt, aut cupiditate, aut opinionis errore, vel æmulorum, inimicorumve ſuaſione adducatur ad imperandum; oportet tamen mandata exequi: neque enim videndum eſt, quæ cauſa & ratio præſulem impulerit, ut jubere velit aliquid, ſed quæ ſit res præcepta: ſi enim honeſta eſt, repudiari non poteſt imperium, quippe quod juſtum eſt, eſto ſit vitium, aut error in cauſa: præſertim cum jaceat auctoritas, & diſciplinæ nervus remittatur, ſi quiſque poſſit pro libito non parere mandato, quod putet vel a prava animi affectione, vel ab rerum ignoratione proficiſci. Illud etiam iniquum, de antiſtitis, ac rectoris prudentia, ſagacitate, ſapientia, morum & animi integritate male ac temere ſuſpicari. Quare una eſt omnium ſententia, non licere, cum quædam incidunt dubitandi cauſæ, ſitne æquum præceptum, an non ſit, illi repugnare: jus enim, quod certum eſt, ac firmum ab incertis, dubiiſque rebus labefactari non poteſt; & ipſa præfectorum voluntate, quos ſapientes ac probos judicare debemus, ſi qua ſit, tollitur dubitatio pravitatis. Accedit, quod multa videt is, qui præeſt, quæ non cernuntur ab aliis, & ſtudet providere communitati, cujus gratia interdum aliquid jubet, quod durum, aut minus æquum cuiquam videatur. Licet tamen verecunde, modeſteque in medium afferre, ſi qua obſtare videantur, quominus poſſit id perfici, quod juſſum eſt; tum vero, accepta præſulis reſponſione, acquieſcere eſt omnino conſentaneum.

X. Quod ſi conſtat iniquum eſſe præceptum, & rationi ac legi contrarium, tum minime obtemperandum eſt: oportet enim Deo potius parere, quam homini, cui nulla fa-

Digitized by Google

facta eſt poteſtas id jubendi, quod turpe ſit; & qui tale aliquid jubet fieri, perſonam non gerit præſulis, cujus forma juſtitia eſt, ac prudentia in dandis mandatis. Neceſſe eſt etiam, juſſiones eas eſſe, quæ perfici poſſint, nec ſint, ejus, cui dantur, viribus ſuperiores; ſecus iniquæ ſunt, & plenæ crudelitatis: idcirco definita eſt obedientia: voluntas obtemperandi pro facultate.

XI. Eſt autem illud adjectum poſtremo loco: *honeſtatis, quæ in obtemperatione ineſt, gratia*: neque enim actio eſt obedientiæ, niſi honeſtatem ſpectes, ac velis, quæ in obediendo ineſt, propriam & peculiarem: quandoquidem actionis, quæ in more poſita eſt, ſpecies ac forma a propoſito fine repetenda eſt, ut diximus (*lib. 2. cap. 15.*) itaque ſi id facias, quod præceptum eſt, utilitatis ſpe, commoditatis & gloriæ cauſa, metu, aut alia impellente cupiditate, nulla in facto eſt obedientiæ ratio. Ex quo conſequens eſt, ut quidam in alienam diſciplinam traditi etiam diuturnam, etſi nihil prætermittant eorum, quæ jubentur, nunquam obedientiæ habitum ſibi comparent: nam ad ea facienda non obedientiæ honeſtate, ſed aut ſpe, aut metu, aut inani gloria ducuntur: quocirca inobedientes potius evadunt: volunt enim non obedire, ſi poſſint: hanc autem pravam affectionem proferunt, cum e majorum diſciplina, ac ſchola elapſi, aliquam nacti ſunt libertatem.

XII. Enimvero tria ſunt, quæ ad obedientiæ perfectionem, abſolutionemque pertinent. Primum eſt prompte, & expedite, quod juſtum eſt, id exequi, quamquam humile, moleſtum, minimeque opportunum, aut intempeſtivum videatur: hujus rei illuſtre præbet exemplum Ageſilaus: hic ut ſcribit Cornelius Nepos (*in Ageſilao num. 4.*) *cum animo meditaretur proficiſci in Perſas, & ipſum regem adoriri, nuncius ei domo venit Ephorum juſſu, bellum Athenienſes, & Bœotios indixiſſe Lacedæmoniis: quare venire non dubitaret. In hoc non minus ejus pietas ſuſpicienda eſt, quam virtus bellica, qui cum victori præeſſet exercitui, maximamque haberet fiduciam regni Perſarum potiundi, tanta modeſtia dicto audiens fuit juſſis abſentium magiſtratuum, ut ſi privatus in comitio eſſet Spartæ.*

Digitized by Google

XIII. Alterum eſt id ita velle, quod ſuperior, ac præſes juſſerit, ut nihil facias alacrius, nihilque libentius, quaſi jubeat non homo, ſed Deus, cujus providentia, ut paullo ante dixi, conſtitutum eſt, ut hominibus pareamus: ea vero alacritas cerni maxime debet in rebus moleſtis: tunc enim compertum eſt, nos non ingenio indulgendi hæc facere, quibus repugnat natura, ſed obedientiæ cauſa, iccircoque virtutis: ex quo ſingularem capit nobilis, atque excelſus animus voluptatem.

XIV. Tertium eſt judicare, id eſſe optimum, quod ſuperior præſcripſerit, idemque ſentire; nec mente circumſpicere & conſiderare, ſitne præceptum prudenter ac ſapienter datum, & qua de cauſa: circumſpectio enim, ac prudentia in eo debet eſſe, qui imperat, non in eo, qui obedit; cum merito reprehendi non poſſit is, qui mandatum, quod non conſtet eſſe iniquum, ſit executus, immo laudatur, & honeſtæ actionis fructum capit; at qui imprudenter mandavit, jure reprehenditur.

XV. Eſt autem intelligendum, rationes contra præceptum ex cupiditatibus proficiſci, quæ cum menti tenebras offundant, maxime impediunt, quominus res cernantur, ut ſunt, recteque ſentiatur, idcircoque probetur id, quod bonum eſt: quod enim ingratum eſt, idem probari non poteſt; quippe in malis ducitur: conſtat autem, ingratum eſſe quicquid ſit ei, quam quis amet ac foveat, pravæ affectioni contrarium. Quamobrem qui ſic affectus eſt, non debet culpare præceptum, quod eſt optimum, ſed continere ac refrænare cupiditatem, quæ magna quædam eſt ægritudo animorum, & mandatum libenter excipere quaſi opportunam, ac ſalutarem periculoſo morbo medicinam: ut æger, ſi quæ dapes inſuaves eſſe videantur, hoc putat tribuendum infirmitati, quam repellere in primis ſtudet, ſibique perſuadet, optimam eſſe potionem, quam medicus ex artis norma præſcripſerit.

XVI. Hæc quidem cadunt in omnes; potiſſimum vero in adoleſcentes, qui nec domitas habent cupiditates, nec valent judicii maturitate, & tamen ſibi videntur ſupra ſeniores eminere prudentia, quorum & dicta, & facta vituperant, & mandatis non acquieſcunt, quæ judicant eſſe durio-

Digitized by Google

riora. Prudentes iſti adoleſcentes, qui nimium velint ſapere, peſtis ſunt communitatis, & turbas concitant; & cum perſonam ſibi ſumant, ad quam ſuſtinendam ſunt ineptiſſimi, totius fabulæ rationem, formamque confundunt Nemo quidem niti debet prudentia ſua, ſibique confidere; at quanto minus adoleſcens, qui & ſcientia caret, & rerum uſu propter ætatem? qui & præterita ignorat, nec præſentia ſatis videt, nec proſpicit conſequentia? Quocirca ſapienter Cretenſium lege cautum erat, ne juvenes, qui accederent ad adminiſtrandam rempublicam, auderent in diſceptationem vocare, eſſentne æquæ leges, an iniquæ; ſenex autem, ſi quid excogitaſſet, principibus, aut æqualibus referret, juvenum audiente nemine [*Euſebius de Præp. Evang. lib.* 12. *cap.*1. *ex Platone Dialog.*1. *de Leg.*] Sed querela eſt noſtrorum temporum, rem modo agi juniorum ſententia, nulla habita ratione ſeniorum.

XVII. Ad quod & illud accedit incommodi, quod minores natu ii, in quibus eſt major quædam cerebri vacuitas, velint de omnibus judicare, & cenſoria poteſtate uti, quaſi præſiderent, & apti eſſent ad univerſam hominum regendam, gubernandamque ſocietatem; cum cæteroquin adeo deſipiant, ut neſciant ſuæ commoditati ac quieti conſulere, & laqueis irretiantur inextricabilibus moleſtiarum, quibus ſæpe & alios implicant, in quorum ſocietate verſantur. Expediret itaque, ut ſoli viverent; quamquam enim ne tum quidem eſſent curis vacui; tamen eas ſoli devorarent, nec poſſent cum ſodalibus communicare. Eſt ergo omnium, præſertim vero adoleſcentum judicio ſuo, ac ſententia majorum juſſa, aut vetita comprobare, ex quo exiſtet etiam obedientia in facto, & voluntate, quæ ſine mentis aſſenſione non poteſt conſiſtere.

XVIII. At aliquanto longius is progreditur, qui obedientiæ laude excellit: quoniam non modo præſulum mandatis paret, ſed etiam nutibus; hoc eſt, ea facit, quæ etſi ſuperiores non jubent, eos tamen ſcit velle, & cupere: qua in re non tantum obedientiam oſtendit ſuam, ſed & obſervantiam, & charitatem, quæ ſuperiori maxime placet, ipſumque accendit ad eorum benevolentiam, quibus præeſt, & ad operam ſuam omnem alacrius collocandam in magiſtratu be-

bene gerendo ad communem cum omnium, tum ſingulorum utilitatem.

XIX. Formam quidem ipſam, & tamquam faciem obedientiæ videtis; nunc qui ſint ejus fructus, paucis aperiam: ſunt autem ampliſſimi; confert enim obedientia ad ſalutem, tranquillitatemque reipublicæ, communitatis, civitatis, familiæ, ad ordinis tuitionem, ad virtutes omnes & comparandas, & retinendas, & augendas, ad pravas animi affectiones repellendas, ad formam, perfectionemque humanarum actionum, ad conjunctionem, copulationemque cum Deo, ad alienam ſibi conciliandam benevolentiam, ad divina & cæleſtia beneficia accipienda, ad prudentiam, ſapientiamque aſſequendam, tandem ad hanc, & ad futuram vitam bene, beateque degendam.

XX. Quæ cum ita ſint, eniti quemque oportet, ut in hac virtute, ex qua infinita fere bona proficiſcuntur, magnos progreſſus faciat. Tum illud etiam conſiderare debet attentius, quam ingrati animi ſit, quam etiam deliri Deo repugnare, quod & facit is, qui juſſis hominum, quippe qui a Deo tamquam præſules conſtituti ſunt, non obtemperat, ut ſupra dixi: quare eſt in veteri proverbio, eum, qui hominibus non obedit, nec ipſi quidem Deo obedire. Huc adde inhumanum eſſe, ne dicam impium, moleſtiam creare ſuperioribus, qui maximis, & perpetuis curis conficiuntur in tradita ſibi provincia diligenter adminiſtranda: qui enim putat, jucundum eſſe gerere præfecturam, ac magiſtratum; aut quid illud ſit, nunquam expertus eſt, aut ſuo munere fungitur oſcitantius, quod forte quid poſtulet, non videt, aut ambitio, aut avaritia, cujus ſtudio tenetur, abſtergit magnitudinem moleſtiarum, vel remittit acerbitatem.

XXI. Vitium obedientiæ contrarium, quod parum eſt, a Græcis, ἀπείθεια dicitur, a noſtris contumacia, & populari nomine inobedientia, quæ eſt voluntas faciendi contra præceptum; ac ſi firma eſt, habitu continetur, ſecus actione. Ex ea vero tot mala naſcuntur, quot ex obtemperando bona; nam contrariorum eadem ſunt conſequentia: at potiſſimum hac peſte evertuntur familiæ, civitates, reſpublica, cœtus omnis, quies ac tranquillitas labefactatur, & nutriuntur cupiditates, & vitia ad perniciem cum corporum, tum ani-

Digitized by Google

animorum, & inficitur quicquid honeſtum, & præclarum eſt ex ſeſe: quam ob cauſam nullus relinquitur mercedi locus: neque enim Deo id probatur, quod adverſus obedientiam geſtum eſt; eſto hoc ſit natura ſua laudabile. Illud etiam ineſt tetrum malum, atque peſtiferum in contumacia, & Deo odioſum & execrabile, quod qui abjicit obedientiam, voluntatem ſuam cum faciat quaſi normam rerum agendarum, eam habere videatur ut numen quoddam, poſthabita lege ſempiterna, & iis contemptis, qui ſunt dati divinitus, ut magiſtri ac duces aliorum.

XXII. Quod ſi omnibus exitialis eſt contumacia, in primis profecto eſt adoleſcentibus, quippe qui ſibi præcludunt viam ad ſuſcipiendam diſciplinam, parandamque ſapientiam, cujus fructus deguſtare poſſint in ſenectute, & egregie ſe comparant ad infelicem rerum exitum, omnemque calamitatem: Deus enim, ut eorum frangat audaciam, quæ contumaciæ radix eſt, ſinet, eos turpiſſime labi & errare, & omnia male & contra opinionem cadere, quæ animo deſtinaverant: quod eorum plures, progrediente ætate, experti ſunt eſſe veriſſimum.

XXIII. Verum ſunt, qui cenſent excelſi eſſe animi ſubeſſe nemini; puſilli vero, & abjecti juſſis obtemperare, & alienæ obſequi voluntati: hi ſcilicet nullo modo intelligunt, quæ ſit magnanimitas, & quanta ejus cum obedientia conſociatio: nam præterquam quod utraque virtus eſt; virtutes autem ſunt inter ſe conjugatæ; magnanimi eſt omnia libenter facere, ac tolerare, quæ ratio præſcripſerit, quale eſt majoribus obedire, & continere ſuperbiam. Quod ſi velint extricare ſeſe a vinculis legum & præceptorum, quæ potius ornamento ſunt, & utilitatem afferunt, & voluptatem, cum faciant, ut ſecundum rationem vivatur, abjectis cupiditatibus, quod ingenui viri, ac liberi proprium eſt, in laqueos incidunt, eoſdemque turpiſſimos, atque duriſſimos, primum quidem flagitiorum, tum vero pœnarum, e quibus nunquam poſſint evadere: nam uſuvenit, ut qui nolint ſubeſſe majoribus, qui Dei vicem gerunt in terris, ſerviant acerbiſſimis dominis intemperantiæ, ac libidini, a quibus dies, noctesque cruciantur: ſcilicet his a Deo permittuntur contumaciæ ulciſcendæ gratia.

XXIV.

XXIV. Vitium obedientiæ contrarium, quod nimium eſt, vacat nomine. Forte in obtemperando modum ſuperat is, qui ad verba obedit, eis arctius, quam neceſſe eſt, adhærescens, non ad id, quod ex verbis intelligi poteſt, ut ſi quis oculum ſibi eruat, aut pedem abſcindat, qui ſint offenſioni, propterea quod ex ſacris libris id a Chriſto præceptum eſſe didicerit (*Matt. cap.*18. *v.*8. & 9.)

CAPUT XIII.

De Veritate, ac de Vitiis, quæ ſunt Veritati contraria.

I. *Veritas eſt*, ut ſcribit Tullius (*lib.*2. *de Invent.*) *per quam immutata ea, quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur:* ſeu commodius, eſt perpetuum quoddam ſtudium recte utendi ſignis & inſtrumentis, quæ mentis proferendæ, patefaciendæque gratia data ſunt a natura. Eo conſtanti ſtudio habitus ſignificatur, qui virtuti eſt cuique communis, quique efficit, ut veritas ametur ipſa per ſe, non metu, non utilitate, non gloria: rectus autem uſus in hoc poſitus eſt, ut ſigna menti ac ſententiæ omnino ſint conſentanea. Porro ſigna ſunt aut dicta, aut facta. Præſertim a natura homini datus eſt ſermo, ut id poſſit cum aliis communicare, quod ſentit: ex quo putant effici, hominem natum eſſe ad ſocietatem, qua ſublata, nihil opus eſt verbis. His vero, quamquam inſtituta ſunt gentium arbitratu, tamen non licet cuique, quam mavult, vim, poteſtatemque ſubjicere, ſed certa res certis eſt, uſitatiſque vocibus exprimenda, ex pacto occulte inito, conſenſione quadam communi, commercii cauſa; quod quidem pactum ſervandum eſt juræ naturæ: eſſet enim abſurdum, & mendacium a natura vetitum, ſi quis panem nominet, tum vero dicat voluiſſe ſe aut lapidem, aut canem ſignificare. Iccirco in hominum vita, & congreſſu judicatur, quemque id velle, quod verba præſeferunt, quorum habetur ratio, non mentis.

II.

II. Licet autem veritas præcipue in ſermone, tamen quibuſdam etiam in factis cernitur, quæ oportet eſſe ſincera, & non ſecus apparere, ac ſunt, quod eſt ſimulatoris: quidquid vero eſt fictum & ſimulatum, eſt idem mendacium, ut mox dicam: quod enim latet in animo, id actiones etiam indicant, ut riſus, ut geſtus, ut nutus, ut motus omnis. Quam ob cauſam vir prudens maxime facta conſiderat, ut ex his verborum colligat veritatem, quippe quæ debet in actionibus elucere: *cum de officiis agitur*, ait Ariſtoteles (*lib.* 10. *Ethic. cap.*8.) *tum ex factis, & vita, in quibus laus omnis verſatur, veritas judicatur*. Spectanda igitur ſunt in factis, & vita ante dicta omnia, quæ ſi cum factis conſentiant, comprobare, ſin diſcrepent, verba exiſtimare debemus.

III. Quæ ſit veritatis natura, dixi. Ejus actio & officium eſt, primum cavere, ne quid contra mentis ſententiam appareat in dictis & factis, nihil dubium, nihil obſcurum, nihil vafrum, callidum, malitioſum: *ſunt veritatis*, ait Æſchylus (*apud Stobeum ſerm.*11.) *verba ſimpliciſſima*: quod idem de actionibus eſt judicandum. Deinde veritatis eſt animi ſenſum explicare, cum oportet, hoc eſt, cum juſtitia, aut caritas, aut honeſtas, & rei & temporis & loci ratio poſtulat: neque enim ſemper patefacienda ſunt omnia, ſed expedit ſæpe mentem tegere, immo aliquando neceſſe eſt, proprii, aut alieni incommodi vitandi gratia: fere autem præſtat tacere, quam loqui; cum multa requirantur, ut quid ſentias aperire, ad virtutem referatur. Mox ad veritatem attinet, cum affirmate quidpiam ais, vel negas, prius inveſtigare, ſit ne verum, an non ſit: quoniam ſi es neſcius, aut anceps, verax dici non potes; cum ſecus loquaris, ac ſentis: eſt autem veritas verborum mentiſque conſenſio. Tandem eſt hujus virtutis proprium id facere, quod promiſſum eſt, ſecus dicitur falſa promiſſio: ſed hoc ſpectat ad fidem, de qua infra videbimus.

IV. Eſt autem veritas pulcherrima, ut ſcribit Plato (*Dial.*2. *de Leg.*) *Pulchrum certe, o hoſpes, & ſtabile quiddam eſt veritas*: ideoque amatur ab omnibus, niſi obſtent cupiditates. Eſt jucunda quaſi animi pabulum, itemque maxime neceſſaria in omni ſermone & negocio ad tuendam humanam ſocietatem, ad dignitatem, ad pacem, ad ſecuri-

Digitized by Google

tatem : *ſemper eſt optimum*, ait Menander (*apud Stobeum ſermi 11.*) *vera loqui quovis tempore. Hanc ego moneo ad tuto vivendum præcipuam eſſe partem* : nam ex violata veritate ſæpe naſcuntur moleſtiæ, diſcordiæ, lites, ærumnæ.

V. At cultorem veritatis præditum eſſe oportet animi robore, & metu vacuum: ſi enim in metu ſit, ne quid amittat, ne quid detrimenti capiat, ne in cujuſpiam offenſionem incidat, non poteſt ſanctam colere veritatem : quoniam uſuvenit, ut frequenter veritas cum utilitate pugnare videatur, quamquam non ita ſit: nam Deus, cui ea virtus ſummopere probata eſt & accepta, eum, qui verax eſt, non modo non deſerit, ſed protegit ac tuetur: quare bene Sophocles (*apud Raphaelem Volaterranum Philologiæ lib.28. §. De veritate*)

Loquaris ſemper vera, nec unquam dubita.
Mortalium vero nemo ob id decipiet.
Nam juſta lingua robur immenſum habet.

Similiter cum plures ſoleant offendi veritate: ex quo extat illud Terentii (*in Andria act.1. ſc.1.*) *Veritas odium parit*; in quem locum Cicero (*in Lælio*) *moleſta*, inquit, *veritas eſt; ſiquidem ex ea naſcitur odium*: quoniam improborum ulcera veritatis acie recrudeſcunt; iccirco neque timendum eſt veraci viro, ne alienam in ſe conflet invidiam etiam amicorum, immo & principum: eſt enim veritas & amicitiæ, & auctoritati, & cuique tandem rei præferenda jure naturæ. Sit ergo amicus Plato, ſit etiam amicus Socrates; at magis amica veritas debet eſſe. Eſt tamen opus prudentia, ut videas, quibus perſonis, quo loco, quo tempore, in quibus rebus, quo etiam modo neceſſe ſit nudare veritatem. Cæterum nihil eſt cauſæ, cur potior a nobis hominum habeatur ratio, quam Dei, cujus amicitiam ac benevolentiam nefas eſt cum re ulla, quæ uſquam ſit, comparare.

VI. Quo efficitur argumentum excelſi animi eſſe ſemper, quæcumque incidant tempora, adhæreſcere veritati; debet enim in eo quædam ineſſe terrenarum rerum deſpicientia & contemptio, ſublato metu, amotaque cupiditate: quocirca ab Apollonio Delio dicta eſt veritas generoſa

(*apud*

Digitized by Google

(*apud Stobeum Serm.* 11. *de Verit.*) Hæc vero animi excelſitas apparet etiam in eo, quod quis ſinat ſe vinci veritate, & ſententiam ſequatur, a qua eſſet alienus, ubi primum eam veram eſſe perſpicit, & honoris umbræ præferat ſtudium veritatis: qua in re multi errant: quoniam putant turpe eſſe dediſcere, ac contentionis cupidiores ſunt, quam veri: & *tamen æquum eſt*, ut Ariſtoteles ſcribit (*Ethic. lib.* 1. *cap.* 6.) *veritatis retinendæ cauſa, ſua etiam decreta tollere, philoſophos præſertim*: quod & monet Epictetus (*Sent.* 39.) *Quærens veritatem, non quæres omni modo vincere*: ſed addit: *& inventa veritate, illud habebis, ne vincaris*: utrumque enim ad virtutis hujus ſtudium pertinet.

VII. Cum hæc debeat eſſe animi conſtitutio, firma, nobilis, generoſa, expultrix cupiditatis & metus, ut perpetuo locus ſit amori veritatis; iccirco non mirum videatur, ſi veritas rara eſt, & a paucis hac ætate colitur: quo referri poteſt illud Olympiadis (*apud Stobeum Serm.* 11.) *Veritas cæli civis eſt, & ſola fruitur convictu Deorum*: in terris enim moratur quidem alicubi quaſi in hoſpitio & diverſorio, ſed non habet jus civitatis ac domicilii.

VIII. Præſertim pueri non ſolent eſſe ſimplices, aperti, veritatis cultores, quare ad hanc virtutem ſunt majori ſtudio, diligentiaque informandi cum a domeſticis, tum a præceptoribus: nam ex eo plurimum pendet optima inſtitutio, & diſciplina vitæ bene degendæ; cum veritatis amicus puer viam intercludat incuriæ, contumaciæ, aliiſque vitiis, in quæ fere ætate illa propendet; ex quo laude floret, & alienam ſibi benevolentiam conciliat candida quadam animi, ſimplicique natura: itaque ſapienter Perſæ, ut ab Herodoto ſcriptum eſt (*lib.* 1. *num.* 25.) liberos ſuos a quinto anno uſque ad vigeſimum ad veritatem dicendam inſtituebant: ſic enim diutius edocti adoleſcentes veterem morem retinere facile poterant in omne poſterum tempus, & non recedere a veritate in rebus gravioribus, qui eam ſancte cuſtodirent, cum minus intereſſet: *nam qui veri cupiditate ducitur*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 7.) *quique tum verum enunciat, cum id non agitur: is multo etiam facilius verax futurus eſt, ſi res poſtulabit*.

Digitized by Google

IX. Vitium veritati contrarium, quod parum eſt, conſtat eſſe mendacium, quod eſt dictorum, factorumve a mente diſſenſio: quoniam mendacium cernitur non modo in ſermone, qui aliam, quam quæ in animo eſt, ſententiam præſeferat; ſed etiam in opere, quod diſſentiat ab ea re, quam ſuapte natura ſignificare videatur. Hoc autem dicitur ſimulatio, qua utuntur ii, qui fingunt geſtu quodam dolere ſe, gaudere, amore, miſericordia, amicitia, iracundia permoveri, cum nihil tale ineſt in animo.

X. Simulatione, quæ magis late patet, continetur ὑπόκρισις: hæc ſignificat quidem ſimulationem alienæ perſonæ, ut in ſcena fieri ſolet: nam ὑποκριτὴς græce idem valet, ac hiſtrio; ſed apud nos hoc nomen translatum eſt ad eos, qui ſimilitudinem quamdam gerunt, ſpecimenque ſanctitatis cum mali ſint, quod genus eſt hominum turpiſſimorum, præſertim vero ſi ſpecie fictæ religionis non modo gloriam affectent, ſed etiam gradus ac munera magiſtratus, & pecuniam, & opes.

XI. Non modo mentiuntur, qui ſimulant, hoc eſt, qui verum fingunt, quod non eſt, ſed etiam qui diſſimulant, cum non oportet, aut non eo modo, quo oportet, ideſt, fingunt verum id non eſſe, quod certe eſt, & εἴρωνες nominantur ab Ariſtotele (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 7. *in Victorio*) nempe diſſimulatores, cavillatores : *diſſimulator contra*, inquit, *qui quæ ſibi inſunt, negat ineſſe, aut extenuat*: vitium vero dicitur εἰρωνεία, ideſt, diſſimulatio, quam ſcribit eſſe vitium veritati contrarium per defectionem. Hæc autem ab oratoria ironia diſcrepat, quippe quæ ipſa per ſe ſatis indicat, ſententiam verbis eſſe contrariam, ut cum ait Tullius [*pro Rabirio*] *at credo cum innumerabiles hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione rempublicam liberaſſet, omnia ſua ſecum una moritura arbitrabatur*: at ironia apud Ariſtotelem eſt, qua verbis tegitur ipſa ſententia. Quamquam vero in vitio eſt, qui diſſimulat id negando, quod habet; non tamen ſemper tacendo, aut extenuando ſine mendacio; immo hæc ponitur in laude: eſt enim honeſta quædam virtutis exercitatio; niſi officium, & rei & temporis ratio ſecus poſtulet. Eodemque modo eſt judicandum de facto, ex quo prævideas fore, ut quis quid falſo opinetur:

qua-

Digitized by Google

quare multa accepimus eſſe geſta a viris ſanctiſſimis occultandæ ſanctitatis gratia.

XII. Similiter mendacium ineſt in arrogantia, quam Ariſtoteles quaſi extremum, quod nimium eſt, veritati contrarium, opponit diſſimulationi. *Arrogans autem appellatur is*, inquit, (*lib.4. Ethic. cap.7.*) *qui ſibi res magnas & præclaras ſumit & vendicat, cum non inſint; vel majora, quam quæ inſunt*: qui profecto, ut Ariſtotles ſcribit (*cit. loc.*) eſt diſſimulatore deterior, quod ille gloriæ quæſtuſve gratia mentiatur, hic vero non ita, quippe propius ad modeſtiam accedit: ſi tamen exiguas res, parvique momenti, quæque perſpicuæ ſunt omnibus, diſſimulat, eum ait dici veteratorem, & jure contemni.

XIII. Porro mendacium turpe eſt ſuapte natura: quoniam evertit ordinem, ob quem ſermo eſt inſtitutus, & fere decipit audientem, ut hominem adulterinus nummus, qui habeatur pro bono; itaque mendacio uti nunquam licet: *nunquam igitur*, ait Lactantius (*in Epitome Divin. Inſt. cap.6.*) *mentiendum eſt: quia mendacium ſemper aut fallit, aut nocet*: & Ariſtoteles (*Ethic. lib. 4 cap. 7.*) *ac per ſe quidem omne in malo, vitioque mendacium eſt*; aut joci, aut officii, aut quæſtus, aut gloriæ cauſa, aut damni inferendi, aut etiam honeſtatis id enuncietur, quod falſum eſt: at quod alii pernicioſum eſt, id ex ſeſe omnium peſſimum: violat enim non veritatem modo, ſed etiam juſtitiam adverſus alios, quibus nullo modo nocere debemus, ſed prodeſſe jure ſocietatis. Neque vero mentiri licet hoſti, aut adverſario: itaque, ut bene Lactantius (*lib.6. Div. Inſtit. cap.18.*) *Viator ille verus, ac juſtus* (qui tenet juſtitiæ viam) *non dicet illud Lucilianum*:

Homini amico, ac familiari non eſt mentiri meum: ſed etiam inimico, atque ignoto exiſtimabit non eſſe mentiri ſuum: nec aliquando committet, ut lingua interpres animi a ſenſu & cogitatione diſcordet.

XIV. Quæ cum ita ſint, non accedimus ad eorum ſententiam, quibus viſum eſt, licere aliquando, quod falſum ſit, loqui, hoc eſt, proprii, aut alieni gravioris incommodi vitandi gratia, aut magnæ cujuſdam aliis utilitatis afferendæ: hi vero non pauci ſunt, neque obſcuri: nam id ſen-

ſentiunt Puſendorſius (*de Offic. hominis lib.1. cap.10. §. 5. & 6.*) niſi nomine ficti ſermonis ambiguum velit intelligi; Heinnecius (*de Jure Natur. & Gentium* §. 200.) Grotius (*de Jure belli, & pacis lib.3. cap.1. §.13. num.1. & 2., & §. 14. num. 1. & ſeq.*) & olim idem ſenſit Menander, Piſander, Diphilus (*apud Stobeum Serm.12. qui eſt de Mendacio*) Herodotus (*lib.3. Hiſt. n.84.*) Quintilianus (*Inſtit. Orat. lib. 12. cap.1.*) Plato (*Dial. 2. de Rep.*) qui ſcribit fas eſſe uti mendacio tamquam medicina aut contra hoſtes, aut ad amicos avocandos a ſcelere; & alio in loco [*Dial. 3. de Rep.*) id concedit magiſtratum gerentibus ad communem civium utilitatem; immo ad eamdem ſententiam nonnulli patrum videntur accedere [*apud Leſſium lib. 2. de Juſt., & jure cap. 47. dub. 6. num.* 38.]

XV. Sed certum eſt, atque exploratum malum eſſe ſuapte natura mendacium, iccircoque turpe, cujuſvis utilitatis, etſi publicæ, aut avertendæ calamitatis gratia mentiri. (*Vid. Auguſtinum lib. integ. contra Mend.*) Licet tamen interdum cauſa flagitante ambigua verba uſurpare, & fabulas, & apologos ad pueros, aut rudes homines inſtituendos: nam quamquam fallatur aliquis fortuito, nihilominus a viro prudente, quæ vis ſit obſcuris verbis ſubjecta, poteſt intelligi: quo efficitur id non enunciari, quod falſum eſt.

XVI. Non modo mendacium vetitum eſt jure naturæ, ſed magnam quamdam apud homines adjunctam habet infamiæ notam: nam mentiri anguſti animi eſt, timidi, abjecti, ſervilis: *mentiri enim ſervile eſt*, ait Plutarchus (*de Educat. Liberorum*) & Philo (*lib. Omnem Virum probum eſſe liberum tom. 2.*) *quo factum eſt, ut omnes vaſri, ambiguæque fidei homines vulgo nominentur illiberales:* nam fere hoc vitium a metu naſcitur: quare eo eſt turpius, quo is præſtantiorem perſonam ſuſtinet, qui mentitur; *ipſi*, ait Arrianus, (*de Ptolomæo lib. 7. apud Grotium de Jure belli, & pacis lib. 3. cap. 1. §. 20. num. 1.*) *utpote regi turpius mentiri, quam alii cuivis*. Quo loco illud admirantur ſapientes, quod cum homines videri, dicique mendaces nolint propter infamiam, eſſe tamen non vereantur.

XVII. Neque vero putandum eſt, hoc facile poſſe celari peccatum: *nam mentiens nullus multum temporis latet*, ait

Digitized by Google

ait Menander (*apud Stobæum Serm.* 12.) & Sophocles (*ibidem*) *nullum mendacium procedit ad ſenectutem ævi*: ex quo extat vulgare proverbium; citius aſſequi licet mendacem, quam claudum. Interdum frons, oculi, vultus produnt fallaciam, & maxime verba, quæ ſæpe non ſecum ipſa cohærent: quare circumfertur hoc dictum: mendacem oportet eſſe memorem.

XVIII. Ad hoc allud accedit incommodum, quod ei, qui ſolet mentiri, ne verum quidem dicenti credimus: *Demetrius interrogatus* (*apud Stobeum Serm.* 12.) *quid mali mentientes ſequeretur, dixit: quod ne vera quidem dicentibus, deinceps fides adbibeatur*: in quam calamitatem incidit is etiam interdum, qui facto mentitur. *Vir quidam Chius*, ut narrat Theophraſtus (*apud Stobeum cit. loc.*) *jam ſenex in Lacedæmonem pervenit, qui quidem alioquin erat arrogans* (nam mendaces ſunt confidentes ſimul, & timidi) *ſed ſenectutis ſuæ ipſum pudebat. Quare canos tinctura oblitterare conabatur. Progreſſus autem in publicum de rebus orationem habuit, quarum gratia venerat. Tum ſurgens Archidamus dixit, quid ille tandem rectum diceret, qui mendacium non in anima ſolum, ſed capite quoque circumfert?* nam ſæpe ſimplici eſſe animo non ſolet is, in quo fucatus ineſt corporis nitor quidam atque habitus; quippe qui cum argumentum ſit levitatis, eſt etiam fallaciæ.

XIX. Mendacium deinde exoſum eſt omnibus: recte Homerus (*Iliad.9.pag.241.edit. Baſil.*)

Odi etenim, ceu clauſtra Erebi, quicumque loquuntur
Ore aliud, tacitoque aliud ſub pectore claudunt.

& Plato (*Dial.2. de Rep. in fin.*) *Ipſum itaque revera mendacium non ſolum Diis, ſed hominibus etiam eſt odioſum*: quod & ſcribit Plutarchus (*de Educat. Liber.*) quoniam cum mendax velit id credi, quod falſum eſt, eſto hominibus, quibus mentitur, nullo modo noceat, illudit tamen quodammodo quaſi ſtultis ac credulis, qui verba ſibi dari facile patiantur: quare qui altiore ſunt ingenio ac nobili, ægre ſe-

Digitized by Google

ferunt aliena mendacia, quibus putant aliquam aſpergi labem dignitati ſuæ.

XX. Tandem mendacium eſt omnium quaſi adminiſter cupiditatum, flagitiorumque præſidium: nam eo utuntur vafri & impii homines ad peccandum, ad furta, ad homicidia, ad injuſtitias, ad perjuria, ad incontinentiam; & poſteaquam peccarunt, eo teguntur, ac ſua vitia defendunt, foventque diutius, quæ abjicirent propter verecundiam: in mendacio ſpem collocant, rerum, quas vetat natura, potiundi; mali ac ſupplicii fugiendi; gloriæ comparandæ; & cum hæc prompta ſit & facilis via, eo eſt calamitoſior: ad hanc enim tenendam ſunt omnes idonei, timidi, puſilli, minuti, imbecilles: quare primum puerorum vitium ſolet eſſe mentiri, ad quod ne aſſueſcant acrius ſunt increpandi, & caſtigatione coercendi, monendique etiam, nihil magis veniæ poſſe officere, quam mendacium: *apertum mendacium*, ut ſcriptum eſt a Xenophonte (*de Pædia Cyri lib. 3.*) . . . . *impedimento eſt hominibus maxime ad veniam conſequendam*. Tum vero eniti oportet vigilantius, ut pueri, qui duplices ſunt, quam optime inſtituantur: indigent enim diſciplina, cum mentiendi vitium ſit argumentum malitioſæ, improbæque naturæ, & latentis morbi, cujus radices niſi mature evulſeris, immanis lues paulatim ita invaleſcet, ut amplius tolli non poſſit.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Fide, ac Vitiis, quæ ſunt Fidei contraria.

I. STοici, quia fiat, quod dictum eſt, volunt appellatam fidem, quæ iccirco definitur a Tullio [*lib.* 1. *de Offic.*] *dictorum conventorumque conſtantia*, *& veritas*; hoc eſt, firma quædam & immobilis animi affectio, qua ita velis omnino id facere, quod promiſſum, pactumque eſt, ut dictis, quoad fieri poteſt, facta reſpondeant, ex quo dici poſſit vera promiſſio.

II. Primum itaque fides poſtulat, ut conſtanter id præſtes, quod promiſeris ad ſervandum jus ſocietatis, qua homines inter ſe continentur. Incidunt tamen cauſæ, cum neceſſe non ſit ſtare promiſſo. Prima eſt, ſi quidpiam effici ſit inutile ei, cui promiſſum eſt. *Ac ne illa quidem promiſſa*, ait Tullius [*lib.* 3. *Off.*] *ſervanda ſunt, quæ non ſunt iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phætonti filio* [*ut redeamus ad fabulas*] *facturum ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: optavit, ut in currum patris tolleretur: ſublatus eſt; atque is ante, quam conſtitit, ictu fulminis deflagravit*; vide & de Theſeo (*loc. cit.*, *& lib.* 1. *Off.*). Multo autem minus ſunt facienda promiſſa, quæ minime honeſta ſint, aut ex ſeſe, aut propter adiuncta; ut ſi promiſeris te redditurum depoſitum petenti, non reddes, cum ex eo futura eſt pernicies aut privata, aut publica. Rurſus Cicero (*lib.* 3. *Off.*) *Si gladium quis apud te ſanæ mentis depoſuerit; repetat inſaniens: reddere peccatum ſit, non reddere officium. Quid? ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddes ne depoſitum? non credo: facies enim contra rempublicam, quæ debet eſſe cariſſima.* Altera cauſa eſt, ſi facere promiſſa, nimis grave & intolerabile ſit tibi, qui promiſeris: eſt enim magna quædam rerum facta mutatio, nec ante prævisa; ut ſi cui promiſeris alimenta, tum vero ipſe incidas in egeſtatem; ſi equum ad utendum, quo deinde multum in-

 di-

Digitized by Google

diges: *ſi conſtitueris te cuipiam advocatum*, ut ſcribit Tullius (*lib. 1. Off.*) *in rem præſentem eſſe venturum; atque interim graviter ægrotare filius cœperit, non ſit contra officium non facere, quod dixeris: magiſque ille, cui promiſſum ſit, ab officio diſcedat, ſi ſe deſtitutum queratur*. Oportet tamen conventis ſtare nonnunquam, etiamſi non modo bonorum jactura, ſed etiam corporis cruciatus & mors imminet, cum ſecus periclitatur ſalus & incolumitas civitatis, aut reipublicæ: eſt enim privato bono publicum præferendum: ut miles ne mortis quidem metu poteſt a ſtatione diſcedere, ſi futurum ſit, ut eo, quod locum deſerat, grave detrimentum capiat exercitus. Tertia cauſa eſt, ſi metus, aut dolus te impulit ad promittendum: neque enim jus naſci ex injuria conſentaneum eſt. *Jam illis promiſſis*, ait Tullius (*cit. loc.*) *non ſtandum eſſe quis non videt, quæ coactus quis metu, quæ deceptus dolo promiſerit? quæ quidem pleraque jure prætorio liberantur, nonnulla legibus*. Sed cavendum maxime, ne propterea quod putes, promiſſum atque conventum eſſe aut aliis inutile, aut tibi valde durum & perniciosum, aut a dolo metuve profectum, deſeras fidem: itaque in re dubia ii audiendi ſunt, quorum intereſt, & interdum judex ſumendus de controverſia: nemo enim poteſt de rebus ſuis recte judicare; cum facile perturbetur cupiditate.

III. Tum fides poſtulat, ut quamprimum fieri poteſt, quod promiſſum, conventumve eſt, id perficias: nam cito dare, magna laus eſt, differre & procraſtinare, vitium. Qua in re laudatur Confucii diſcipulus [*Scient. Sinicæ lib. 3. part. 5.*] qui *ne per ſpatium quidem noctis unius relinquebat promiſſa & datam fidem, quin accurate præſtaret*: idcirco vir prudens, ſi videat, ſe non poſſe, niſi poſt aliquod tempus promiſſa ſolvere, priuſquam alteri fidem ſuam obliget, quandiu expectandum ſit, exponat, & antevertat potius, quam differat.

IV. Mox in qualibet re contracta fides ſervanda eſt, in tutelis, ſocietatibus, fiduciis, empto, vendito, locato, conducto, commodato, muneribus magiſtratuum, aliiſque generis ejuſdem: virtus enim conſtans debet eſſe ac firma, eademque ſemper, quæcumque ſit rerum ac negociorum ratio, quorum varietate nunquam mutatur.

V.

Digitized by Google

V. Deinde cuicumque fides eſt data, aut amico, aut adverſario & hoſti, ſanƈte præſtanda eſt: nam ex promiſſo jus ei paratur, cui promiſeris, propter ſocietatem, quam inter homines conſtituit ipſa natura: quare ne belli quidem, cujuſque utilitatis gratia, ſunt paƈta violanda; ſed eſt boni viri & honeſti fidem regnis, ac vitæ præferre. Interrogatus Confucius (*Scient. Sinic. lib.3. part.5.*) *ex his duobus victu ſe, ac fide utrum prius patereris tolli? reſpondit: tolli paterer, ſeu dimitterem victum*: & Silius Italicus [*lib.13.*]

Fœdera, mortales, ne ſævo rumpite ferro;
Sed caſtam ſervate fidem; fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis . . . .

Et rurſus (*lib.* 14.)

. . . . Optimus ille
Militiæ cui poſtremum eſt, primumque tueri
Inter bella fidem . . . .

Hac quidem laude Romani potiſſimum floruerunt. Notum eſt, quod fecit Regulus (*Tullius Off. lib.3.*) & Major Africanus, qui cum nobiliſſimorum Carthaginenſium manu onuſtam navem in ſuam poteſtatem redegiſſet, eam liberam abire juſſit, quod ſe ad eum legatos miſſos dicerent: quamquam enim videret, legationis nomen ſimulatum eſſe præſentis periculi declinandi cauſa, tamen voluit potius decipi, quam in violatæ fidei ſuſcipionem venire (*Valerius Maximus lib.6. cap.6.n.4.*). Illud etiam celebre, quod ingenti Pœnorum claſſe apud Siciliam deleta, duces ejus de petenda pace cogitare cœperunt. Hamilcar ire ſe ad Romanos conſules negabat audere, ne eodem modo catenæ ſibi injicerentur, quo ab ipſis Cornelio Aſinæ conſuli in primo Punico bello fuerant injeƈtæ. Sed Hanno nihil timendum ratus, ad colloquium cum Romanis ſe contulit, apud quos cum de belli fine ageret, dixiſſetque ei tribunus militum, poſſe ipſi merito evenire, quod Cornelio accidiſſet, uterque conſul, tribuno tacere juſſo; iſto te, inquit, metu, Hanno,

 fides

Digitized by Google

fides civitatis noſtræ liberat (*Valerius Max. cit. loc. n. 2.*) ex quo conſequens eſt, etiam perfidis eſſe ſervandam fidem; modo non fallant ea ipſa in re, de qua pactum eſt. Neque illud prætermittendum puto, quod refert Dio (*Roman. Hiſtor. lib. 56.*): Auguſtus cum ei, qui ad ſe latronem quemdam inſignem Corocottam adduceret, decies ſextertium promiſiſſet, eumdem ſponte venientem promiſſo præmio affecit, ne fidem deſerere videretur. Alia multa paſſim ſuppeditant ſcriptores rerum Romanarum.

VI. Præterea fidei eſt, dolum omnem, & fraudem, & ambiguitatem excludere in pactis, qua fallatur is, quo cum contrahas: *quo in genere*, ait Tullius (*Off. lib. 1.*) *etiam in republica multa peccantur: ut ille, qui cum triginta dierum eſſent cum hoſte pactæ induciæ, noctu populabatur agros, quod dierum eſſent pactæ, non noctium induciæ. Nec noſter quidem probandus, ſi verum eſt, Q. Fabium Labeonem, ſeu quem alium (nihil enim præter auditum habeo) arbitrum Nolanis & Neapolitanis de finibus a Senatu datum, cum ad locum veniſſet, cum utriſque ſeparatim locutum, ut ne cupide quid agerent, nec appeterent, atque ut regredi, quam progredi mallent. Id cum utrique feciſſent, aliquantum agri in medio relictum eſt. Itaque illorum fines, ſicuti ipſi dixerant, terminavit. In medio relictum quod erat, populo Romano adjudicavit. Decipere hoc quidem eſt, non judicare.* In pactis igitur ita loquendum eſt, ut is intelligat, quo cum res ſunt contrahendæ.

VII. Item æquum eſt fidem alteri ſervare maxime in ejus calamitatibus, ac rebus adverſis: recte Ovidius (*lib. 1. Triſt. Eleg. 4.*)

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

nam fidem tueri in rebus proſperis genus quoddam eſt avaritiæ, & cupiditatis, & tunc obſequium præſtatur fortunæ, non homini: quare addit Ovidius (*cit. loc.*)

Dum juvat, & vultu ridet fortuna ſereno,
Indelibatas cuncta ſequuntur opes.

VIII.

VIII. Tandem fidei eſt, ſi quid arcani ab aliis acceperis, hoc nullo modo pandere, ne tum quidem cum diſſociata eſt amicitia & conſuetudo propter exortam ſimultatem: qua in re multi peccant: cum enim ab alicujus familiaritate abalienati ſunt, tunc ejus vitia, arcana colloquia, atque alia horum ſimilia obtrectandi & maledicendi libidine, acceptæque injuriæ ulciſcendæ patefaciunt contra viri honeſti fidem; immo ſæpe etiam contra juſtitiam; quæque prius callide diſſimulabant, atque adeo laudabant ad ſibi conciliandam gratiam, deinde produnt in vulgus, & humanitatis expertes, & vitæ communis ignari: quid enim hoc aliud eſt niſi tollere omnino hominum inter ſe ſocietatem? Quandoquidem quis ſcire poſſit in tanta ingeniorum inconſtantia, in tantis latebris animorum, an familiaritas & amicitia futura ſit ſempiterna? Quod ſi diſſolvetur aliquando, perpetuo tacendum eſt, neque committendum, ut id cum ullo communices, quod dixiſſe futurum ſit, ut te olim pœniteat.

IX. Ex quo conſtat, quanti viri ſit fidem ſanctiſſime cuſtodire, quam ſimplicis & ingenui, quam temperantis & vacui cupiditatibus, quam fortis & juſti: nam eam non debet quicquam labefactare & convellere, non ſimulatio ac duplicitas, non ſpes utilitatis & commodorum, non injuriæ, non contumeliæ, immo interdum nec ipſe impendentis mortis timor: itaque ſcribit Seneca (*Epiſt.* 88.) *Fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt: nulla neceſſitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, inquit, cæde, occide, non prodam.*

X. A Fide quidem plurima bona proficiſcuntur, magnanimitas cum militum, tum imperatorum adverſus pericula, in pactis arcaniſque ſervandis conſtantia, per eam firmantur amicitiæ, reſpublicæ continentur, ſocietates cohærent ad permanendum. Propter hæc præclara decora, tantamque dignitatem, ac maximas utilitates, quas fides generi affert humano, eam Romani in Capitolio vicinam Jovis eſſe voluerunt (*Tullius Off. lib.* 3.) & Silius Italicus (*lib.* 2. *de bello Punico*) ipſam quaſi numen alloquitur:

An-

Digitized by Google

Ante Jovem generata, decus divumque hominumque,
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt,
Juſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.

XI. Sed quanto fides præſtantior eſt, eo eſt rarior in terris: quorſum enim tot ſcripturæ? tot rerum contractarum teſtes? tot ſtipulationes? tot induſtriæ ad pactorum conventorumque firmitatem, niſi quia fides aut nulla eſt, aut ita titubat, ut nequeat ſine multo præſidiorum apparatu conſiſtere? Quid quod ſæpe tunc etiam labitur, cum omni ex parte plurimis adiumentis fulta ac ſuſtentata videatur? Vetus eſt illud, & lepidum, quod in re gravi profero animi gratia:

Multis annis jam tranſactis,
Nulla fides eſt in pactis.
Mel in ore, verba lactis;
Fel in corde, fraus in factis.

(*apud Jo. Caſum in ſpeculo quæſtionum mor. lib. 4. cap. 7.*)

XII. Iccirco magna laus eſt fidei: quod enim rarum eſt, idem præclarum. Hac laude qui velit carere, neminem futurum arbitror. Fides non modo ſit ſanctior, quam quæſtus, quam voluptas, quam gratia, quam honos, ſed interdum etiam, quam vita: præſtat enim mori cum dignitate, quam vivere cum dedecore, itemque poſteritati tam auguſtæ virtutis exempla relinquere ad imitandum, quam eam omnino delere & extinguere collabentem.

XIII. Vitium fidei contrarium, quod parum eſt, perfidia dicitur in eo ſita, quod promiſſa ac pacta violentur, & jus ſocietatis & amicitiæ: quocirca & ii habentur perfidi, qui tibi aſſentantur, benevolentiamque ſimulant, & caritatem; multa ex te audiunt, ac fraudolenter eliciunt, quæ deinde aliis referant contra famam, ac dignitatem tuam. Proditores quidem ſunt, quippe qui eum, cui blandiri videantur, mordent atque dilaniant.

XIV. Profecto perfidia turpiſſimum quoddam vitium eſt ex ſeſe, eamque hominibus inurit infamiæ notam, quæ nulla fere oblivione deleatur, virtutum omnium ſplendorem

&

& ornamenta ita obruit, atque commaculat, itemque corporis & fortunæ bona, ut nullæ res præclare geſtæ, nulla merita ſuſceptam ſemel labem expiare unquam poſſint. *Marcus Brutus*, ait Valerius Maximus [*lib. 6. cap. 4. num. 5.*] *ſuarum prius virtutum, quam patriæ parentis parricida* (fuit): *uno enim facto & illas in profundum præcipitavit, & omnem ſui nominis memoriam inexpiabili deteſtatione perfudit*: quare ſentit Confucius (*Scient. Sinicæ lib. 3. part. 1.*) eum nihil valere, qui ſit perfidus: *qui bono cum ſit*, inquit, *tamen careat fide . . . . non intelligo hujus uſum*, hoc eſt, cui tandem uſui poſſit eſſe. Nulli vero turpius eſt fidem fallere, quam illis, qui præſunt reipublicæ cum propter dignitatem, qua reliquis antecellunt, tum propter perſonam, quam ſuſtinent, cum ſint fidei, & juſtitiæ cuſtodes ac vindices.

XV. Ad turpitudinem accedunt incommoda, quæ ex perfidia naſcuntur, ut rixæ, diſcordiæ, inimicitiæ, contumeliæ, clades, commercii, ſocietatis, fœderis, totius reipublicæ perturbatio: quare nemo eſt, qui non execretur perfidos & proditores. Cum Rymetalces Thracum rex ab Antonio ad Cæſarem defeciſſet, ſocietatemque hanc immoderate in conviviis, odioſeque jactaret, Auguſtus cuidam reliquorum regum propinans: ego proditionem, inquit, amo, proditores non laudo (*Plutarchus de ſcite dictis regum, & imperatorum §. Cæſar*). Facetum eſt in hanc rem Philippi Macedonis dictum (*apud Plutarchum cit. loc. §. Philippum*). *Laſthenes Olynthius, & ſocii indignabantur, conquerebanturque, quod nonnulli de Philippi comitatu proditores ipſos appellarent* (*patriam enim Philippo prodiderant*). *Ad hæc Philippus; rudes & agreſtes homines eſſe Macedones, ac ſolere ligonem ligonis nomine nuncupare.*

XVI. Perfidiam ipſa etiam divina ultio conſequitur. Omnes Cæſaris proditores miſere interierunt, aut hoſtili ferro, aut nece voluntaria (*Patritius de Regno lib. 8. tit. 20.*). Hyrcanis Cyrum interrogantibus (*apud Xenophontem Pædiæ Cyri lib. 4.*) *quid autem? non enim expectas, donec egerimus ad te obſides, quo tu quoque pergas accepta a nobis fide*: Cyrus dicitur reſpondiſſe: *Cogito enim nobis omnibus fidem eſſe in animis noſtris, atque in noſtris manibus.* Nam ita

vi.

videmur inſtructi: ſi quidem veri ſitis, nos ſatis ſimus, qui in vos beneficium conferamus: ſin decipiatis, ita habere arbitramur, ut non ipſi in veſtra poteſtate ſimus futuri, ſed vos in noſtra potius, divina pro voluntate. Similiter Silius Italicus (*lib.* 13.)

. . . . Qui frangere rerum
Gaudebit pacta, ac tenues ſpes linquet amici,
Non illi domus, aut conjux, aut vita manebit
Unquam expers luctus, lacrymæque. Aget æquore ſemper
Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque
Deſpecta ac violata fides. Adit omnia jamque
Concilia ac menſas contingit, & abdita nube,
Accumbitque toris, epulaturque improba Erinnys.
Ipſa etiam Stygio ſpumantia pocula tabo
Porrigit, & large pœnas, lethumque miniſtrat.

Senſit id Pauſanias, qui cum in Xerſis poteſtatem daturum ſe Lacedæmonem promiſiſſet, patefactis inſidiis, in ædem Minervæ confugit. *Hinc ne exire poſſet*, ut ſcribit Cornelius Nepos (*in Pauſania num.* 5.) *ſtatim Ephori valvas ejus ædis obſtruxerunt, tectumque ſunt demoliti, quo facilius ſub dio interiret*. Senſit Caſſius Brutus: hoſtibus enim, pacta mercede, portas urbis cum aperire inſtituiſſet, tum cognita conjuratione, in Minervæ templum ſimiliter confugiſſet, eum illic pater incluſum, & fame interemptum inhumatum abjecit. (*Plutarchus in Parallelis num.*10.) Senſerunt alii quam multi, à quibus non ſervatæ fidei pœnæ ſunt graviſſimæ perſolutæ.

XVII. Quapropter teterrimum perfidiæ vitium fugiendum eſt non modo in rebus maximis, ſed etiam in iis, quæ parva & leviora videantur; & cavendum, ne familiaritate utamur & conſuetudine proditoris: qui enim infidus eſt uni, eum & talem aliis futurum, licet merito ſuſpicari. Agis Archedami filius, mandantibus aliquando Ephoris, ut aſſumpta juvenum manu, quemdam in ejus patriam ſequeretur, qui eſſet ipſum in arcem ducturus, reſpondit: quomodo vero, Ephori, convenit, tot juvenes credere ei, qui ſuam ipſius patriam prodit? [*Plutarchus in Laconicis inſtitutis, ſeu Apophtegmatis v. Agis*.] XVIII.

Digitized by Google

XVIII. Vitium fidei contrarium, quod nimium eſt, vacat nomine. Forte ſupra id, quod fides poſtulat, facit is, qui vult ſtare pactis atque conventis, quæcumque ea ſint, licet de re minus honeſta, ac jure vetita: ſunt enim, qui putant, multum dettahi de dignitate ſua, niſi conſtantiam ſervent in dictis, amicum, aut ſocium, aut clientem, aut affinem, aliumve defendant etiam adverſus conſcientiam & honeſtatem, cum ſemel cœperint: itaque pergunt eatenus, quatenus rem perfecerint, ſi poſſint, quamquam a virtutis via diſcedant, & ferantur præcipites: qua in re cum improbitatem præſeferunt, tum imprudentiam ſingularem: nam decorum ſibi eſſe arbitrantur, quod turpe eſt. Non debent quidem fidem ſuam unquam obligare, niſi quod promittunt, id honeſtum ſit; verum ſi quando contigit, ut in eo peccarint, aut quod rectum erat, mutetur, fiatque contrarium, promiſſa facere non fidei eſt, ſed flagitii, ac dementiæ.

CAPUT XV.

De Vindicatione, ac de Vitiis, quæ ſunt Vindicationi contraria.

I. VIndicatio eſt, inquit Cicero, (*lib. 2. de Invent.*) *per quam vis, & injuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur*. At videtur hæc definitio latius patere, quam oporteat, ac verbum illud *defendendo* redundare, cum a defenſione differat vindicatio: quoniam defenſio in id tendit, ut quiſque ſe ac ſua a vi, & injuria tueatur; vindicatio autem alienum malum habet propoſitum: ex quo conſequens eſt, ut ſe tueri liceat cuique; at vindicatione uti non ita, ut infra dicam. Illud etiam videri poteſt ad defenſionem pertinere, hoc eſt, injuriam, & vim, & id omne, quod obfuturum eſt, propulſare: quoniam vindicationis eſt acceptam injuriam ulciſci,

 non

non propulſare inferendam, & pœnam ſumere de aliquo, quia obfuit, non quia obfuturus eſt.

II. Itaque vindicatio potius eſt animi affectio quædam, quæ voluntatem inclinat ad eum puniendum, qui peccavit, tuendi ordinis cauſa, & injuriæ reparandæ. Quo in loco ſic habe: caſtigare peccantem ad nocendum, odium eſt caritati contrarium; ad emendandum, caritas: qua de cauſa parentes, & præceptores in filios ac diſcipulos animadvertunt: ſimiliter caritas eſt, cum pœnæ & ultionis deſiderium huc ſpectat, ut alii deterreantur a ſcelere. Si animadverſio ad conſulendum patriæ referatur, pietas eſt; ſi generatim ad bonum communitatis, eſt amor, quo contineri oportet humanam ſocietatem, aut legalis juſtitia, qua unum reipublicæ membrum reliquis periclitantibus opem fert ac providet, cum poteſt. Tandem ſi quis in puniendo velit ordinem tueri, & quod injuria ſublatum eſt, id reparare, ea eſt peculiaris virtus, de qua quærimus, hoc eſt, vindicatio: præſcribit enim natura ac rectus ordo, ut culpæ pœna reſpondeat, & qui ordinem prætergreſſus eſt per peccatum, illuc merita caſtigatione revocetur, unde diſceſſit: antiquiſſimum hoc, & Rhadamanteum jus vocant philoſophi, ut eſt apud Grotium (*de Jure belli, ac pacis lib.*2. *cap.*20 § 1. *n.*2.) quemadmodum enim laus conſequitur benefacta, ſi rectus ordo conſiſtat, ita pœna peccatum. Iccirco Deus, quod a ſanctiſſimarum legum ordine aberravit, ad eum adducit, ac retrahit ulciſcendo. Eſt autem ultio ſumenda de nocentibus ſpoliatione, amotioneve eorum bonorum, quæ homines maxime diligunt, ut libertatis, ut honoris, ut patriæ, ut divitiarum, ut vitæ: ita enim abducuntur a ſcelere, ſi in metu ſint amittendarum earum rerum, quas habent iis cariores, quarum fiunt compotes malefactis (*D. Thomas* 2. 2. *q.*108. *art.*3.)

III. Quamquam vero ultionem expetere licet privato cuique, ſi modum teneat, ut dixi, exequi tamen non licet niſi illis, qui præſunt, & publico funguntur munere judicis & magiſtratus, poteſtatemque habent cogendi ad jura ſervanda, & quaſi Dii in terris ſunt conſtituti: nam propterea homines coiverunt in cœtum ac civitatem, ut eſſet aliquis, qui præeſſet, & improbos coerceret metu pœnarum, bo-

bonoſque a vi, injuriaque defenderet; iccircoque æquitate, prudentia, & juris ſcientia valeret, ut culpam pœna metiretur, & alterum alteri æquaret, facti ſedula indagatione: quod quidem eſt ſecundum naturam: ſecus & rixæ, & diſcordiæ, & cædes publicam perturbarent, everterentque funditus tranquillitatem; præſertim cum homines ſæpe aut injuriam putent eſſe, quæ nulla eſt, aut pravis affectionibus & cupiditatibus impellantur ad puniendum, & modum non retineant in pœnis. Itaque is facit contra naturam, & jus ſibi uſurpat alienum, qui privata auctoritate injuriam velit ulciſci,

. . . . legumque videtur
Vindictam præſtare ſibi . . . .

Claudianus (*de Conſulatu Manlii v.224.*)

IV. Ex quo conſequens eſt, vindicationem, quamdiu hæret in voluntate, nec pœnam ſumit de eo, qui peccavit, eſſe virtutem, quæ cujuſque etiam privati hominis propria eſt; ſi foras erumpat ulciſcendo, vitium eſſe inimicum humanæ ſocietati, quod quidem ita vindicationi peculiare eſt, ut in alias virtutes non cadat, in quibus exercere ſeſe honeſtum eſt. Licet ergo tantum adire prætorem, ac principem, penes quem eſt ulciſcendæ injuriæ poteſtas jure naturæ, & civitatum vitandorum incommodorum gratia, de quibus diximus.

V. Nihilominus multo eſt laudabilius acceptas injurias oblivione conterere, quam perſequi, licet ſervato modo: nam facile eſt, nos decipi cupiditate, & ultionem expeti ad nocendum, non ad tuendum ordinem, quem præſcribit natura: deinde in perferenda æquo animo injuria, amota qualibet ulciſcendi cupiditate, cernitur miſericordiæ & caritatis officium, præclarum datur exemplum ad imitandum; odia, ſimultateſque tolluntur; ſecus roborantur & creſcunt: *cum in familiam, aut rempublicam*, ait Maximus Tyrius [*Diſſert. 2. num. 13.*) *vel leviſſima ſcintilla injuſtitiæ incidit; cohiberi continuo debet, ut id, quod ſupereſt, vindicetur.* Solet etiam uſuvenire, ut ejus, qui injuria affectus eſt, animi lenitate, ac magnitudine emendetur is, qui peccaverit; ac tandem

in ſpem magnam erigimur, fore, ut Deus nobis det delictorum veniam, qua indigemus, & ad chriſtianum inſtitutum propius accedimus, quod caritate maxime continetur.

VI. Verum injuria ulciſcenda eſt, cum id poſtulat aut Dei honos & religio, aut peccantis utilitas, aut ſalus incolumitaſque reipublicæ: quamobrem interdum expedit, improbos, qui alia ratione nequeunt a flagitiis abduci, aut libertate, aut vita privari. Eſt etiam conſentaneum eos caſtigare, ne alii ſimiliter peccent ſpe impunitatis.

VII. Vitium vindicationi contrarium, quod nimium eſt, crudelitas nuncupatur, *quæ nihil aliud eſt*, ait Seneca (*de Clementia lib.2. cap.4.*) *quam atrocitas animi in exigendis pœnis*. Tum hæc explanans addit: *illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi cauſam habent, modum non habent: ſicut in Phalari, quem ajunt, non quidem in homines innocentes, ſed ſuper humanum ac probabilem modum ſæviſſe*. Acerbam animadverſionem in eos, cum quibus inclementer agendi nulla ſit cauſa, vocat Seneca feritatem; utramque vero a ſeveritate diſtinguit, quæ quidem poteſt eſſe laudabilis. Illud maxime cavendum in exigendis pœnis puniendiſque delictis, ne quid acerbe, ne quid crudeliter fiat. Secum is reputare debet, qui punit,& ſe hominem eſſe, qui errare ſimiliter poſſit & labi, & cum eo, a quo pœnam repeti velit, junctum eſſe ſaltem communione naturæ; iccirco non committendum, ut quicquam geratur, quod a communi hominum ſocietate, & humanitate alienum videatur eſſe: potius igitur propendeat in clementiam & lenitatem.

VIII. Vitium, quod a modo deeſt, vindicationi contrarium eſt nimia animi remiſſio in tolerandis injuriis, & improbis coercendis juris præſidio; quo fit, ut eorum creſcat temeritas & audacia, & detrimentum aut ipſi capiant, aut privati, aut reſpublica ex vitæ morumque perverſitate. Eſt quidem adhibenda miſericordia & clementia; ſed ita, ut tamen ſeveritati ſit locus, cujus intereſt, ſontes plecti, cum oportet, ne maxima quædam exiſtat ordinis perturbatio.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

De Gratia, ac de Vitiis, quæ ſunt Gratiæ contraria.

I. GRatiæ vis & poteſtas multiplex eſt apud latinos: ſumitur enim gratia pro benevolentia in nos aliena, ut apud Tullium [*pro Plancio*] *Summum in præfectura florentiſſima gradum tenuerint & dignitatis & gratiæ*: pro benevolentia noſtra erga alios; ut in eo loco (*Cicero lib.1. de Nat. Deor.*) *deinde ſi maxime talis eſt Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur*: pro mutua amicitia & concordia: in quam ſententiam idem Tullius, *nam mihi*, inquit, (*lib.8. Famil. Epiſt.14.*) *cum hominibus his & gratia, & neceſſitudo eſt*: ex quo dicimus gratiam inire, in gratiam redire, gratiam alicujus ſequi. Sumitur item gratia pro auctoritate, quæ favore, & plauſu comparata ſit. *Omnia quæ potuit*, ſcribit Tullius [*ad Famil. lib.13. epiſt.29.*] *in hac ſumma gratia tua ac potentia a te impetrare*. Rurſus gratia ſignificat apud noſtrates elegantiam & venuſtatem, dexteritatemque in obeundis muneribus, quæ apparet in geſtu, in motu, in lingua, duce ratione: ac tandem, ne plura perſequar, gratiæ nomen quamdam deſignat accepti beneficii compenſationem aut factis, aut dictis, aut animo & voluntate: ex quo extant hæc: agere gratias, habere gratiam, referre gratiam. Hanc quidem vim habet hoc loco: quamobrem ſic definitur a Tullio [*lib.2. de Invent.*] *gratia* [eſt] *in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas contineatur*. Hæc quidem, ſi eum abſolute ſpectes & ſine adjunctione, a quo acceptum eſt beneficium, peculiaris eſt virtus; at ſi Deum, parentes, ſuperiores munere & dignitate, religio erit, pietas, obſervantia.

II. Quamquam vero duobus his contineri gratiam, ait Tullius, hoc eſt, memoria beneficiorum, & remunerandi volun-

lontate; tamen grati animi etiam alia ſunt propria. Primum eſt in accipiendo beneficio præferre hilaritatem, & illud magni ducere, ſin minus propter rei magnitudinem, ſaltem propter optimam ejus voluntatem, qui dedit: ſic enim operis ſui fructum capit: *quoties, quod propoſuit, quiſque conſequitur*, ſcribit Seneca (*lib.2. De Benefic. cap.31.*] *cœpit operis ſui fructum. Qui beneficium dat, quid proponit? prodeſſe ei, cui dat, & voluptati ſibi eſſe. Si quod voluit, effecit, pervenitque ad me animus ejus, ac mutuo gaudio affecit, tulit, quod petiit.* Vides interdum aliquos, qui accipiant iniquo animo beneficia cæteroquin magna, ut adhortationes ad bene beateque vivendum, ut diſciplinas & ſcientias, quibus vita maxime continetur. Id quidem pueris eſt & adoleſcentibus familiare; quippequi ſalutaria magiſtrorum, amicorumque monita, reprehenſiones, ac præcepta faſtidiunt: cum hæc tamen pluris æſtimanda ſint quam opes & facultates.

III. Alterum eſt gratias agere ei, qui benefecit, polliceri ſtudium, offerre ſe, & profiteri, non modo clam, & occulte, ſed palam, ut honos ſaltem tribuatur pro accepto beneficio, & qui contulerit, inde poſſit capere voluptatem: *quidam furtive*, ait Seneca [*lib.2. de Benef. cap.33.*] *agunt gratias, & in angulo, & ad aures. Non eſt iſta verecundia, ſed inficiandi genus. Ingratus eſt, qui remotis arbitris agit gratias.* In agendis autem gratiis non modo rei acceptæ reſpondeas, oportet, ſed maxime voluntati, ex qua beneficium æſtimatur.

IV. Tertium eſt grate, ac frequenter beneficia coram aliis commemorare, quæ tibi collata ſunt, ad laudem ejus, qui contulit: laus enim præclarus fructus eſt meritorum. Sunt homines, quos id pudet facere, quaſi aliena ope indigere videantur; cum tamen nemo ſit, qui aliis non egeat, a quibus juvetur vel conſilio, vel gratia, vel opera, vel pecuniis & facultatibus ad vitam bene degendam.

V. Quartum eſt gratiam habere ob beneficia; hoc eſt, eorum memorem mentem retinere, & voluntatem gratificandi, cum vires ſuppetent, aut poſcet occaſio. *Duo ſunt genera grati hominis*, ſcribit Seneca (*lib.4. De Benef. c p.21.*) *Dicitur gratus, qui aliquid pro eo, quod acceperat, reddit:*

hic

hic fortaſſe oſtentare ſe poteſt .... Dicitur gratus, qui bono animo accipit beneficium, bono debet...... Volo referre gratiam. Poſt hoc aliquid ſupereſt mihi, non ut gratus, ſed ut ſolutus ſim: ſæpe enim & qui gratiam retulit, ingratus eſt, & qui non retulit, gratus: nam ut omnium aliarum virtutum, ita hujus ad animum tota æſtimatio redit. Hic ſi in officio eſt, quicquid defuit, fortuna peccat. Quomodo eſt diſertus etiam, qui tacet, fortis etiam, qui compreſſis manibus, vel & alligatis.

VI. Quintum eſt gratiam referre; ideſt, facto aliquo beneficium, quod acceptum eſt, compenſare: quamquam enim reddere ad gratiæ naturam non pertinet; tamen ſe minime gratum eſſe, ſatis oſtendit is, qui nihil curat de referenda gratia, cum poſſit: niſi enim quid obſtet, virtutum officia cernantur, neceſſe eſt, quibus ſublatis, eam nullam eſſe convincitur. Quamobrem bene Tullius: *ſin erunt merita*, inquit (*lib.1. de Offic.*) *non ineunda, ſed referenda ſit gratia, major quadam cura adhibenda eſt: nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium eſt*. Et paullo poſt (*cit.loc.*) *nam cum duo genera liberalitatis, ſint unum dandi beneficii, alterum reddendi; demus, nec ne, in noſtra poteſtate eſt: non reddere viro bono non licet: ſi modo id facere poſſit ſine injuria*.

VII. Immo curandum eſt, ut plus reddas, quam acceperis: *quod ſi ea*, ut rurſus ſcriptum eſt a Cicerone (*lib.1. de Offic.*) *quæ acceperis utenda, majore menſura (ſi modo poſſis) jubet reddere Heſiodus, quidnam beneficio provocati facere debemus? An non imitari agros fertiles, qui multo plus afferunt, quam acceperunt. Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre; quales in eos eſſe debemus, qui jam profuerunt?* Et iccirco ſuperiores ſunt in benefaciendo ut tempore, ita humanitate, cum qua gratia, quæ redditur, ſaltem exæquanda eſt; ſecus ne par quidem accepto beneficio futura eſt, in quo ratio habetur maxime voluntatis, ut dixi.

VIII. Unde conſequens eſt, ut plus illis debeamus, qui gratis, nec ante provocati, ac majori ſtudio nobis profuerint, quam aliis, qui aut temere, aut ſuæ etiam commoditatis gratia, aut minus libenter emolumentum aliquod attu-

Digitized by Google

tulerunt. *Acceptorum autem beneficiorum*, ait Tullius (*Off. lib.* 1.) *ſunt delectus habendi. Nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis quo quiſque animo, ſtudio, benevolentia fecerit, ponderandum eſt. Multi enim multa faciunt temeritate quadam ſine judicio, vel modo in omnes, vel repentino quodam, quaſi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia æque magna non ſunt babenda, atque ea, quæ judicio, conſiderate, conſtanterque delata ſunt.* Idem monet Ariſtoteles (*lib.8. Etbic. cap.*13.) qui ſcribit, in amicitiis, quæ utilitate conſtant, beneficii menſuram eſſe fructum, quem ex beneficio tulit is, cui delatum eſt: in amicitiis autem, quas virtus conſtituit, officium æſtimandum eſſe ex ejus, qui contulit, animo, & voluntate.

IX. Quamquam vero beneficium reddendum eſt, ſi modo poſſis, non tamen citius, quam oporteat, ne videaris nolle debere; ſed expectandum eſt tempus ei, qui dederit, opportunum. Sapienter Seneca: *ante omnia ergo, Liberalis*, inquit (*lib.6. de Ben f. cap.*41.) *boc diſcamus, beneficia ſecure debere, & occaſiones reddendorum obſervare, non manu facere: banc ipſam cupiditatem primo quoque tempore liberandi ſe, meminerimus ingrati eſſe: nemo enim libenter reddit, quod invitus debet; & quod apud ſe non vult eſſe, onus judicat eſſe, non munus. Quanto melius, ac juſtius in promptu babere merita amicorum, & offerre, non ingerere?* (*vid. & lib.*4. *de Benef. cap.*40.) Si tamen is, a quo beneficium delatum eſt, remunerationem ſtatim expectet, ſtudiique viciſſitudinem, & officiorum, vel ſi hoc poſtulet temporis, rerumque conditio, non eſt cunctandum reddere.

X. Tunc vero præſertim gratiam referre conſentaneum eſt, & eam ampliorem, cum is indiget, cui debemus. *Sed in collocando beneficio*, ait Tullius (*lib.*1. *Offic.*) & *in referenda gratia* [*ſi cætera paria ſint*] *boc maxime officii eſt, ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari. Quod contra fit a pleriſque: a quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille bis non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt.* Hæc quidem gratia non eſt, ſed mercaturæ genus.

XI. Sed quid ſi referre gratiam non poſſis? Reſpondet Tullius (*lib.*2. *Off.*) *inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, babere certe poteſt.* Et Seneca

(*lib.*

(*lib.1. de Benef. cap.1.*) *non opus eſt ad liberandam fidem facultatibus, ſed animo: reddit enim beneficium, qui libenter debet;* qui pollicetur, ſi modo poſſit, ſe gratiam eſſe relaturum: *nam, ſi minus poſſit*, ait Ariſtoteles (*lib.8. Ethic. cap.13.*) *ne is quidem, qui dedit, repoſcat;* ſi etiam a Deo petit, ut beneficium remuneret, eique præſto velit eſſe, qui contulit.

XII. Immo fere nemo eſt, qui nequeat officio reſpondere quodammodo aut opera, aut conſilio, aut honoris ſignificatione, aut obſervantia, aut prædicatione & laude ejus, qui profuit: neque enim oportet, ex eodem genere eſſe remunerationem, ex quo ſunt beneficia. Quo efficitur, gratiam referri fere & poſſe, & debere etiam nihil indigenti: *virtutis enim, & beneficentiæ merces eſt gloria*, ut ſcriptum eſt ab Ariſtotele (*Ethic. lib.8. cap.14.*) *quæ dari poteſt cuique*. Nec alia deſunt, ut dixi, ſi gratus velis eſſe. In quam rem Seneca: *quid enim probibet referre gratiam*, inquit [*lib.6. de Benef. cap.29.*] *proſperis rebus? quam multa ſunt, per quæ, quicquid debemus, reddere etiam felicibus poſſumus? fidele conſilium, aſſidua converſatio, ſermo comis, & ſine adulatione jucundus, aures, ſi deliberare velit diligentes, tutæ ſi credere, convictus familiaritas*. Quod ſi nihil horum poſſis, illud tene, gratiam voluntate contineri, eumque eſſe gratum, qui velit omni meritorum parti ſatisfacere, quibuſcumque officiis poteſt: qua in re poteſt etiam eum vincere, a quo affectus eſt beneficio quamquam maximo: ut enim aliarum virtutum, quæ ſunt in more poſitæ, ita gratiæ laus omnis in animi judicio, & voluntate conſiſtit, ut Ariſtoteles docet (*lib. 8. Ethic. cap.13. in fin.*)

XIII. Quæ cum ita ſint, danda eſt opera, ut grati videamur, & ſimus. Hoc quidem excelſi animi eſt, nobilis, ingenui, humani, nati ad ſocietatem, quæ ſine gratia vix conſtat, cui & aliæ præclaræ virtutes adjunctæ ſunt. *Cum omnibus virtutibus*, ait Tullius (*Orat. pro Plancio*) *me affectum eſſe cupiam, tum nihil eſt, quod malim, quam me & gratum eſſe, & videri: hæc eſt enim una virtus non ſolum maxima, ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? qui ſunt boni cives, qui belli, qui domi de patria bene merentes? niſi qui*

patriæ beneficia meminerunt? qui ſancti, qui religionem colentes? niſi qui meritam Diis immortalibus gratiam juſtis honoribus, & memori mente perſolvunt? quæ poteſt eſſe jucunditas vitæ, ſublatis amicitiis? quæ porro amicitia poteſt eſſe inter ingratos?..... cujus opes tantæ eſſe poſſunt, aut unquam fuerunt, quæ ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint? quæ certe, ſublata memoria & gratia, nulla extare poſſunt. Et quidem nihil tam proprium hominis exiſtimo, quam non modo beneficio, ſed etiam benevolentiæ ſignificatione alligari. De hac virtute, quæ eximia eſt, ſatis.

XIV. Vitium, quod nimium eſt, gratiæ contrarium, vacat nomine. Forte in hoc eos peccare dixeris, qui nimii ſunt in gratiis agendis, in obſequiis, in obſervantia, in officiis propter accepta beneficia, ita ut ei, qui contulit, moleſtiores eſſe videantur, qui tempus antevertunt gratiæ referendæ, ut grati ſint, qui etiam iis, qui nolunt tale aliquid audire, ſæpe inculcant, ſe debere plurimum, qui rem acceptam amplificant ſupra modum, aut alia faciunt generis ejuſdem. Sed in hoc pauci peccant, & raro.

XV. Vitium, quod a modo deeſt, gratiæ contrarium, frequens ac familiare eſt ingratus animus. Sunt autem hujus vitii quidam quaſi gradus, quibus venitur ad ſummum. Primus eſt ei non referre gratiam, qui contulit beneficium, cum id tempus poſtulat, & facere in noſtra eſt poteſtate. Recte Plautus (*in Perſa*)

> *Improbus eſt homo, qui beneficium ſcit ſumere, & reddere neſcit.*

XVI. Alter eſt id diſſimulare, quod acceperis, & benemerenti gratias non agere: quo referri videtur oblivio, quæ tantopere vituperatur a Seneca (*lib.* 3. *de Benef. cap.* 1. & 2.) qui enim alicujus momenti beneficium accepit, diſſimulare quidem poteſt, at illud omnino obliviſci vix poteſt. Dicimus tamen, beneficium elapſum e memoria, cum non agnoſcitur, quaſi non eſſet datum: quæ res ſummam habet indignitatem: *nunquam enim*, ait Seneca (*lib.* 3. *de Benef. cap.* 2.) *valuit gratus eſſe, qui beneficium tam longe projecit, ut extra conſpectum ſuum poneret.* Sunt quidam, qui velint in-

Digitized by Google

ingratum animum occultare malitia & calliditate, quaſi juſtam habeant cauſam non agendarum gratiarum, neque reddendi beneficii. Arripiunt igitur, ſi quæ incidant, opportunitates quamquam muliebres, ac leves inimicitiæ & ſimultatis cum eo, a quo affecti ſunt beneficiis: verbo minus conſiderato, offenſionis ſuſpicione, repulſa etiamſi juſta & conſentanea rationi, aut re alia leviore ad iram incitantur contra beneficos, & amicos: alienant enim ſe, & inimicantur facile ingrati: tum vero ſe liberos putant, ac ſolutos officio, maxime ſi divites ſint, & in altiori loco poſiti. Id animadverſum eſt a Plauto (*in Poenulo*)

. . . . Ita ſunt iſti noſtri divites,
Si quid benefacias, levior pluma eſt gratia,
Si quid peccatum eſt, plumbeas iras gerunt.

Cum tamen, etſi qua forte occurrat offenſionis cauſa, magna ſit ratio habenda beneficiorum, & curandum omnino, ut gratia aut habeatur, aut referatur benemerenti, & exorta inimicitiæ occaſio tollatur: nam nobilis, & grati animi eſt, memorem eſſe accepti beneficii, immemorem injuriarum.

XVII. Tertius quaſi gradus eſt maleficium referre pro beneficio. Rurſus Plautus (*in Captiv.*)

Nam fere maxima pars morem hunc homines habent:
quod ſibi volunt,
Dum id impetrant, boni ſunt; ſed id ubi jam penes
ſeſe habent,
Ex bonis peſſimi, & fraudulentiſſimi
Sunt . . . .

Quoniam cum ægre ferant, debere ſe alteri, eum habent inviſum, cui debent, ut debitores ſolent, qui non hilari fronte, ſed triſti, & ſæpe infeſto animo eos aſpiciunt, quorum æs contraxerunt: quemadmodum enim moleſtum eſt reddere; ita moleſti ii, quibus reddant neceſſe eſt. Ex quo extat illud Senecæ dictum (*Epiſt.* 81.) *Eo perductus eſt furor, ut periculoſiſſima res ſit beneficia in aliquem magna conferre: nam quia putat turpe non reddere, non vult eſſe, cui*

reddat. Et ſane Baſilius ille imperator eum, a quo e præſenti vitæ periculo fuerat ereptus, per ſummam crudelitatem juſſit interfici (*Zonaras lib.* 16. *num.* 11. *in fin. part.* 2. *Hiſt. Byzant. tom.*10.) Hoc adeo inhumanum eſt, ut ne in belluas quidem cadat; quod tamen rarum non eſt inter homines. *In contrarium itur*, ait Seneca (*lib.* 3. *de Benef. cap.* 1.) *ut quoſdam habeamus infeſtiſſimos non poſt beneficia tantum, ſed propter beneficia*.

XVIII. Quartus eſt beneficium vituperare: qui enim eo venit improbitatis, præclarum opus, quod a nobis perfectum eſt, ex quo laudem conſequi poſſumus, & voluptatem, ita conatur evertere, ut nihil ſupereſſe plane videatur: ſic enim ſumus comparati, ut nobis noſtra chara ſint opera: *hoc in poetis*, ait Ariſtoteles (*lib.*9. *Ethic. cap.*7.) *magis cernitur, quos ſua opera præter modum delectant, ea ut liberorum loco diligant*. Pulchrum igitur, & egregium putamus beneficium, quod dedimus, ejuſque honeſtatem ac præſtantiam habemus multo cariorem. Ex quo conſequens eſt, ut qui illud vituperat, iccircoque tollit omnino, nobis moleſtiſſimus ſit, idemque ingratus maxime.

XIX. Quintus tandem gradus eſt ac ſummus beneficium habere pro maleficio: qui enim tale aliquid facit, neque gratiam refert, neque habet, neque ulla grati animi ſignificatione utitur adverſus benemerentem; & non modo beneficium tollit vituperando, ſed facinus ex ſeſe honeſtum & pulchrum & laudabile turpitudinis, & infamiæ nota inficit & commaculat, in quo major ineſt inſolentia, & indignitas, quam ſi pro gratia malefaciat: nam cum nocet benefacienti, ſaltem beneficium relinquit, ex quo is poſſit, qui contulit, tamquam ex honeſto opere conſequi laudem, & capere voluptatem: at qui illud traducit, ut malefactum, eum aſpergit infamia, a quo beneficium eſt datum. Hac autem re nihil eſt, quod poſſit eſſe ingenuo viro moleſtius; quippequi putat, malum omnium maximum ac fœdiſſimum eſſe peccatum.

XX. His gradibus ſumma hujus vitii, de quo quærimus, attingitur labes & turpitudo. Illud autem omnes quaſi monſtrum horrent & execrantur, ne exceptis quidem ingratis, ut ſcribit Seneca (*lib.* 3. *de Benef. cap.* 1.) *de ingra-*

gra-

gratis etiam ingrati queruntur : cum interim hoc omnibus hæreat, quod omnibus diſplicet. Tantum eſt malum, ut vix quicquam dici contumelioſius poſſe videatur. Id viſum eſt Publio Mimo (*apud Muretum num.* 185.)

Dixeris maledicta, cum ingratum hominem dixeris.

Et Seneca (*lib.* 1. *de Beneſ. cap.* 10.) eo nihil flagitioſius, nihil magis vituperandum putat: *erunt*, inquit, *homicidæ, tyranni, fures, adulteri, raptores, ſacrilegi, proditores: infra iſta omnia ingratus eſt, niſi quod omnia iſta ab ingrato animo ſunt, ſine quo vix ullum magnum facinus accrevit. Hoc tu cave, tamquam maximum crimen.* Quid quod Tullius (*Orat. pro Plancio*) aliquem pati, ſe vinci beneficio, cenſet eſſe turpiſſimum? *Nihil porro*, ait, *tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quam committere, ut beneficio, non dicam indignus, ſed victus eſſe videare.* Quæ quidem etſi judicare quis poſſit paullo eſſe duriora; tamen ſatis indicant, quo eam peſtem homines execrationum genere inſequantur, quibuſve diris devoveant.

XXI. Quoniam res ita ſe habet, quid cauſæ eſt, cur nulla ſit actio in ingratos? Primum ne multum de beneficii laude, honeſtateque detrahatur, quæ fere nulla eſt, ſi neceſſaria omnino ſit, & jure præcepta remuneratio; tum ut gratia illuſtrior appareat, quæ maxime virtus eſt, & eminet, ſi eſt maxime voluntaria. Deinde quia non ſatis a judice æſtimari poteſt beneficiorum magnitudo; quippe quæ præſertim ex ejus, qui dedit, voluntate metienda eſt, aliiſque, quæ plerumque ſunt minus cognita & explorata; ex quo conſequens eſt, ut nec certa pœna ingratis decerni poſſit, nec merces reddenda conſtitui. Poſtremo omnem animadverſionem, actionemque tollit eorum, qui hac in re peccant, incredibilis multitudo. Hanc quæſtionem late perſequitur Seneca [*lib.* 3. *de Beneſ. cap.* 7. *& ſeq.*] a quo quammulta etiam cum de grato, tum de ingrato animo ſcripta ſunt (*in libris de Beneficiis*). Exempla vero utriuſque extant & paſſim alibi, & præſertim apud Valerium Maximum (*lib.* 5. *cap.*2. *&* 3.) & Andream Eborenſem (*v. Gratitudo, & Ingratitudo*) on dubito, quin eos, qui grati animi laude

de præſtantes fuerunt, vobis ipſi proponatis ad imitandum cum ad veſtram utilitatem decus ac dignitatem, tum ad commoditatem ſocietatis & reipublicæ, cui ita grati proſunt, ut ingrati plurimum nocent: *per ſe fugienda res eſt*, inquit Seneca [*lib.* 4. *de Benef. cap.* 18.] *ingratum eſſe*: *quoniam nihil æque concordiam humani generis diſſociat ac diſtrahit, quam hoc vitium*: *nam quo alio tuti ſumus, quam quod mutuis juvamur officiis?* Hæc ſatis.

CAPUT XVII.

De Amicitia, ac de Vitiis, quæ ſunt Amicitiæ contraria.

I. Duplex eſt amicitiæ genus, ut placet Tullio (*in Lælio*) alia vulgaris eſt & mediocris; alia vera & perfecta. Vulgaris rurſus duplex; alia quidem utilis, alia jucunda: illam utilitas, hanc conglutinat delectatio: hoc eſt, qui vulgari amicitiæ genere conjuncti ſunt, non ſe mutuo amant propter ſe, ſed fructum aliquem ſequuntur, aut voluptatem, quæ utrinque pariatur. Quiſquis igitur ita afficitur, is non alium amat, at ipſe ſe; cum ad ſuam commoditatem, oblectationemque referat amicitias. *Sunt ergo*, ait Ariſtoteles (*lib.* 8. *Ethic. cap.*3.) *hæ fortuitæ, & fucatæ amicitiæ: quoniam non idcirco qui diligitur, colitur, quia ſit ejuſmodi, ſed quia vel utilitatis præbitor ſit, vel miniſter libidinis.*

II. Ex quo conſequens eſt, hoc amicitiæ genus non eſſe diuturnum: nam, ſublato eo, quo eſt conſtituta, amicitiam quoque tolli neceſſe eſt: quod autem utile eſt, & jucundum, non ſemper tale eſt, ſed mutatur, fitque aliquando contrarium. Idcirco quotidie videmus, diſſolvi amicitias, & interire: nam & mercatura deſeritur, quæ minus fructuoſa eſt, & flores ingrati ſunt, cum flacceſcunt & decidunt: *cum amicitia*, ait Ariſtoteles [*lib.* 9. *Ethic. cap.* 1.] *his de cauſis* (hoc eſt, voluptatis, & fructus) *conſtituta eſt, diſſo-*

cia-

Digitized by Google

ciatio, *& diſtractio ſequitur, cum minus extant ea, a quibus cauſæ profectæ erant diligendi*. Sunt etiam hæ amicitiæ plenæ perturbationum & querelarum: contingit enim, ut quiſque putet, ſe plus dare, quam accipiat, neque id effici, quod oportet, aut eo, quo oportet, modo, ut ſuæ utilitati conſulatur: diſplicet etiam, ſi quid fiat, quod voluptati, quæ ex amicitia quæritur, videatur eſſe contrarium.

III. Vulgares amicitiæ, & fucatæ late patent: nam quod ad utilitatem attinet, *plerique*, ut ſcriptum eſt a Tullio (*in Lælio*) *neque in rebus humanis quicquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit, & amicos, tamquam pecudes, eos potiſſimum diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos*. Verum eſt illud Ovidii (*lib. 2. de Ponto Eleg. 3.*)

Vulgus amicitias utilitate probat.

Et Martialis lepide (*lib. 9. Epigram. 11. in Mart. cum Juvencio*)

Hunc, quem menſa tibi, quem cœna paravit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & ſumen, & oſtrea, non te.

Voluptatis autem gratia parantur amicitiæ plurimæ, præſertim hac noſtra ætate, qua maxima eſt conviviorum, ludorum, deambulationum, otioſæ ruſticationis, familiaritatum dies ac noctes, theatrorumque frequentia; cum magis faceti hominis & ridiculi, aut unius mulierculæ conſuetudo delectat, quam ſapientum virorum, ac magis, quam ſeria & gravia, oblectationum inanitas, quæ ad tempus fruſtra conſumendum conferunt: unde non modo in familias ac domos, ſed in civitatem, ipſamque rempublicam peſtis quædam, pernicieſque permanat.

IV. Non tamen quævis amicitia, quæ utilitatis, voluptatiſve cauſa fingitur, reprehendenda eſt: nam utilitatem ſequi frequenter licet ſine peccato, immo etiam cum laude, ut fructuoſam mercaturam, quæ facienti prodeſt, ac nocet nemini; immo fructum affert, & emolumentum oppidis, & civitati. Hac amicitia ſtant commercia, ſocietates, cives inter

Digitized by Google

ter ſe continentur, & pauperes cum locupletibus, indocti cum ſapientibus, milites cum imperatoribus, artifices cum iis, qui eorum opera utantur, ac viciſſim, aliiſque alii ſocientur. Quæ quidem tolluntur omnia, utilitate ſublata: ita enim fere homines comparati ſunt, ut quod fructum parit, id ſequantur & exquirant; & culpa vacant, ſi conſulant utilitati ſuæ ſine alieno detrimento, remotis dolis, fraudibus, calliditate, ſimulatione, malitia, & ſi in ſocios etiam æquam emolumentorum partem derivari libenter ferant, atque ut ſibi alios prodeſſe volunt, ſic aliis proſint commutatione officiorum, quemadmodum civilis charitas, & humanæ ſocietatis jura poſtulant. At multi ſunt, qui ad ſe id omne trahere velint, quod poſſunt, alioſque depellant, ut canes, qui in partem cibi ſi qui veniant, eos abſterrent dentibus & latratu, & in homines tantum bene affecti videntur, a quibus nutriuntur. Sunt hi quidem inimici humanæ ſocietatis, iccircoque ſummopere vituperandi, ut ſupra dixi (*lib.3. par.3. cap.4.*) Quod ſi præterea amicitiæ ſpecie fallant, & noceant aut vitæ, aut famæ, aut rei familiari, nihil eſt hac peſte deterius: ſunt profecto eo flagitioſiores, quam ii, qui nummos adulterant, quo in re præſtantiore calliditas conſumitur, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.9. Ethic. cap.3.*)

V. Similiter eſt quædam laudabilis delectatio, quam ſequi non in vitio ducitur, ſed in virtute aliquando; qualis ea eſt, quæ capitur ex conſuetudine bonorum & ſapientum, ex muſica, aut ſonis, ex honeſtis oblectationibus, & colloquiis, quibus animus moleſtiis & curis levatur, ex communicatione ſtudiorum & doctrinarum. Qui his de cauſis amicitias contrahunt, culpandi non ſunt: in hac enim voluptatum mercatura apparet cum ſagacitas & ſolertia, tum etiam quædam animi excelſitas, qui etſi perfectam amicitiæ formam non aſſequitur, humilia tamen & abjecta contemnit, quibus illa inter vulgares homines, qui pecuniam & opes ſequuntur, conglutinari ſolet.

VI. Huc vero referenda non eſt illa amicitiæ ſpecies, quæ vulgo Platonica nuncupatur, hoc eſt, mutuus amor inter marem, & feminam, qui omni labe, & turpi affectione vacet omnino; ſed hinc potius attollatur animus ad contemplationem, pulchritudinemque rerum cæleſtium, & divina-

narum? quotus enim quiſque eſt, qui ita ſibi imperet, contineatque ſenſuum ac perturbationum temeritatem, ut, quod divinum eſt, id in re objecta cernat, nulla vero ſenſuum illecebra capiatur? Quis neſciat, amatoriarum levitatum initia, immo & facinoroſæ vitæ ab oculis, aſpectuque duci? Etiamſi multi præclaro hoc nomine, amoris & affectionum turpitudinem occultare conantur; non ita tamen id poſſunt aſſequi, ut quædam latentium flammarum impuritas fere non ſentiatur nidore atque fumo. Nec vero in libris Platonicis extat illa amicitia; ſed Plato tantum vult, ex eorum pulchritudine, quæ nobis cognita ſunt, attolli animum ad ſummum pulchrum, hoc eſt, Deum.

VII. Multo etiam eſt lutulentior illa amicitia, quæ jungitur inflammata libidine voluptatum, quæque longe lateque pervaſit, & tot malorum cauſa eſt, quot nemo poſſit enumerare. Ea vero celebratur ſæpe carminibus delirantium poetarum; nimirum ut malum, quod ipſum per ſe fere ubique diſperſum eſt, latius etiam diſſeminetur, & omnium animis inhæreſcat. Hanc ne convenit amicitiam dicere, quæ ejus potius venenum ac pernicies dicenda eſt? Huic ne aptari queat

Illud amicitiæ quondam venerabile nomen?

(*Ovidius lib.2. de Ponto Eleg.3.*)

VIII. De vulgari amicitia hactenus; nunc ad veram, perfectamque veniamus, quæ nihil eſt aliud, niſi proborum hominum mutua benevolentia perſpicua, gratuita, temporeque & uſu confirmata, ex virtutis cognitione profecta ad honeſtæ vitæ conjunctionem, communionemque perducens. Hac quidem definitione plura continentur, quibus explicatis compertum erit, quæ ſit pulcherrima illa & præſtantiſſima amicitiæ forma, de qua quærimus. Benevolentia eſt amor eorum proprius, in quibus voluntas ineſt & ratio: nam bene velle ii tantum poſſunt, qui rationis ſunt compotes. Benevolentia autem, ut Ariſtoteles docet (*lib.9. Ethic. cap.5.*) *quamquam videtur, tamen non eſt idem, quod amicitia: nam benevolentia etiam cum iis conjuncti ſumus, quos ignoramus, eademque occulta eſt; amicitia non eſt.*

IX. Benevolentiam vero mutuam oportet eſſe, ut ſit amicitiæ locus; hoc eſt, ei, qui amat, neceſſe eſt pari reſpondere ſtudio, & viciſſitudine officiorum, & conſenſione voluntatis: ſecus odium etiam poſſet eſſe inter amicos, ſi alter bene vellet, alter odiſſet; ex quo rurſus vitam amariſſimam oporteret effici: nihil eſt enim amarius, quam cum in amore non reſpondere, quem diligas; cum tamen amicitia ſit ſuapte natura jucunda.

X. Mox benevolentia debet eſſe perſpicua; hoc eſt, non abdita atque in animo concluſa & deliteſcens, iners, ignava, ſed aperta, actuoſa, officioſa: quoniam amici eſt non tantum bene velle, ſed multo magis benefacere: itaque ſublata actione & officio, plerumque tollitur amicitia: quod locorum intervallo fieri ſolet, diuturnoque ſilentio. Quamquam ſi amicitia firma eſt, & altis animo defixa radicibus, ejus quidem uſus & actio ceſſat propter diſtantiam, ſed habitus manet; quippequi mutua, & conſtanti benefaciendi voluntate continetur. Hoc ab Ariſtotele traditum eſt (*Ethic. lib.8. cap.5.*) *Ut vero in virtutibus*, inquit, *alii animo & habitu, alii uſu & actione boni nominantur: ſic etiam in amicitia; alii enim vitæ conſuetudine, ſocietate conjuncti & ſe ultro & citro oblectant, & bona ſuppeditant; quidam vero dormiunt, disjunctique ſunt illi quidem intervallo locorum, nec utuntur amicitia, ſed ita ſunt affecti animo, ut proprio amicorum munere fungantur. Neque enim locorum intervalla funditus tollunt amicitiam, ſed officia & actionem. Quod ſi ſit diuturna abſentia, amicitiam quoque delet, & obruit oblivione. Ex quo factum eſt proverbium, multas quidem amicitias diremiſſe ſilentium.*

XI. Tum gratuita ſit benevolentia neceſſe eſt, non quæſtuoſa, non ſordida: nam quæ ejuſmodi eſt, ea cupiditatis eſt propria, non amicitiæ. Itaque amicus amandus eſt ipſe per ſe, non ejus aut pecunia, aut opes, aut menſa, aut potentia, aut vires, aut pulchritudo: *omnes ajunt*, inquit, Ariſtoteles [*lib.8. Ethic. cap.2.*] *oportere amicum velle bonis affici ejus cauſa, nulla utilitate quæſita*; ideoque *amicus . . . . maximus is eſt*, ut rurſus Ariſtoteles ſcribit (*lib.9. Ethic. cap.8.*) *qui velit bonis affici quam maximis eum, quem diligat, illius cauſa; etiamſi ad ſe ex his nihil redeat.*

XII.

Digitized by Google

XII. Veræ autem benevolentiæ & amoris regulam normamque, qui amicus velit eſſe, debet a ſeipſo ſumere: *ipſe enim*, ait Tullius [*in Lælio*] *ſe quiſque diligit, non ut aliquam a ſeipſo mercedem exigat caritatis ſuæ, ſed quod per ſe ſibi quiſque carus eſt: quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur: eſt enim is amicus quidem, qui eſt tamquam alter idem*. Quod acceptum videtur ab Ariſtotele, quippequi (*lib.9. Ethic. cap.9.*) *quemadmodum porro*, inquit, *in ſe bonus vir, ſic in amicum animatus eſt: eſt enim amicus alter idem. Ut igitur ſuus cuique, ſic, aut pari propemodum ratione ſtatus amici expetendus eſt*. Huc ſpectat facetum illud:

Alter ego niſi ſis, nec eris mihi verus amicus:
Ni mihi ſis, ut ego, non eris alter ego.

(*apud Jo. Caſum Moral. qq. lib. 9. cap. 4.*)

XIII. Ex quo poteſt intelligi, non humilem, ſed generoſum eſſe ortum amicitiæ, quæ non ex inopia & indigentia naſcitur, ut Platoni eſt viſum (*in Lyſide, ſeu de Amicitia*) ſed a liberali ac benevola voluntate, & quæ vacua ſit accipiendi cupiditate: rurſus Tullius (*in Lælio*) *a natura*, inquit, *mihi videtur potius, quam ab imbecillitate orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam ſenſu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis eſſet habitura*: nam, ut paullo ante ſcribit (*cit. loc.*) *utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur ſæpe, qui ſimulatione amicitiæ coluntur, & obſervantur cauſa temporis. In amicitia autem nihil fictum, nihil ſimulatum, & quicquid in ea eſt, idem verum, & voluntarium eſt*.

XIV. Deinde benevolentiam oportet eſſe tempore & conſuetudine confirmatam: neque enim ſubito amicitia contrahitur, ſed frequenti convictu, & experientia diuturna de probis moribus amicorum: quippe habitus eſt, iccircoque non niſi uſu & multiplici actione comparatur. Neque refert, an virtus ſit, an cum virtute copulata; de qua re dubitare viſus eſt Ariſtoteles (*lib. 8. Ethic. cap. 1.*) neque enim dirimit controverſiam: quamquam puto equidem, eam eſſe

virtutem; cum, ſi perfecta eſt, ad ea inclinet, quæ maxime honeſta ſunt, & rationi conſentanea.

XV. Præterea benevolentia illa nonniſi proborum hominum poteſt eſſe. *Sed hoc primum ſentio*, ait Tullius (*in Lælio*) *niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe:* nam improbi ne ſibi quidem ipſi amici ſunt: *qui vero multa & gravia ſcelera admiſerunt*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib. 9. Ethic. cap. 4.*) *improbitate victi & ſe oderunt ipſi, & vitam fugiunt;* quomodo ergo aliis ſunt amici futuri? quo pacto conſtantiam tueantur in amicitia hi, quos cupiditatum vis, quaſi concitati fluctus, exagitat? & eo feruntur, quo utilitas, aut voluptas, quibus omnia metiuntur, impulerit? qui non virtute nituntur, quæ firma eſt, ſed rerum levitate, quæ facile diffluunt, & mutantur? qui non ſatis vident ea, quæ jure poſtulare ab amicis licet, quæ plane non licet? qui fere ſuſpicioſi ſunt, queruli, fraudolenti, duplices, elati, invidi, amatores contentionum ac pugnæ? Quæ omnia, aliaque generis ejuſdem omnino veræ amicitiæ repugnant. Boni contra, ac virtute præditi habent quicquid ad conciliandam amicitiam neceſſarium eſt, fidem, integritatem, æquitatem, liberalitatem, conſtantiam, caritatem, carentque cupiditate, libidine & audacia, aliiſque vitiis; & in amicis probitatem diligunt, quæ quamdiu manet, tamdiu immobilis & firma eſt amicitia, a qua ne diſcedunt quidem ob leviora peccata, ſed ob ea tantum, quæ graviora ſunt, & corrigi atque emendari non poſſunt, ut infra dicam.

XVI. Equidem eorum imprudentiam atque inſcitiam admiror hoc loco; qui non bonorum quidem conſuetudine delectentur, ſed amicitiam conglutinare malint cum improbis, in quibus eſſe non poſſit; eoſque tamquam amicos habeant, qui nec ſunt, nec eſſe propter improbitatem queunt; contra eos infeſtos arbitrentur eſſe, qui etſi amici non ſunt, cum mutuus amor deſit, qui eſt fons amicitiæ, benevoli certe ſunt. Hic quidem error late patet: nam homines, qui minus ſolertes ſunt, nec in id introſpiciunt, quod latet, moventur verbis & adulatione ad conciliandam gratiam, non animo & voluntate. Profecto videre oportet (ne quid in re gravi peccemus) quæ ſit eorum vita, qui mores, quæ dicta ac facta, quibuſcum amicitia jungimur, & illud tenendum, eam niſi in bonis eſſe non poſſe. XVII.

Digitized by Google

XVII. At hæc benevolentia, quæ cernitur in amicitia, ex cognirione profecta dicitur virtutis ac probitatis: nam ejus mutui amoris cauſam oportet eſſe aliquam; cum vero nec bonum jucundum poſſit eſſe, nec utile, ut ſupra vidimus, honeſtum omnino ſit, neceſſe eſt, quod in utroque amicorum cernatur. Et reipſa cum omnia id appetere videantur, quod ſimile ſit, *ex quo proverbia facta ſunt*, ait Ariſtoteles (*lib. 8. Ethic. cap. 1.*) *pares cum paribus facillime congregantur, & graculus cum graculo, & cætera generis ejuſdem*, tum nihil eſt appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quam virtus; quippequa nulla res poteſt eſſe amabilior, nulla jucundior, nulla in terris omnino præſtantior. *Virtus, inquam, C. Fanni, & tu Q. Muti*, ait Tullius (*in Lælio*) *& conciliat amicitias, & conſervat. In ea eſt enim convenientia rerum, in ea ſtabilitas, in ea conſtantia. Quæ cum ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & idem aſpexit, agnovitque in alio, ad id ſe admovet, viciſſimque accipit illud, quod in altero eſt: ex quo eorum exardeſcit ſive amor, ſive amicitia: utrumque enim dictum eſt ab amando. Amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere quem ames, nulla indigentia, nulla utilitate quæſita*. Quibus conſentaneum illud eſt, quod ſcripſerat Ariſtoteles [*Ethic. lib. 9. cap. 5.*] *omnino autem virtus, & probitas benevolentiam contrahit, ſi qua ſignificatio honeſtatis, fortitudinis, aut alicujus ejuſdem generis eluceat*. Eam vero benevolentiam, quæ eſt fons amicitiæ a natura conſtitutus, bonis inter bonos quaſi neceſſariam eſſe Tullius jure cenſet (*cit. loc.*) quoniam cum bonos id oporteat amare, quod ſit honeſtum, ſecus ne boni quidem ſunt, conſequens eſt, mutuam debere inter bonos eſſe benevolentiam, virtute atque honeſtate perſpecta.

XVIII. Superſunt poſtrema verba, quibus ea clauditur, quæ ſupra poſita eſt, definitio: indicant autem, quis ſit finis, ad quem amicitia referatur: eſt enim honeſtæ vitæ conjunctio atque communio, in qua tamquam in re optima, vehementerque expetita amicus, qui verus ſit, conquieſcit: quid enim expetit? ſcilicet frui amici probitate, ejuſque conſuetudine delectari, & cum eo bona communicare, quæ poſſidet: neque enim amat ſui ipſius, ſed amici gratia. In quam rem ſcribit Tullius (*in Lælio*) *ipſi autem*

intel-

intelligamus a natura gigni ſenſum diligendi, ac benevolentiæ caritatem, facta ſignificatione probitatis: quam qui appetiverunt, applicant ſeſe, & propius admovent, ut & uſu ejus, quem diligere cœperant, fruantur, & moribus, ſintque pares in amore, & æquales, promptioreſque ad benemerendum, quam ad repoſcendum; atque hæc inter eos ſit honeſta certatio. Et *Ariſtoteles (*lib.* 8. *Ethic. cap.* 5.) *nihil eſt tam amicorum proprium, quam vitæ ſocietas & communio.* Ex quo extat illud: *amicorum omnia communia, unus animus, amicitia æqualitas* [*apud Ariſtotelem lib.* 9. *Ethic. cap.* 8.] *& Plutarchum in Opuſc. non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicurum*) Quamobrem amicitia definitur a Cicerone. (*in Lælio*) *omnium divinarum, humanarumque rerum cum benevolentia, & charitate ſumma conſenſio.*

XIX. Ex his autem conficitur, amicitiam non eſſe niſi inter pares: neque enim poteſt eſſe ea conjunctio & communio, de qua dixi, niſi pares cum paribus copulentur: verus porro proverbium eſt: *amicitia aut pares invenit, aut facit:* ſi qui igitur aliqua dote præſtent, oportet eos itamodum tueri, ut ſe non anteponant his, quos habere velint amicorum loco. *Sed maximum eſt in amicitia*, ait Tullius (*in Lælio*) *ſuperiorem parem eſſe inferiori;* & propoſito exemplo Scipionis, qui nunquam ſe antepoſuit inferioris ordinis amicis, pergit dicere: *quod faciendum, imitandumque eſt omnibus, ut ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis . . . . fructus enim ingenii, virtutis, omniſque præſtantiæ tum maxime capitur, cum in proximum quemque confertur.*

XX. Quemadmodum vero qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia; ſic quodammodo inferiores extollere: *ſunt enim quidam*, ut rurſus ſcribit Cicero (*in Lælio*) *qui moleſtas amicitias faciunt, cum ipſi ſe contemni putant; quod non fere contingit, niſi iis, qui etiam contemnendos ſe arbitrantur; qui hac opinione non modo verbis, ſed etiam opere levandi ſunt.* Profecto viri ſapientes ac docti, qui & excelſo ſint animo, aut amicitiam non jungunt cum præſtantioribus, aut ſeſe cum eis eodem in gradu collocant; ſin minus poſſint, ſenſim a familiaritate ſe retrahunt: turpe enim putant ac durum, liberum hominem atque hone-

nectum addici ſervituti, ac libertate privari, & ſatis intelligunt, viro probo vix intercedere poſſe amicitiam cum iis, qui multo ſunt præſtantiores aut opibus, aut gradu, aut potentia & dominatu propter ambitionem, qua fere hominum mens occupatur: quibuſdam utuntur hi quidem, ſed ad utilitatem, aut voluptatem (*vid. Ariſtotelem lib.* 8. *Ethic. cap.*6.) & diligi malunt, quam diligere; niſi tamen magna virtute præditi ſint, quam unam plurimi faciant; reliqua, quæ naturæ ſunt, aut fortunæ, aſpernentur.

XXI. Verum quoddam eſt amicitiæ genus, quod in excellentia & præſtantia cernitur, & parem non poſtulat omni ex parte: *qualis eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.*8. *Ethic. cap.* 7.) *patri cum liberis, & omnino ſeni cum adoleſcente, viro cum uxore, & principi cum eis, quibus præſit:* neque enim conſentaneum eſt in hoc amicitiæ genere paria alteri ab altero officia perſolvi, ſed ea tantum, quæ ſunt cujuſque propria. Quod ſi fiat, tunc ibi honeſta quædam ſecundum excellentiam exoritur amicitia ex viciſſitudine officiorum, quæ cuique ſunt tribuenda pro dignitate, & gradu.

XXII. Nec generatim æqualitatis ratio ſervatur in amicitiis (ſi hoc nomine dignæ ſint: neque enim ſunt) inter potentiores, & tenuiores amicos, de quibus multa diſputat Jo. Caſa (*lib. de Offic. inter potentiores*) quippe utilitas earum amicitiarum cauſa eſt, aut delectatio. Itaque qui amici ſunt ejuſmodi, nihil eſt, cur paria aut flagitent, aut expectent officia, ſed congruentia tantum poſſunt exquirere, eique ſocietati conſentanea, quæ inter diſpares eſt: tenuiores quidem a potentioribus pecuniam, aut dignitatem; potentiores autem a tenuioribus expetunt obſequium, & operam. Verum de his hoc loco dicere nihil attinet.

XXIII. Habes perfectam abſolutamque formam amicitiæ, quæ quidem & honeſtiſſima eſt & neceſſaria & utilis & jucunda. Primum itaque amicitia eſt maxime præclara, & honeſta: *qua quidem haud ſcio*, ait Tullius [*in Lælio*] *an excepta ſapientia quicquam melius homini ſit a Diis immortalibus datum. Divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptatem. Belluarum hoc quidem extremum eſt: illa autem ſuperiora ſunt caduca, & incerta, poſita non tam in noſtris conſiliis, quam in fortunæ temeritate.*

Qui

Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclare illi quidem, ſed hæc ipſa virtus amicitiam gignit & continet. Nec porro dubium eſt, quin amicitia ſit honeſta; quippe quæ virtus eſt, ut nobis quidem videtur, aut cum virtute copulata, ut quibuſdam placet: quamquam utrum dicatur eſſe, parum refert: quod enim cum virtute conjunctum eſt, id honeſtum eſt; quod honeſtum, idem virtus, modo ſit conſuetudine uſuque confirmatum. Rurſus quod laudabile, idem honeſtum eſt: atqui *& eos laudamus*, ait Ariſtoteles (*lib.* 8. *Ethic. cap.* 1.) *qui amicos diligunt, & a multis diligi præclarum ducimus.*

XXIV. Deinde ex amicitia efflorescit utilitas etiamſi non quæſita: in nos enim ab amicis ſæpe & divitiæ, & gloria, & dignitates, & munera proficiſcuntur: iidem ipſi adhortando, admonendo, & ſi opus ſit, reprehendendo, curant, ut valetudinem tueamur, ac rebus noſtris prudenter conſulamus; præſto nobis ſunt & opera, & pecunia, & conſilio, & quovis benevolentiæ & caritatis officio: nos a vitiis avocant, & ad virtutem, felicitatemque ſunt duces cum dictis, tum etiam exemplo, in quo ad præclara gerenda vis ineſt quædam maxima. *Atque etiam ex vita victuque communi* ait Ariſtoteles (*lib.* 9. *Ethic. cap.* 9.) *inter bonos exercitatio quædam virtutis comparatur, ut etiam Theognidi placet;*

Te bonus inſtituet bene, virtutemque docebit:
quemadmodum contra
Improbus inficiet teque, animumque tuum.

Et Tullius: *tales igitur inter viros*, inquit (*in Lælio*) *amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere.* Tum eas eleganti oratione recenſet.

XXV. Contingit autem ſæpenumero, ut ſenſim percipiatur utilitas, occulteque influat in animum, & quando proſint amici, fere ignotum ſit, at profuiſſe, compertum: ut minuta quædam animalia (quamquam exemplum in re contraria poſitum eſt) non ſentiuntur, cum mordent; adeo tenuis eſt vis ad nocendum; ſed morſu eam, in quam pervaſerint, partem male affectam eſſe ex tumore deprehen-

ditur. Sed quid opus eſt multis? *una eſt enim amicitia*, ait Tullius (*in Lælio*) *in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt*. Et non multo poſt: *ſerpit enim neſcio quomodo per omnium vitam amicitia, nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui*.

XXVI. Nec minus neceſſaria eſt amicitia cum privato cuique, tum etiam reipublicæ: nam & *adoleſcentes*, ait Ariſtoteles (*lib.8. Ethic. cap.1.*) *in officio continent amici, & ſenibus ad obſequium præſto ſunt, eaſque vitæ actiones fungendas, quibus propter imbecillitatem deeſſe coguntur, & conſtanti ætati* (hoc eſt, viris) *comites ſe ad præclara, honeſtaque facinora præbent*. Et non modo ad gerenda negocia amicitia neceſſaria eſt; verum etiam ad contemplandum communicatione ſtudiorum; & vero quævis fortuna, rerumque conditio ac ſtatus amicitiam poſtulat: nam & *ſecundas res*, inquit Tullius (*in Lælio*) *ſplendidiores facit amicitia, & adverſas partiens, communicanſque leviores*. Locupleti, & affluenti, ac fortunato dat, ut liberalitate uti poſſit, *quæ & in amicos extat maxime*, [ut Ariſtoteles ſcribit [*cit. loc.*] & *ampliſſimis laudibus afficitur*, atque ut res ſuas tutius poſſideat tectus præſidio amicorum. *In paupertate etiam*, ut rurſus Ariſtoteles (*cit. loc.*) *cæteriſque aſperis rebus omnibus, amicorum bonitatem perfugium ſolum putant commune eſſe omnium*. Itaque concludit Tullius (*in Lælio*) *non aqua, non igni, non aëre (ut ajunt) pluribus locis utimur, quam amicitia*; cujus vis eſt etiam maxima ad continendam rempublicam, quæ ut concordia ſtat, & mutua civium benevolentia, ita diſſenſionibus labefactatur & corruit. Eam ob rem ſummopere cordi fuit legumlatoribus, ut conjunctio inter cives maneret; exterminaretur autem ſeditio (*vid. Ariſtotelem lib. 1. Ethic. cap. 1. & Ciceronem in Lælio.*)

XXVII. Porro de amicitiæ jucunditate, ſuavitateque quid dicam? *quid enim tam abſurdum*, ut ſcriptum eſt a Tullio (*in Lælio*) *quam delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloria, ut ædificio, ut veſtitu, cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel [ut ita dicam] redamare poſſit, non admodum delectari? nihil eſt enim remuneratione benevolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum, officiorumque jucundius*. Et quidem amicus mirifice delectat

convictu, familiaritate, colloquio, opera, præſidio, fide, adhortatione, ſolatio, liberalitate, probitate, qua nihil eſt amabilius, ſtudiorum communione ad cognoſcendum ſemper aliquid atque diſcendum, & in primis caritate, quæ apparet in dictis & factis, tum præſertim, cum temporis ratio poſtulat, & quidpiam incidit, quod triſte ſit, & calamitoſum, ut penuria rei familiaris, ut ægrotatio, ut calumnia & infamia. Spes ipſa maxime jucunda eſt, qua amicitia prælucet in poſterum, *nec debilitari animos*, inquit Tullius (*cit. loc.*) *aut cadere patitur: etenim verum amicum qui intuetur, tamquam exemplar aliquod intuetur ſui*: itaque confidit, amicum, qui eſt alter idem, ſibi nunquam defuturum. Sed quanti eſt habere aliquem, qui in ſecundo fortunæ flatu noſtro bono gaudeat ut ſuo, doleatque, cum ipſi dolemus? quam ſuave eſſe cum, cum quo poſſis ſine metu arcana omnia conſilia communicare? & ſi quid aut pungit animum, aut oblectat, aperire?

XXVIII. Dixi hactenus quid ſit amicitia, quam honeſta, quam neceſſaria, quam plena fructus & voluptatis. Nunc, quæ ſint amicorum munera, videamus.

XXIX. Primum eſt amico bene velle, ut ſupra dixi, ejus cauſa, etiam ſublatis emolumentis & fructibus; ita quidem, ut quemadmodum quiſque in ſe, ſic in amicum animatus ſit, ejuſque bonum expetat ut ſuum (*vid. Ariſtotelem lib. 9. Ethic. cap. 9.*) eſt enim amicus alter idem, ut vidimus.

XXX. Hæc autem benevolentia ſit ejuſmodi, ut exiſtimetur futura ſempiterna, ſecus nec vera poteſt eſſe, nec amico digna. Scipio quidem, ut eſt apud Tullium (*in Lælio*) *negabat, ullam vocem inimicitiorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam ejus, qui dixiſſet, ita amare oportere, ut aliquando eſſet oſurus. Nec vero ſe adduci poſſe, ut hoc (quemadmodum putaretur) a Biante dictum eſſe crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus e ſeptem, ſed impuri cujuſdam, & ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam: quonam enim modo quiſquam amicus ejus eſſe poterit, cujus ſe putabit inimicum eſſe poſſe?* Iccirco nec illud probandum P. Mimi:

Ita

Ita amicum habeas, poſſe ut fieri hunc inimicum putes.

(*apud Muretum num.* 184.) hoc enim præceptum ad tollendam amicitiam valet: non erit tamen inutile, ſi ad eas amicitias referatur, quæ utilitate, aut voluptate continentur; at in iis, quæ conſtant virtute, eſt maxime perniciofum. Porro amicus non modo in amicum eſt ita affectus, ut illi bene velit, ſed etiam, ut Plutarchus ſcribit (*de Adulat. & Amic. diſcrim.*) *in id perpetuo dat operam, ut* . . . . *a quamplurimis diligatur, atque colatur;* iccircoque eum laudat abſentem, cum opportuna ſe offert occaſio.

XXXI. Alterum eſt amico benefacere, ſi modo poſſis, & tempus ferat, ut ſupra docui, hoc eſt, ei adeſſe opibus, pecunia, auctoritate, præſidio maxime in rebus adverſis: nam, ut bene P. Mimus:

Amicos res opimæ parant, adverſæ probant.

[*apud Muretum n.* 32.] *Tarquinium dixiſſe ferunt*, ut Tullius narrat (*in Lælio*) *tum cum exul eſſet, ſe intellexiſſe quos fidos amicos habuiſſet, quoſque infidos, cum jam neutris gratiam referre poſſet.* Non eſt autem ita definienda amicitia paribus officiis, & voluntatibus, ut tantumdem velis dare, quantum acceperis, ſiquidem non utilitatem ſequeris, ſed honeſtatem: *boc quidem*, ait Tullius (*cit. loc.*) *eſt nimis exigue, & exiliter ad calculos revocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum, & datorum. Ditior mihi, & affluentior videtur eſſe vera amicitia, nec obſervare ſtricte, ne plus reddat, quam acceperit: neque enim verendum eſt, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitia congeratur.* Immo interdum ea debet eſſe amicitia, ut quæ noſtra cauſa non faceremus, ea faciamus cauſa amicorum; ut precari ab indigno, ſupplicare, acerbius in aliquem invehi, quæ in noſtris rebus minus honeſte, in amicorum fiunt honeſtiſſime (*vid. Tullium cit. loc.*) *multæ quoque res ſunt, in quibus de ſuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potius, quam ipſi fruantur.*

Digitized by Google

XXXII. Nec vero expectant, dum rogentur, ſed ſponte amicorum commoditati, atque indigentiæ conſulunt etſi non rogati, ut præcipit Iſocrates (*Paræneſi ad Demonicum*) *ſic autem rectiſſime*, inquit, *tractabis amicos, ſi non expectes, dum te rogent: ſed ultro, cum tempus poſtulat, eis opem feras*. Qua in re argumentum eſt maximum ſingularis cujuſdam humanitatis & benevolentiæ amico clam prodeſſe, ne ſentiat, ſe debere, leveturque hoc onere: *ſæpenumero*, ait Plutarchus (*de Adulat. & Amic. diſcrim.*) *ſicut medicus occulte ſanat, ita & amicus ſua præſentia, aut abſentia amico prodeſt ignoranti, pro ſe curam geri*. Tum id narrat, quod geſtum eſt ab Arceſilao: hic enim ægrotanti Apelli Chio ſubvenit pecunia clam ſuppoſita pulvinari. Quantum vero ab amicitia alienum ſit, officia, ſi qua collata ſunt, exprobrare, nemo non videt; quod quidem cum cuique turpe eſt, tum amico plurimum. *Plerique*, ait Tullius (*in Lælio*) *aut queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant, eoque magis, ſi aliquid habere ſe putant, quod officioſe, aut amice, & cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. Odioſum ſane genus hominum officia exprobrantium, quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit*. Inter amicos potius liberalitate ultro, citroque certandum eſt.

XXXIII. Ex hac quidem mutua beneficentia naſcitur, ut amicorum communia dicantur omnia, & reipſa ſint; ſi tamen amicus non eſt ex eorum genere, quorum officia in verbis ſunt plurima, in factis autem nulla cernuntur, qualis erat ille, quem inſectatur Martialis [*lib. 2. Epigr. 36. in Martiali cum Juvenc.*)

> Κοινὰ φίλων, *hæc ſunt, hæc ſunt tua, Candide* πάντα
> *Quæ tu magniloquis nocte, dieque ſonas*.

Tum multis enumeratis, quibus Candidus redundaret, ita concludit:

> *Ex opibus tantis veteri, fidoque ſodali*
> *Das nihil, & dicis, Candide*: κοινὰ φίλων

XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. Porro quæ in dando ſit obſervanda menſura, præſcribit Tullius (*in Lælio*) *tantum autem*, inquit, *cuique tribuendum eſt, primum quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam quantum ille, quem diligas, atque adjuves, poſſit ſuſtinere*: neque enim par eſt amicis aut munera, aut honores, & magiſtratus tribuere, quos illi ſuſtinere nequeant cum dignitate: hæc enim, aliaque ejus generis merito danda ſunt, non gratiæ, non amicitiæ. In quo genere peccari ſolet a multis, qui, dum amicis proſint, non dubitant nocere reipublicæ, quam oportet quovis amico eſſe cariorem.

XXXV. Hoc autem in loco generalis lex illa ſanciatur, nihil omnino faciendum eſſe amici cauſa, quod turpe ſit. Itaque ſi quis poſtulet, ut vel libidinis miniſter, vel comes, vel adjutor ſis ad injuriam atque peccatum; conſtanter abnuendum, repudiandaque eſt petentis impudentia aut lenius, aut durius, prout res feret: quoniam etſi qui tale aliquid petit, niſi obſequaris, queritur, deſertum jus eſſe amicitiæ, tamen non idcirco minus peccas, niſi repugnes: *etenim nulla eſt . . . . . excuſatio peccati*, ut Tullius ſcribit (*in Lælio*) *ſi amici cauſa peccaveris*: ut enim peccat is, qui poſtulat, ita qui aſſentitur iniqua poſtulanti. Rurſus Tullius (*cit. loc.*) *æque autem nefas ſit tale aliquid & facere rogatum, & rogare*; quamquam in eo errore verſatur, ut putet, declinare interdum de via oportere in magno aliquo periculo amicorum; quippe ſcribit (*in Lælio*): *His igitur finibus utendum arbitror, ut cum emendati mores amicorum ſint, tunc ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, & voluntatum ſine ulla exceptione communitas: ut etiam ſi qua fortuna acciderit, ut minus juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum ſit de via, modo ne ſumma turpitudo ſequatur: eſt enim, quatenus amicitiæ dari venia poſſit*. Qua in re, ſi A. Gellio credimus (*Noct. Attic. lib.* 1. *cap.* 3.) Cicero ſequutus eſt Theophraſtum, qui librum ſcripſerat de amicitia: quamquam hic de quæſtione, quam modo habemus in manibus, dixit enucleatius, ille ſtrictim. Favorinus etiam philoſophus (*apud Gellium cit. loc.*) indulget aliquid amicitiæ, licet id minus honeſtum videatur.

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. Sed errant tota via. Nunquam eatenus progredi amor debet in amicitia, ut peccemus ſeu multum, ſeu parum: quod enim turpe eſt in ſeſe, nunquam licet; & præterea nec nobis utile poteſt eſſe, nec amicis: quoniam quicquid turpe eſt, idem pernicioſum eſt: *ſunt quædam nocitura impetrantibus*, inquit Seneca (*lib. 2. de Beneſ. cap. 14.*) *quæ non dare, ſed negare beneficium eſt*. Si quid petant amici, quod minus honeſtum ſit, eis morem gerere odium eſt, non benevolentia, quemadmodum ægrotis cibum ſuppeditare, qui noceat, aut enſem furioſo, aut puero, qui eo poſſit uti ad perniciem. *Exorari*, ait Seneca [*cit. loc.*) *in perniciem rogantium ſæva bonitas eſt*. Et paullo poſt, *rogantibus peſtifera largiri, blandum & affabile odium eſt . . . . . non committam, ut poſſit quandoque dicere: ille amando me occidit*. Notum eſt illud Periclis, qui amico falſum a ſe teſtimonium, quod jurejurando erat ſanciendum, ex genti, amicum ſe uſque ad aras eſſe reſpondit Δεῖμε συμπράττειν τοῖς φίλοις, ἀλλὰ μέχρι θεῶν uſque ad Deos (*Plutarchus in Apophtegm.* §. *Pericles*) melius dixiſſet uſque ad eos fines, quibus honeſtas continetur, at nuſquam extra. Certe Chilo judex Lacedæmonius, cum falſum pro amici ſalute conſilium dediſſet (quoniam aliis judicibus perſuaſit, ut eum abſolverent, quamquam ipſe ſuo voto damnaſſet) id ipſum tamen, ait A. Gellius [*Noct. Attic. lib. 1. cap. 3.*] in fine quoque vitæ an jure poſſet reprehendi, culparique dubitavit.

XXXVII. Jam vero concludo cum Tullio (*in Lælio*) *hæc igitur prima lex in amicitia ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati*: quamquam viſus eſt id convellere, quod ſapienter ſanxerat, aliquid excipiendo, cum non oporteret, ut ſupra dixi. Amico autem, qui forte queratur, id licet reſpondere, quod Phocion Antipatro *parum honeſtam a ſe rem petenti*: *non potes me & amico uti & adulatore* [*Plutarchus in opuſc. Conjugalia præcepta*] vel ſi mavis: non potes me amico uti & miniſtro atque adjutore turpitudinis: non enim poteſt quiſpiam amicus eſſe, niſi ſit idem bonus. Neque vero exiſtimandum eſt, eſſe ita te amicis alligatum, ut ab eis in magna re aliqua peccantibus, ſi opus ſit, non diſcedas.

XXXVIII.

Digitized by Google

XXXVIII. Tertium amicitiæ munus, quod ex ſuperiore conſequitur, eſt amico ſalutare conſilium dare, cum oportet: *conſilium verum*, ait Tullius [*in Lælio*] *dare gaudeamus libere:* hoc tale eſt interdum, ut ex eo pendeant & fortunæ, & fama, & ſalus amicorum. Huc pertinet auctoritate uti ad monendum non modo aperte, ut Tullius ſcribit, (*cit. loc.*) ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: quamquam enim veritas, ut dixit (*in Andria act. 1. ſcen. 1.*) Terentius, odium pariat, quod eſt venenum amicitiæ; tamen *obſequium multo moleſtius*, ut bene Tullius (*in Lælio*) *quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinit. Scitum eſt enim illud Catonis*, ut paullo poſt ait Tullius, *multo melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videantur: illos verum ſæpe dicere, hos nunquam.*

XXXIX. Verum in admonitionibus magna quædam adhibenda prudentia eſt, itaque vulnus tractandum, ut non recrudeſcat. Præclara hac de re præcepta tradita ſunt a Plutarcho [*de Adulat. & Amici diſcrim.*] Eorum quædam leviter attingam hoc loco. Primum probus ſit, qui amicum velit reprehendere ac mordere, ne audiat, ſibi illud objici:

Aliis medetur ipſe vulneribus ſcatens.

[*apud Plutarchum cit. loc.*] Si tamen incidat cauſa, cum, qui nocens eſt, neceſſitate impellatur ad admonendum, tunc & ſe eadem in culpa eſſe fateatur, a qua velit abſtinere in poſterum. Hæc delicti confeſſio benevolentiam conciliat, removetque contemptionis ſuſpicionem, ſi qua ſit, & in animum illabitur adhortatio, influitque ſuavius.

XL. Tum cavendum maxime, ne perturbatione aliqua permoveri & cupiditate ad arguendum, & noſtri cauſa quaſi laceſſiti, aut injuria violati aliquid exprobrare videamur: ſecus vituperatio potius videtur, quam amica admonitio. Itaque ſpectare id oportet, quod ad utilitatem, ac ſalutem conferat amicorum.

XLI. Similiter dicendi libertas ſeria ſit, gravis, modeſta, contumeliis vacans omnino, inſectatione, riſu, ſcurrilitate, levitate, quæ argumenta ſunt contemptionis & odii, non benevolentiæ & caritatis; ut medicus dum carnem

nem amputat male affectam, ſolertia quidem, at non geſtus ineptiis utitur ad ſecandum. Immo ſi rei magnitudo poſtulat, animi affectus quidam, qui in vultu, oculiſque cernatur, ſit orationis comes, vociſque contentio ad perſuadendum idonea.

XLII. Item commoda captanda eſt adhortationis occaſio: qua contempta vix ſperare poſſumus fore, ut felix exitus conſequatur. Nullum tempus magis importunum eſt, quam inter dapes & pocula; cum animi ægre patiuntur quaſi nubem induci ſerenitati, & ob vinum ſolent præcipites eſſe ad iracundiam. Sed neque afflictis rebus eſt adhibenda monitio; quoniam calamitates ipſæ per ſeſe adducunt ad pœnitendum, & corrigunt: nec conſentaneum eſt ægrum animum exaſperare ſermone, quaſi in male valentem oculum injecto ſale, & proſtratum jacentemque adoriri: *nam & nutrices*, ait Plutarchus [*opuſc. de Adulator. & Amici diſcrim.*] *puerulis cadentibus non accurrunt, ut maledictis inceſſant, ſed erigunt, abluunt, ſedant; poſtea tandem objurgant, atque caſtigant.* Secus faciunt non pauci, qui reprehendunt in adverſis, cum æquanimitate & auxilio opus eſt; adulantur in proſperis, cum admonitio neceſſaria eſt ad continendam temeritatem, qua plerique impelluntur ad malefacta.

XLIII. Intelligendum etiam, non eſſe monitioni locum, cum in amicorum animo vehemens aliqua perturbatio, aut inflammata cupiditas dominatur: nam jacet ratio quaſi proſtrata, pravæ affectionis æſtu concitato. Itaque oportet eatenus expectare, quatenus ea deferbuerit, & ratio cœperit reſpirare.

XLIV. Quod vero ſit tempus opportuniſſimum ad corrigendum, prudentia præſcribet, habita ratione & rei, & ejus indolis, atque ingenii, qui ſit monendus. Interdum ipſi iidem amici occaſionem præbent admonitioni, dum narrant, aut ſciſcitantur aliquid, aut queruntur de accepta injuria, aut conſilium petunt, obtrectatoreſve vituperant; quod poſtremum ſi faciant, erit monendi locus, ut cautius vivant, ſaltem ne materiam dent adverſariis maledicendi. Venuſte admodum, urbaneque facient ii, qui monendi occaſionem ſumant a ſuis, eos increpando coram amico de vitio, a quo & ipſum cavere oporteat.

XLV

XLV. Mox non palam ſunt amici increpandi, ſed privatim ac ſeorſim: ut enim turpis morbi, ita peccati patefactio, ſanatioque occulta debet eſſe, nihil habens oſtentationis & pompæ, ne moleſtiam capiat ægrotus rubore ſuffuſus, & iraſcatur. Socrati neſcio quem reprehendenti in convivio cum Plato dixiſſet; *nonne ſatius fuiſſet hoc privatim facere*, reſpondit Socrates: *& tu nonne rectius de hoc ſeorſum me monuiſſes?* (*Plutarchus cit. loc.*) Præſertim vero nemo coram iis reprehendatur, a quibus ſe in pretio haberi velit; nec qui peccavit, conferatur cum aliis melioribus: quoniam odioſa eſt ea comparatio, niſi ſint ex eadem familia inſignes viri, quorum præclara geſta proponantur ad imitandum.

XLVI. Deinde in monitionibus expediet initium ducere a laude, ut ad eas libenter excipiendas mollior ſit animus, quemadmodum formam ſuſcipit ferrum, quod ignis ante mollivit. Sic ille apud Homerum (*Iliad. lib. 5. v. 171. apud Plutarchum cit. loc.*)

Pandare, qui nulli es noſtrorum laude ſecundus,
Arcus ubi tuus eſt, volucres ubi ſuntque ſagittæ?

Immo quod turpe eſt in delicto, eo mitiori nomine, quo poteſt, tegatur, dicaturque V. C. noli certare cum fratre, quam ne fratri invideas: fuge ſocios, qui te pertrahunt ad vitia, quam ſocios ne inficias improbitate; & identidem prudentis eſt reprehenſionem admixtis laudibus mitigare, ne clarum lumen inflammato oculo injiciatur. Sic medicus non ferrum, aut ignem admovet, ſi morbum ſomno, aut dulci potione poſſit depellere. Nec vero ulli æquum eſt poteſtatem adimere purgandi ſui: immo eſt accipienda excuſatio, modo a peccato caveatur in poſterum; ac generatim omnis habenda ratio eſt, ut monitio careat acerbitate.

XLVII. Verum ſi cohibendus, comprimenduſque ſit ardens impetus ad voluptatem, ad iracundiam, ad contumeliam, ad avaritiam, ad alia hujus generis, & ab incepto depellendus is, qui ſit peccaturus, tunc amicum in increpando oportet eſſe vehementem, & quam indecorum ſit tale quidpiam, quam abſurdum, quam turpe, quam pernicioſum graviſſimis verbis oſtendere: eſt enim conſentaneum vim vi, & impetum

Digitized by Google

impetu continere; modo ſemper objurgatio vacet contumelia. Sed aſperiora verba lenibus concludantur: *imitari debemus medicos*, inquit Plutarchus (*de Adulat. & Amic. diſcr.*) *neque enim illi ubi ſectionem adhibuerunt, partem affectam in dolore relinquunt, ſed hunc placide rigando, & perfundendo amoliuntur: nec qui civiliter verbis objurgant, acerbitate, & morſu orationis defuncti aufugiant, ſed aliis colloquiis, ſermonibuſque lenibus demulceant ac recreent: quemadmodum lapicidæ ſtatuas aſpere exciſas lævigant, atque poliunt. Ictus autem aliquis libera oratione & compunctus ſi relinquatur aſper, animoque ob iram turgente & æſtuante, in poſterum ad æquanimitatem revocari, & conſolando deliniri vix poteſt. Quare hoc inter præcipua obſervandum eſt, ne verbis amicum caſtigantes, colloquium verbis moleſtiam afferentibus, & irritantibus abrumpentes diſcedamus.*

XLVIII. Poſtremo videndum eſt, ne monendi, objurgandique libertate utamur in omnibus, ſed in rebus tantum gravioribus: nam id facere in minutis quibuſque, & levibus non amici eſt, ſed pædagogi, & hominis auſteri, moleſti, curioſi, omnia introſpicientis & caſtigantis, quem non amici modo, ſed nec filii, ac famuli ferre poſſint. Ex quo etiam conſequitur, ut quæ in re levi paſſim adhibetur monitio, efficacitate careat in magnis; ut contingere in mulierculis ſolet, quæ cum nunquam ſileant, & facta omnia, nugaſque filiorum, & ineptias reprehendant, nihil impetrant, & contemnuntur.

XLIX. Quemadmodum vero proprium eſt amicitiæ monere, & hoc quidem libere facere, & fere non aſpere; ita proprium eſt moneri, & id libenter excipere, non repugnanter: *& monendi amici ſæpe ſunt*, ait Tullius [*in Lælio*] *& objurgandi; & hæc accipienda amice, cum benevole ſiunt*: nullum enim poteſt eſſe gravius argumentum caritatis, quam monitio: qui enim monet, quoniam ſolet veritas odium parere, amicorum utilitatem anteponit ſuæ, & prodeſſe mavult, quam amari, & in amicum beneficium confert ejuſmodi, quo nullum eſt præſtabilius; nam attingit animum, moreſque componit, conſulitque famæ, atque adeo ipſi felicitati; eoque pluris hoc benevolentiæ officium æſtimandum eſt, quo ſunt, qui velint id præſtare, pauciores.

L.

Digitized by Google

L. Verum plerique ea ſunt judicii perverſitate, ut quod magnum eſt bonum, id habeant injuriæ loco, eoſque pudeat deformes videri, non eſſe: itaque illis ſuccenſent, qui objiciunt ſpeculum, in quo, ſi quid habent, quod maculoſum, contaminatumve ſit, queant cernere. *Atque illud abſurdum eſt*, ait Tullius [*in Lælio*] *quod ii ſcilicet, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiant; eam capiunt, qua debent carere: peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſte ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, objurgatione gaudere*. His quidem, qui admonitorem reſpuunt, male futurum eſt: *cujus autem aures*, ut ſcriptum eſt a Cicerone [*cit. loc.*] *clauſæ veritati ſunt, ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt*.

LI. Quartum amicitiæ munus eſt proſpera cum amicis communicare, quod utrique jucundum eſt, & ei, quo cum illa communicantur (nam ſi vetus amicus eſt, vehementer gaudet, & in partem venit voluptatis) & ei, qui communicat; cum latius fundatur id, quod delectat, & ex aliena lætitia etiam propria excitetur & creſcat. *Verum igitur illud eſt*, ait Tullius (*in Lælio*) *quod a Tarentino Archyta, ut opinor, dici ſolitum noſtros ſenes commemorare audivi ab aliis ſenibus auditum: ſi quis Cælum aſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem illam admirationem ei fore; quæ jucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem, cui narraret, habuiſſet*. Ex quo natum proverbium: ne in Cælo quidem ei, qui ſolus ſit, bene eſſe. Quamobrem *in proſperitate*, ut Ariſtoteles ſcribit [*lib.9. Ethic. cap.10.*] *ſi actionis, efficiique cauſa poſtulat, ſtudioſe ad amicum eundum eſt: ejus enim rei gratia amici deſiderantur*.

LII. Verum non quemadmodum ad ſocietatem, & communionem rerum ſecundarum amici vocandi ſunt, ſic pari ratione ad ſocietatem calamitatum: nam illud alacriter ac ſemper, cum fieri poteſt, hoc timide & raro: *neque enim rectum eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.9. Ethic. cap.12.*) *cum amicis, aut benemeritis mala communicare. Ex quo factum eſt proverbium: ſatis ego, ſuperque miſer ſum*. Porro augetur moleſtia ex dolore amicorum. Quapropter parentes, qui filios amant, eis ſæpe occultant ærumnas, ſi quas patiantur; & filii viciſſim: *quoniam omnes cavent*, ait Ariſtoteles [*cit. loc. cap.11.*] *ne*

amicis cauſas doloris afferant; iccirco qui ſunt magno fortique animo præditi natura, dant operam, ne amici in partem veniant doloris ſui . . . omninoque eos reſpuunt, qui ſocios ſe præb.nt lamentorum; propterea quod ne ipſi quidem propenſi ſunt ad lamentandum. At vero mulierculæ, ſimileſque muliercularum viri eorum potiſſimum conſuetudine delectantur, qui ſocios ſe præbent gemitus, & lacrymarum, eoſque loco amicorum diligunt. Sed par eſt ſcilicet in omni re optimum quemque imitari. Si tamen amici, levi ſuſcepta moleſtia, plurimum queant prodeſſe, tunc vocandi ſunt maxime. Secus expediet, ſæpe nos contentos eſſe amicorum præſentia, quæ in rebus aſperis jucundam vitæ conſuetudinem, ſenſumque ſuavem efficit.

LIII. Similiter ut amici, quoad fieri poteſt, non ſunt afficiendi moleſtia communicatione calamitatum, ita ſenſim, timideque oportet poſtulare beneficia, ne illis, quos amamus, plus æquo incommoda pariantur. *Contraque decet*, ait Ariſtoteles (*lib.9. Ethic. cap 12.*) *ad eos, qui calamitate premuntur, invocatum, & ſtudioſe venire; ſiquidem amici eſt liberalitate uti in eos præſertim, qui opis indigeant, & in eos, qui non rogarint: nam in utroque præclarius eſt, & ſuavius.*

LIV. Quintum eſt ſuavitate cum amicis uti in ſermone, ac moribus. *Accedat huc*, ait Tullius [*in Lælio*] *ſuavitas quædam oportet ſermonum, atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeveritas abſit. Habet illa quidem gravitatem, ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem, facilitatemque proclivior.* Iccirco Ariſtoteles (*lib.8.Ethic. cap.5.*) ſcribit, ſenes minus idoneos ad amicitiam videri propter moroſitatem; *quippe cum nec in iis*, inquit, *ſit admodum jucunditatis, & nemo poſſit cum triſti, cumque eo, qui minime ſe jucundum exhibeat, vivere: nam & dolorem natura fugit, & voluptatem ſequitur maxime.* Verum ſapientis, & experti ſenis amicitia nihil utilius eſt, nihilque jucundius, cui qui familiaritatem præferunt juniorum, interdum & ſibi perniciem creant, & rebus publicis.

LV. Quamquam vero facilitas eſſe debet in amicitia; fugiendi tamen ſunt ſcurriles joci, ac mimici, & multo magis

gis inverecundi *: nam maximum ornamentum amicitiæ tollit*, ut rurſus Tullius (*in Lælio*) *qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis perniciofus eſt error, qui exiſtimant, libidinum, peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam: virtutum enim amicitia adjutrix a natura data eſt, non vitiorum comes: ut quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire, conjuncta & ſociata cum altera perveniret. Quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt; eorum eſt babendus ad ſummum naturæ bonum optimus, beatiſſimuſque comitatus*. Ea propter amici non ſolum, ut paullo ante ait Tullius, *colent ſe inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur*, quaſi ſint ſacro quodam fœdere copulati.

LVI. Sextum eſt cum amicis conſuetudinem habere, vitæque ſocietatem: his enim amicitia maxime confirmatur, & huc ſpectat tamquam in id, ad quod refertur, ut ſupra vidimus. Si tamen amicus abeſſe debeat juſtis de cauſis, id modice ferendum eſt. *Recte etiam*, ait Tullius [*in Lælio*] *præcipi poteſt in amicitiis, ne quis intemperata quadam benevolentia [quod perſæpe fit] impediat magnas utilitates amicorum: nec enim (ut ad fabulas redeam) Trojam Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter ſuum impedientem audire voluiſſet. Et ſæpe incidunt magnæ res, ut diſcedendum ſit ab amicis, quas qui impedire vult, quod deſiderium non facile ferat, is & infirmus eſt, molliſque natura, & ob eam ipſam cauſam in amicitia parum juſtus.*

LVII. Septimum eſt conſtantiam tueri in amicitia; quippe quæ *ſtabile requirit quippiam*, ait Plutarchus [*de amicorum multitud.*) *& immutabile ingenium*, quod idem ſit, &, niſi juſtæ incidant cauſæ, cum amico contineatur, atque cohæreat fœdere ſempiterno; nec in bonis eum rebus contemnat, nec in malis deſerat. Hoc quidem maxime præclarum eſt. *Qui igitur*, ut Tullius ſcribit (*in Lælio*) *utraque in re gravem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maxime raro hominum genere judicare debemus, & pene divino. Addendum eodem eſt*, ut rurſus ſcriptum eſt a Tullio (*cit. loc.*) *ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis* (al. *illatis*) *quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, conſtantiam*. Immo amici eſt oblatas cri-

mi-

Digitized by Google

minationes depellere, & ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, exiſtimantem aliquid ab amico aut violari poſſe, aut eſſe violatum: nam & id eſt amoris firmitati contrarium.

LVIII. Octavum, quo conſtantia nititur quaſi fundamento, eſt fides: in quam rem ita Cicero [*in Lælio*] *firmamentum autem ſtabilitatis, conſtantiæque ejus, quam in amicitia quærimus, fides eſt: nihil enim ſtabile eſt, quod infidum eſt.* Eam vero ſervare oportet omnino cum in reliquis, tum in arcanis, quorum communicatio fructus eſt jucundiſſimus amicitiæ, idque ita ejus proprium, ut ſecus nulla eſſe videatur. *Si aliquem amicum exiſtimas*, ait Seneca (*Epiſt.* 3.) *cui non tantumdem credis, quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ.* Et paullo poſt: *cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce . . . . . . quid eſt ergo, quare ulla verba coram amico retraham? quid eſt, quare me coram illo non putem ſolum?* Monet tamen ſapienter Seneca, ita vivendum, ut nihil ei committatur, niſi quod committere etiam poſſis inimico. At veri amici, quibuſcum ſint arcana communicanda, aut pauci admodum futuri ſunt, aut unus, ut & Theognidi viſum eſt (*in Sentent. Theognid.*)

Rem vero ne amicis omnino communica cum omnibus,
Pauci ſane e multis fidelem habent mentem,
Paucis viris fidens magnas res aggredere.

Secus ac quidam faciunt; & iccirco cum multa meditentur, variis opinionibus impediti nunquam ad exitum perveniunt.

LIX. Poſtremum, quod, etſi minimum videtur eſſe, tamen non eſt contemnendum, hoc quidem eſt, amicos inter ſe paucis contentos eſſe oportere: ex quo factum proverbium: *ad ſalem, & cuminum eſſe amicos;* quo eos ſignificari ait Apollophanes grammaticus [*apud Plutarchum Sympoſiacon, ſeu Convival. diſp. lib.* 5. *q.* 10.] *qui ita ſunt inter ſe familiares, ut etiam ſale, & cumino ſolis propoſitis una cœnent.* Et hæc quidem præcipua ſunt veræ amicitiæ munera.

LX. Quiſque autem videt, quam rara ſit ea, de qua dixi hactenus, amicitia: *ex infinita ſocietate generis humani,* ait Tullius (*in Lælio*) *quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt, & adducta in anguſtum, ut omnis charitas*

aut

aut inter duos, aut inter paucos jungeretur. Et quidem ſi remotiorem velimus ſcrutari vetuſtatem, memoriæ proditum eſt, duos tantum fuiſſe amicitia copulatos, Theſeum & Pirithoum, Achillem & Patroclum, Oreſtem & Pyladem, Pythiam & Damonem, Epaminondam & Pelopidam (*apud Plutarchum de Amicor. multitud.*) Immo hæc fabuloſa eſſe, & commentitia cenſet Jo. Caſus (*in Speculo qq. moral. lib.*8. *cap.*1.) veramque amicitiam nuſquam eſſe affirmat in civitate; attamen de ea utiliter diſputari, quemadmodum de perfecto oratore, qui nuſquam eſt, ut dum ad ſumma contendimus, ſaltem mediocritatem aſſequamur, & plura faciamus, quæ veræ amicitiæ ſunt propria; ſin minus omnia.

LXI. Equidem ſentio, non rem quamdam inanem, & quaſi umbram eſſe amicitiam; ſed ejus tamen tantam eſſe vim, tantamque præſtantiam, ut niſi in ſanctiſſimis viris eſſe non poſſit omnibus numeris abſoluta; qualis reipſa fuit Gregorii Nazianzeni antiſtitis cum Baſilio, Caſſiani cum Germano, Auguſtini cum Alipio, aliorumque cum aliis, qui ſumma vitæ, morumque innocentia floruerunt: ſancti enim viri cum ſui ſimillibus facillime conglutinantur. Cæterum perfecta amicitia vix eſſe poteſt in aliis; quippequæ animum poſtulat quavis cupiditate vacuum, qui omnia communicet cum amico, & nulli deſit officio exquiſitiſſimæ charitatis: quare mihi illa quidem non modo virtus videtur, ſed etiam heroica, ac ſepta præcellentium virtutum apparatu. Itaque qui ad ſummam virtutem propius accedit, is futurus eſt in amicitia perfectior.

LXII. Nec tamen nego, forte inter quoſdam e priſcis viris ita amorem exarſiſſe, ut omnibus functi ſint officiis amicitiæ: ferunt enim Polyſtratum & Hippoclidem ita amicos extitiſſe, ut una jucundiſſime viverent, unaque patrimonium & poſſiderent, & in communes uſus impenderent. Verum id, ut ut eſt, Valerius Max. narrat in capite de miraculis (*lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 17. *inter externa*). *Merito ergo majorem in modum laudamus*, ſcribit Plutarchus (*de Amicorum multitud.*) *adoleſcentem illum Menandri, qui ſe valde admirari ait unumquemque bonorum, cui amici vel umbra obtigerit.*

LXIII.

LXIII. Quapropter quanto ſunt amici rariores, tanto in eorum delectu major quædam adhibenda cura eſt, & diligentia; quod plerique non faciunt. Scipio (*apud Tullium in Lælio*) *querebatur, quod in omnibus rebus homines diligentiores eſſent: capras, & oves quot quiſque haberet, dicere poſſe: amicos quot haberet, non poſſe dicere; & in illis quidem parandis curam adhibere, in amicis eligendis negligentes eſſe, nec habere quaſi ſigna quædam, & notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei, judicarent.* Quapropter primum monet Tullius (*cit. loc.*) *eſſe prudentis ſuſtinere, ut curſum, ſic impetum benevolentiæ; quo utamur, quaſi aquis tentatis, ſic amicitiis, aliqua parte periclitatis moribus amicorum.* Neque experiendum eſt in ipſa amicitia, ſecus præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi poteſtatem: *cum judicaveris*, ait Tullius (*in Lælio*) *diligere oportet, non cum dilexeris, judicare.*

LXIV. Quo fit & tempore opus eſſe, & ſolertia: ſi enim hæc ſunt neceſſaria ad deligendum eos, qui recte colloquantur in choro, ut monet Plutarchus (*de Amicor. multitud.*) navemque ducant pari incitatione remorum, aut rem familiarem præclare adminiſtrent, aut utiles pædagogi futuri ſint liberorum; quanto magis ut is reperiatur, qui promptus ſit, ac paratus ad omnem fortunæ aleam nobiſcum ſubeundam, & (*apud eumdem Plutarchum cit. loc.*)

Socium ſecundis eſſe rebus ſe velit,
Tuum nec averſetur infortunium?

Etenim male ac temere contractam amicitiam aut retinere, aut diſſolvere grave & moleſtum eſt: quemadmodum aut retinere, aut evomere pernicioſum cibum, quem ſumpſeris; & præterea indecorum eſt amicos identidem mutare quaſi calceos ac veſtes: *ſubinde mutare familiaritates*, ait Iſocrates [*ad Demonicum*] *æque turpe eſt, atque amicum habere neminem.* Hinc etiam odia ſæpe, diſſenſioneſque naſcuntur, contumeliæ, & querimoniæ. Omnino autem *omnium horum vitiorum, atque incommodorum una cautio eſt*, ſcribit Tullius [*in Lælio*] *atque una proviſio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve indignos.* Ex quo extat proverbium, mul-

multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut qualis quiſque ſit, noſcatur (*apud Ariſtotelem lib. 8. Ethic. cap. 3. Tullium cit. loc. Plutarchum de Amic. multitud.*)

LXV. At vero a multis, quod reprehendit Plutarchus (*cit. loc.*) *qui ſemel una potaverint, aut pila luſerint, vel alea, aut ex caupona, palæſtra, forove una diſceſſerint, amici leguntur*, qui profecto eſſe ne poſſunt quidem, niſi iis dotibus præditi ſint, quas poſtulat amicitia, & ſi indigni ſunt, tum qui eos aſciverint, pœnas luunt temeritatis & negligentiæ ſuæ, non levi accepto damno aut in fama, aut in bonis animi, & fortunarum: *cum multis in rebus*, ait Tullius (*in Lælio*) *negligentia plectimur; tum maxime in amicis & deligendis, & colendis: præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus, quæ vetamur veteri proverbio: nam implicati ultro & citro vel uſu diuturno, vel etiam officiis, repente in medio curſu amicitias, exorta aliqua offenſione, diſrumpimus*, & tum denique damnum ſentimus, cum illatum eſt, ut perpotato veneno, apparet illud eſſe letale (*vid. & Plutarchum de Adulat. & Amic. diſcrim.*)

LXVI. Sed quæ ſigna ſunt ac notæ eorum, qui ad amicitiam judicentur idonei? Omnium quidem prima eſt probitas, ut ex iis, quæ non multo ante dixi, poteſt intelligi. *Ea vero neglecta*, ait Tullius (*in Lælio*) *qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt, cum eos gravis aliquis caſus experiri cogit*. Itaque videndum eſt, an is, quo uti volumus quaſi amico & neceſſario, ſit firmus, ſtabilis, ac conſtans; & perſpici poteſt in parva pecunia, tum in magna, in contentione honoris, in ſocietate calamitatum (*vid. Tullium cit. loc.*) num ſimplex, conſentiens, docilis ac fidelis. Fidem autem licet periclitari, ſi in conſilium adhibeas amicos *de rebus, quas vulgari nihil refert*, ait Iſocrates (*ad Demonicum*) *perinde ac ſi arcanæ ſint: nam & deceptus nihil detrimenti capies, & voti compos factus mores eorum habebis perſpectiores*. Illud etiam intereſt, an qui in amicum eſt eligendus, ſuavis ſit moribus ac ſermone, non triſtis & ſeverus, nec ſuſpicioſus & credulus. Oportet autem omnia conſiderare diligentius, facta, ſermonem, oris habitum, geſtum, motum etiam pedum, manuum &

 ocu-

oculorum, quæ interdum ſunt tacitus quidam ſermo mentis, ut dixi alio in loco (*lib.3. part.2. cap. 4.*)

LXVII. Præterea animadverte, an ipſe idem te laudet abſentem, & quo pacto in te animati ſint ii, quorum conſuetudine, familiaritateque utitur: eorum enim contemptio argumentum ſolet eſſe pravæ opinionis de tuis rebus, vitæque rationibus, quam animo imbiberint ex frequenti colloquio cum eo, qui tibi amicus eſſe videatur. Huc item ſpectat monitum Iſocratis (*in Paræn. ad Demonicum*): *amicitiam cum nemine jungito, priuſquam exploraveris, quo modo prioribus amicis fuerit uſus. Sperabis enim, eum in te quoque fore talem, qualem erga illos ſe præbuerit.*

LXVIII. Cæterum tamquam peſtis, improborum conſuetudo vitanda eſt: quoniam perniciem affert & animo, & fortunis, & famæ. Immo inter bonos optimum eligi par eſt. *Rarum genus*, ut Tullius ait (*in Lælio*) (*& quidem omnia præclara rara*) *nec quicquam difficilius, quam reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum.* Saltem cures oportet, ut ex amicitia melior poſſis evadere: quare id monet Confucius (*lib. 3. Scient. Sinic. part. 1.*) ne contrahas amicitiam & familiaritatem cum quopiam, qui ſit deterior, quam ſis tu ipſe, quippe damno tibi futuram, quam uſui: immo quos te meliores eſſe viros cognoveris, hos ſectare, his jungere.

LXIX. Quæſtio autem exiſtit hoc loco, præſtet ne plures habere amicos, an unum, vel paucos: ſunt enim, qui omnem omnino repudiant amicitiam; alii vero etſi probant, tamen jungendam volunt cum uno, aut paucis admodum. Quibus videtur præſidii tantum adjumentique cauſa, non benevolentiæ neque charitatis, amicitias eſſe expetendas, ii quidem perfectam amicitiam nullam relinquunt; quo nihil magis eſt ab humanitate disjunctum: tollunt enim id, quod maxime hominis proprium eſt, benevolentiam, ac in ejus locum ſuſtituunt cupiditatem, quam oportet ab honeſto viro cohiberi: *ſolem . . . . . . e mundo*, ait Tullius (*in Lælio*) *tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt: qua a Diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius.*

LXX. Qui vero fugiendas eſſe nimias amicitias volunt, has fere afferunt cauſas ſententiæ ſuæ, quas recenſet Tullius

Digitized by Google

lius (*in Lælio*) hoc eſt, *neceſſe ſit, unum ſollicitum eſſe pro pluribus; ſatis ſuperque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum curam, alienis nimis implicari, moleſtum eſſe; commodiſſimum eſſe quam laxiſſimas habenas habere amicitiæ, quas vel adducas, cum velis, vel remittas*: (Hæc ſunt apud Euripidem (*in Hippolito*)

Oportet mediocri inter ſe
Amore homines miſceri,
Et non ad extremam medullam animæ.
Et amorem poſſe deſinere,
Et expelli, & extendi,

caput enim eſſe, pergit Tullius (*cit. loc.*) *ad beate vivendum ſecuritatem; qua frui non poſſit animus, ſi tamquam parturiat unus pro pluribus*.

LXXI. Alias addit cauſas Plutarchus (*de Amic. multitud.*) remitti, & tenuem eſſe amorem, qui diſſipatur in multos, ut amnis in plures alveos disjectus; non ſatis eſſe ocii, & temporis ad periclitandos mores multorum, noſcendamque naturam; difficile eſſe conſuetudine, quam poſtulat amicitia, uti cum multis, cum eorum diverſa ſint ſtudia ac negocia, & alter hinc retrahat, quo alter vocat: excuſatio autem, quod uni amico operam dederis, non tollit offenſionem, ſed auget; propterea quod unum alteri prætuliſſe videaris, quod odioſum eſt. Accedit, quod debet eſſe inter amicos dictorum, ſententiarum, conſiliorumque conſenſio. Sed hæc in pluribus eſſe vix poteſt. Similiter inimicitiis nos implicant amicitiæ: evadunt enim amici participes injuriarum, & odii: nam ſi qui aliquem oderint, ſtatim & ejus amicum ſuſpectum, & inviſum habent. Quo ſpectat illud Timeſiæ reſponſum [*apud Plutarchum cit. loc. vid. & opuſc. de capienda ex hoſtibus utilit.*]

Quære examina apum, veſparum & habebis abunde.

Poſtremo pauci ſunt, qui velint comites eſſe calamitatum. Quibus efficitur, expetendam non eſſe multitudinem amicorum.

Digitized by Google

LXXII. Ariſtoteles etiam quaſdam attingit earum rationum (*Ethcb. lib. 9. cap. 10.*) & concludit: *quapropter forte hic præclare agetur, ſi minus, quam plurimos amicos quæramus: & tantum certe numerum, quantum ſat ſit ad vitæ degendæ inſtitutum*. Et paullo poſt (*cit. loc.*) *qui autem multitudinem, & quaſi cohortem ſibi adjungunt amicorum, quique ſe familiariter gerant cum omnibus, ii amici nemini videntur niſi more urbanorum, quos vocant comes, & affabiles*.

LXXIII. Equidem nullos repudiarem amicos, ſi amicitia dignos reperirem, qui profecto rari ſunt; quoniam ſi amicitia una honeſta eſt, cur non multæ? Si diligere, ac diligi laudabile eſt, igitur etiamſi id fiat a pluribus. Oportet amplificare, non in anguſtum contrahere virtutem. Moleſtiarum cauſa non minus amicitia repudianda eſt, quam virtus, quæ ſine moleſtiis ac laboribus eſſe nullo modo poteſt: virtute autem ſublata, tolli quoque felicitatem neceſſe eſt. *Ergo hoc proprium eſt*, ait Tullius (*in Lælio*) *animi bene conſtituti & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem ſi cadit in ſapientem animi dolor, qui profecto cadit, niſi ex ejus animo extirpatam humanitatem arbitremur, quæ cauſa eſt, ut amicitiam funditus tollamus e vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias?* Immo nobilis & excelſus animus ex laboribus & curis pro aliena commoditate ſuſceptis, atque ex beneficentia quamdam capit maximam voluptatem: nihil eſt enim honeſte factis ut præclarius, ita jucundius.

LXXIV. Nec vero amor iccirco remiſſior eſt, quod fundatur in multos: eſt enim, non ut aqua, ſed quaſi ſol, a quo in unum æque, ac infinita corpora lux & calor permanat: nihil enim de affectione benevolentiæ detrahit eorum multitudo, qui diliguntur. Quod ſumunt, diuturno tempore opus eſſe ad judicandum de moribus amicorum, aſſentior quidem; ſed in eo errant, quod arbitrari videantur, non poſſe certo quodam tempore ſimul experimentum ſumi de multis pro oblata opportunitate. Ad officia quod pertinet, quæ pluribus præſtanda ſint, ſi quod gravius eſt, & honeſtius, reliquis præferatur, iniqui ſint, qui id ægre ferant, ideoque nec digni amicitia. Cæterum ii ſunt deligendi, quibuſcum intercedat ſimilitudo ſtudiorum, & conſenſio volun-

luntatum. Tandem amici ab inimicitiis, & ſimultatibus ſunt maxime revocandi, curandumque, ut cum iis redeant in gratiam, a quibus abalienati ſunt; ex quo omnes intelligent, tibi cum amicorum, tum etiam aliorum utilitatem, & quietem cordi eſſe, averſique animi ſuſpicionem propulſabis communi in omnes charitate. Quod ſi in aliquam ſine culpa inimicitiam incidas cauſa amicorum; id quidem videri debet glorioſum atque jucundum, non ſecus ac cum in te invidiam conflas alienam cauſa virtutis & benefacti, quale eſt tueri patriam, juſtitiam, æquitatem, fidem.

LXXV. At enim: cum non modo res ſecundas, ſed etiam adverſas communes eſſe oporteat inter amicos, quî fieri poteſt, nos cum iis dolere qui dolent, eodemque tempore cum gaudente lætoque gaudere & affici voluptate, aliaque, quæ contraria ſunt, facere? Ne hoc quidem difficile eſt, varias in animo affectiones ſimul excitari pro rerum varietate: benevolentia enim, & charitas diverſas formas induit; quippequæ, cum tenera ſit atque tractabilis, cuique ſe accommodat.

LXXVI. Itaque non video, cur amicorum multitudo ſit repudianda. *Quid autem ſtultius*, ait Tullius (*in Lælio*) *quam ut plurimum copiis, facultatibus, opibus poſſint cætera parare, quæ parant, pecuniam, equos, famulos, veſtes egregias, vaſa pretioſa; amicos non parare, optimam, & pulcherrimam vitæ, ut ita dicam, ſupellectilem. Etenim cætera cum parant, cui parent, neſciunt, nec cujus cauſa laborent .... amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis, & certa poſſeſſio*. Sed non opus eſt hac de re plura dicere: nam qui verum amicum reperire poſſit vel unum, eum judico eſſe beatiſſimum. Socrates quidem (*in Lyſide*) *amicum bonum*, inquit, *habere malim .... quam Darii aurum adipiſci, vel ipſum Darium capere*. Et Jo. Sleidanus (*in Aur. Pythag. Carm.*)

Si quis amicitiæ legum perdoctus amicum
Deligat, haud parvum repperit ille bonum.

LXXVII. Jam vero duo ſuperſunt, de quibus pauca dicam. Primum eſt, quænam ea ſint, quæ amicitiam conciliant; quod quidem magna ex parte e ſuperioribus poteſt in-

intelligi. Virtus profecto, quæ latiſſime patet, via eſt, maximeque opportuna & neceſſaria ad contrahendam amicitiam, ut ea oſtendunt, quæ dixi cum paullo ante, tum aliis in locis (*lib.1. cap.19.*, & *lib.3. part.1. cap.12.*) eamdemque vim habet benevolentia & gratia: *quod autem eſt numiſma*, ait Plutarchus [*de Amic. multitud.*] *quo amici comparantur? benevolentia, & gratia cum virtute conjuncta, quibus rebus nihil rarius fert natura*. His accedat neceſſe eſt morum manſuetudo & facilitas, ac ſuavis & blanda conſuetudo, ſublato gravitatis & auctoritatis metu: *quis enim*, ait Tullius (*in Lælio*) *aut eum diligat, quem metuit, aut eum, a quo ſe metui putet?*

LXXVIII. Magna etiam amicitiæ conciliatrix eſt ſimilitudo ſtudiorum & voluntatum. Rurſus Cicero (*in Lælio*) *recte addi poteſt, nihil eſſe, quod ad ſe rem ullam tam alliciat, & tam attrahat, quam ad amicitiam ſimilitudo*. Et Ariſtoteles (*lib.9. Ethic. cap.4.*) *in quibus eadem inſunt ſtudia, eædem voluntates, ii amici nominantur*: nam ut nobis amici ſumus, ita ad eorum, qui nobiſcum ſimilitudine quadam conſentiunt, amicitiam trahimur. Quo ſpectant hæc [*apud Plutarchum de Adulat. & Amic. diſcrim.*]

Seni ſenilis vox eſt jucundiſſima,
Puero puer, mulieri mulier congruit,
Ægrotus ægrotanti: cui res aſperæ
Sunt, is experto calamitatem concinit.

LXXIX. Quod ſi aliquando cauſa odii eſt ſimilitudo, iccirco id fit, quod utilitati, aut voluptati, aut gloriæ, quam quis velit aſſequi, contraria eſſe videatur: quamobrem ſic Heſiodus [*Opera, & Dies v.23.*]

. . . . . . *Nam vicino æmulus uſque*
Vicinus diteſcenti . . . . . .
Sic figulus figulum, ſic & fabrum faber odit;
Sic vates vatem male fert, ſic Irus & Irum.

LXXX. Alterum, quod in quæſtionem venit hoc loco, eſt, ſitne unquam diſſolvenda amicitia, quibuſve de cauſis. Scipio

Digitized by Google

pio quidem (*apud Tullium in Lælio*) *nihil difficilius eſſe dicebat, quam amicitiam uſque ad extremum vitæ diem permanere;* tum cauſas enumerat, ob quas amicitiæ ſolvuntur: ſunt autem opinionum diſcrepantia maxime de rebus publicis, morum mutatio alias adverſis rebus, alias ætate ingraveſcente, contentio voluptatis & commodi, aut honoris & gloriæ: *peſtem enim*, *ajebat Scipio* (*cit. loc.*) *majorem eſſe nullam in amicitiis, quam in pleriſque pecuniæ cupiditatem; in optimis quibuſque honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe: magna etiam diſſidia, & plerumque juſta naſci, cum aliquid ab amicis, quod rectum non eſſet, poſtularetur.* Sed cum hæ cauſæ incidunt, argumentum eſt, veram perfectamque non eſſe amicitiam. Profecto vir bonus ob tale aliquid ab amico nunquam ſe abalienabit: *tarde amicitiam contrahe*, ait Iſocrates, (*ad Demonicum*) *contractam ſervare perpetuo ſtude;* & Jo. Sleidanus (*in lib. Aureor. Carm. Pythag.*)

In ſpeciem nulli palpor, ſed quiſquis amatur
Vel ſemel, ad cineres hic mihi amicus erit.

Eſt enim ſacrum amicitiæ fœdus, neque ob caduca & levia violandum. Quamobrem Scythæ etiamſi barbari templum Pyladi & Oreſti dedicarunt quaſi diis ac præſidibus amicitiæ (*Lucianus in Toxari tom.1.*) & Phalaris crudeliſſimus tyrannorum auſus non eſt necare Carithonem & Menalippum arctiſſimo amicitiæ nexu copulatos, ut narrat Elianus (*lib.2. cap.4.*) Sed ad rem veniamus.

LXXXI. Una quidem poteſt eſſe cauſa diſſociandarum amicitiarum, hoc eſt, amici peccata, non tamen levia, quibus vix ullus eſt, qui careat; in quam rem ſic Cato (*in Diſt. lib.4. n.37.*)

Sunt quædam, quæ ferre decet patienter amicum.

Quod & præcipit Pythagoras (*in Aur. Carm.*)

Nec oderis amicum tuum exigui peccati cauſa.

Im-

Immo nec propter gravia crimina, a quibus avocari amicus queat, deſerenda eſt amicitia: *iis autem*, ait Ariſtoteles (*lib. 9. Ethic. cap.3.*) *qui ſanari poſſunt, eo magis quoddam adjumentum afferendum eſt ad mores, quam ad opes, quod melius eſt, & amicitiæ dignius*. Videndum tamen, ne dum remedium afferre amico velis, ipſe morbum, ægritudinemque contrahas. Itaque ab amico ſe removere tunc oportet omnino, cum ad meliorem mentem adduci non poſſit: nam & turpe & periculoſum eſt improborum amicitia alligari.

LXXXII. Non tamen repente præcidendæ ſunt amicitiæ, ut monet Tullius (*in Lælio*) *Erumpunt ſæpe*, inquit, *vitia amicorum tum in ipſos amicos, tum in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia. Tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſus elevandæ, & (ut Catonem dicere audivi) diſſuendæ magis, quam diſcindendæ ſunt: niſi quædam admodum intolerabilis injuria exarſerit, ut neque rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, ut non ſtatim alienatio, disjunctioque facienda ſit*, quam facere profecto neceſſe eſt, ſi qua in amicitia ſit occaſio peccandi. Secus ea cautio eſt adhibenda, ut extinctæ potius amicitiæ, quam oppreſſæ videantur. *Cavendum vero*, pergit Tullius (*cit. loc.*) *ne etiam in graves inimicitias convertant ſe amicitiæ, e quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur. Quæ tamen, ſi tolerabiles erunt, ferendæ ſunt; & hic bonos veteri amicitiæ tribuendus eſt, ut is in culpa ſit, qui faciat, non qui patiatur injuriam*. Immo prioris conſuetudinis valere debet recordatio, ut veteri amico potius gratificemur, quam aliis (*vid. Ariſtotelem lib.9. Ethic. cap.3.*) Satis, ſuperque dixi de amicitia, quæ ſi eo non venit, ut omnia omnino habeat communia, & menſam, & opes, & facultates, ſaltem reliquis, quæ ejus ſunt propria, non careat: non carebit autem, benevolentia dominante, de qua paullo poſt dicam.

LXXXIII. Virium amicitiæ contrarium, quod parum eſt, inimicitia dicitur, quæ non aliud videtur eſſe, niſi mutua inter duos, pluresve malevolæ voluntatis diſſenſio: nam qui inimici ſunt inter ſe, ipſi ſibi viciſſim & male cupiunt, & plerumque faciunt, ſi poſſint: quamobrem inimicitia a Tullio definita eſt (*Tuſc. qq. lib.4.*) *ira ulciſcendi tempus obſervans*. Nos quidem debemus nocere nemini nec facto, nec ani-

animo & voluntate, tum quia id vetatur jure naturæ, & legitimo, tum quia magnanimitati repugnat. Si quem vero non noſtra culpa (neque enim committendum eſt unquam, ut quemquam provocemus injuria) habeamus infeſtum & inimicum, curandum eſt, ut, ſublatis diſſidiis, quoad fieri poteſt, in gratiam redeamus ſignificatione benevolentiæ, & officiorum: eſt enim inimicitia maxime perniciosa*: cum odio,* ait Plutarchus(*lib. de capienda ex hoſtibus utilit.*) *introducit invidiam, obtrectationem, lætitiam de adverſis inimici rebus, acceptarum injuriarum memoriam, eaque in animo relinquit: accedunt fraudes, impoſturæ, & inſidiæ; quia hæc putamus adverſus inimicos neque male, neque injuſte adhiberi, manentque, & alte radices agunt.* Quas ob cauſas nullus eſt paci, & tranquillitati locus. Quam vero utile eſt, & præclarum hæc præcidere omnino, aliaque generis ejuſdem, quæ ab inimicitia naſcuntur, & propriæ incolumitati & quieti conſulere?

LXXXIV. Vitium, quod modum ſuperat, oppoſitum amicitiæ, eſt aſſentatio, quæ cernitur in ficto ac blando ſermone, aut geſtu compoſito ad delectandum, cum non oportet, & amicitiam imitatur, cujus tamen venenum eſt, ac pernicies. *Sic habendum eſt*, ait Tullius [*in Lælio*] *nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem, quam adulationem, blanditias, aſſentationem: quammultis enim nominibus eſt hoc vitium notandum levium hominum, atque fallacium, ad voluptatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cum autem omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maxime: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ valere non poteſt: nam cum amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus: qui fieri poterit, ſi ne in uno quidem unus animus erit, idemque ſemper, ſed varius, commutabilis, multiplex? quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quam animus ejus, qui ad alterius non modo ſenſum & voluntatem, ſed etiam vultum, atque nutum convertitur? negat quis? nego: ait? ajo. Poſtremo imperavi egomet mihi omnia aſſentari, ut ait idem Terentius.* Enim vero ab adulatore cavendum eſſe, ſupra diximus (*lib.3. part.2. cap.4.*)

LXXXV. Sed quo pacto aſſentatorem ab amico dignoſces? Reſpondet Tullius (*in Lælio*) cujus verba ſæpius uſur-

po ad orationis cum auctoritatem, tum ornatum & elegantiam: *Secerni autem blandus amicus a vero, & internoſci tam poteſt, adhibita diligentia, quam omnia fucata, & ſimulata a ſinceris atque veris.* Hæ vero quædam ſunt aſſentationis notæ, quas deſcriptas videas a Theophraſto (*in Charact. num.2.*) & a Plutarcho multo fuſius & luculentius (*de Adulat. & Amic. diſcr.*) Aſſentator quidem laudat & probat omnia, quæ intelligat ei placere, cui adulatur, & ſupra modum extollit, ut ingenium, ut elegantiam & venuſtatem, ut ſupellectilem, domum, filios, menſam etiam, & cibos, & quod maxime pernicioſum eſt, pravam indolem, moreſque etſi perverſos & minime temperatos; & vitia, quæ in eo ſunt, cui blanditur, tegit nomine ac ſpecie virtutum, crudelitati nomen imponit juſtitiæ, calliditati prudentiæ, ſuperbiam ait eſſe animi excelſitatem, & frugi hominem eum, qui ſit avarus: quo fit, ut vitioſi ad ſummam turpitudinem impellantur.

LXXXVI. Dictis etiam ejus, quem velit fallere, plaudit aſſentator, alioſque, dum is loquitur, jubet ſilere, aſſurgit venienti, & locum cedit ſumma officii ſignificatione, maximaque urbanitate verborum: eadem ſtudia imitatur, & cum venatore venator eſt, cum ſobrio ſobrius, cum potationibus dedito, aut ludis, aut maledictis & contumeliis, ipſe etiam rebus delectatur generis ejuſdem; immo cum ægrotante æger eſt, cum luſco luſcus, cum ſurdaſtro ſurdaſter, ad quælibet minuta miniſteria promptus eſt, ac paratus; tum vero labores & curas amplificat in iis obeundis, ne alia perſequar. Sed hoc craſſius aſſentatorum genus facilius licet cognoſcere, & qui ſic adulatur, fere non imponit, niſi ei, qui ſimplex valde ſit, & excors, & ipſe ſe amet inſolentius, turgeatque magno flatu ſuperbiæ: *ubi in delicatulum aliquem*, ait Plutarchus (*de Adulat. & Amic. diſcr.*) *agreſtemve incidit, ſuilla cute craſſa amictum, ibi tum, quanto poteſt, flatu adulatur.*

LXXXVII. Verum callidi, aſtutique aſſentatoris, & hac fallendi arte exercitati difficile vitantur inſidiæ: *aperte enim adulantem*, ſcribit Tullius (*in Lælio*) *nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors. Callidus ille, & occultus ne ſe inſinuet, ſtudioſe cavendum eſt: nec enim facile agnoſcitur,* quip-

quippequi etiam adverſando ſæpe aſſentetur, & litigare ſe ſimulans blandiatur; atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur, ut is, qui illuſus ſit, plus viciſſe videatur. Interdum, oblata occaſione narrat homini, cui illudit, quam alii de illo præclare & loquantur & ſentiant; ſi quos ſciat ad eadem, in quæ is, cujus gratiam captare velit, propenſos, eos laudat, alios vero, quibus placent contraria, vituperat: falſas & leves adverſus eum criminationes fingit ſeſe audiviſſe, & ait, mirari ſe, quod, cum tot virtutes habeat, his prætermiſſis, quæ ſint jure laudabiles, ſtulti & invidi vitia comminiſcantur. Ipſum conſulit quaſi prudentia præſtantem, ac valentem conſilio plurimum; affert corrigendam, ſi quam ſcripſerit, orationem, dep imit ipſe ſe, & reprehendit quaſi aut timidum, aut inertem, aut tardum ingenio, ut hinc obrepat ad alium laudandum. Affectat etiam libertatem in iis tamen, quibus nulla moleſtia pariatur, V. C. eum objurgat, quod curam non gerat valetudinis ſuæ, quam nimio labore conſumat in alienam utilitatem.

LXXXVIII. Sed arduum eſt aſſentatorum artes omnes, & fallacias enumerare. Plutarchus quidem patefecit quamplurimas (*de Adulat. & Amic. diſcr.*) His autem non implicari facile eſt, ut mihi quidem videtur: ſermo enim, facta, mutatio ſententiæ ſine cauſa, commendatio earum rerum, de quibus nos conſcientia reprehendit, bonarum vituperatio, oculi ſemper quidem conniventes, conſultatio de iis, in quibus ſumus minus exercitati, errorum, culparumque diſſimulatio, inſolens & nimia redundantia officiorum, atque blanditiæ, laudes præſenti tributæ, non autem abſenti, acerba irriſio adverſus eos, quos tu ſale aliquo, facetiaque perſtrinxeris, ampliora promiſſa de re qualibet facienda, aliaque hujus generis ſatis oſtendunt adulatorem, a quo qui illuditur, is magnam in ſe culpæ partem conferat: glorioſus enim cum ſit, inanis, elatus, libenter, & clauſis, ut ita dicam, oculis, id haurit, quod placet, & cum non ſit virtute præditus, ſaltem appetit videri. *Iſta aſſentatio*, ait Tullius (*in Lælio*) *quamvis pernicioſa ſit; nocere tamen nemini poteſt niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur. Ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maxime, qui ipſe*

Digitized by Google

ſibi aſſentetur, & ſe maxime ipſe delectet . . . . . Virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quam videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad eorum voluntatem ſermo cum adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant . . . . . Nec paraſitorum in comœdiis aſſentatio nobis faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi. Magnas vero agere gratias, Thais, mihi? Satis erat reſpondere, magnas: ingentes, inquit, ſemper auget aſſentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum.

LXXXIX. Quamquam vero blanda iſta vanitas apud eos valet, qui ipſi illam allectant & invitant, tamen cum maximo ſui amore teneantur, & falli poſſint, etiam qui videntur graviores conſtantioreſque, animadvertant, ne callida aſſentatione capiantur præſertim in ſecundiſſimis rebus: *iiſdemque temporibus*, ut rurſus ſcriptum eſt a Tullio (*lib.* I. *de Offic.*) *cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus: in quo falli facile eſt: tales enim nos tunc eſſe putamus, ut jure laudemur: ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cum homines inflati opinionibus turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus.*

XC. Porro ad eos in primis, qui divites ſunt, qui nobiles, qui auctoritate, gratia, & dignitate florent, aut literis & ingenio, ſe adjungit adulator, a quo interdum importuna quædam peſtis in amplas familias, atque adeo imperia permanat. Ex quo hæc extant Obſopœi (*in lib. Aur. Carm. Pythag.*)

Nil homine invenit natura nocentius illo,
Quam qui ſinceram fingit amicitiam.
Non hoſtis vobis ultra, ſed habetur amicus
Talis; & hac iſta lædimur arte crebro.

Itaque ſapienter monet Epictetus [*in Sentent. num.* 97.) *Suſcipe illos, qui utilia conſulere volunt; non autem eos, qui ubique adulari ſtudent: illi enim quod utile, revera vident; hi vero ad ea, quæ potentibus placent, reſpiciunt, corporumque umbras imitantes omnibus illorum dictis aſſentiuntur.*

XCI. Quemadmodum vero ab aſſentatore diligenter cavendum eſt, ita etiam curare oportet ſummo ſtudio, ne

in

in aſſentationis vitium labamur ipſi: quoniam cum illudi turpe eſt, tum illudere adumbrato amicitiæ nomine multo turpius: id enim non modo animi eſt & duplicis & aſtuti & malitioſi, ſed etiam humilis omnino, & abjecti, qui in omnem partem ſe verſat aut quæſtus, aut voluptatis, aut metus cauſa.

CAPUT XVIII.

De Benevolentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Benevolentiæ contraria.

I. BEnevolentia, ut nomen indicat, eſt animi affectio, qua aliis bonum volumus, & optamus. Eam vero præſcribit, jubetque natura: quoniam inter homines, quippequi omnes natura ſunt pares, & terræ quaſi communis cujuſdam civitatis incolæ, naturalis quædam cognatio, copulatioque intercedit, tamquam inter membra, ex quibus unum humanitatis, ut ita dicam, corpus efficitur: *omne hoc, quod vides*, ait Seneca (*Epiſt.* 95.) *quo divina, atque humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iiſdem, & in eadem gigneret: hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociabiles fecit.*

II. Ex hac conjunctione & ſocietate fit, ut quiſque nihilo ſe plus, quam alium quemque debeat diligere: hoc enim poſtulat ratio membrorum, quæ in uno eodemque corpore copulantur; itemque ut doleat alienis calamitatibus, rebus autem proſperis gaudeat ut ſuis, qualibet invidentia ſublata, ferat aliena peccata toleranter, illud ſecum reputans, & peccare ſe poſſe, & labi: *Iſte verſus* ait Seneca (*Epiſt.* 95.) *& in pectore, & in ore ſit:*

Homo ſum, humani nihil a me alienum puto.

III.

III. Hæc quidem omnia benevolentiæ ſunt propria: quæ præterea latiſſime patet, & ad omnes pertinet, etiam ad inimicos & adverſarios, in quibus cum eadem ſit natura, eadem ſimiliter eſt cauſa diligendi: peccata enim ab homine ita ſecerni oportet, ut peccata oderis, hominem diligas, eique bene velis tamquam natura, cognatione, ac ſocietate conjuncto. *Unaquæque res*, ait Epictetus (*in Manual. cap.* 39.) *duas habet anſas, unam, qua ferri poteſt: alteram, qua ferri non poteſt. Frater, ſi injurius ſit; inde hanc rem ne prehende, quod injurius eſt: hæc enim ipſius anſa eſt, qua ferri nequit: ſed inde potius, quod frater eſt, quod tecum educatus, & prehendes eam qua parte ferri poteſt.* Quamquam vero neminem excludit benevolentia, non tamen cum omnibus ſeſe communicat eodem modo: nam inter cives, inter amicos, inter propinquos, inter parentes & filios major ſit oportet, cum inter eos major ſit naturæ conjunctio.

IV. Porro curare quiſque debet pro viribus, ut ſe benevolum oſtendat plane in omnes, & reipſa ſit, & hoc quaſi vinculum nunquam diſſolvat ſocietatis humanæ, quo etiam familiæ, & civitatis, rerumque publicarum tranquillitas continetur. Inhumanus eſt, & quaſi naturæ monſtrum, qui ſe unum diligit; & multo magis ſi, cum alios velit, cogatque commodis ſervire, quibus ipſe bene & tranquille vivat, nulla aliorum caritate teneatur. Enimvero eam caritatem, benevolentiamque *non adoleſcentulorum more*, ut Tullius monet (*lib.* I. *Offic.*) *ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potius, & conſtantia judicemus;* neque quam utile ſit aliis bene velle, cogitemus, ſed quam honeſtum.

V. Omnis etiam cura adhibenda eſt, ut, quoad fieri poteſt, alienos nobis animos conciliemus ad benevolentiam, quæ theſauris opibuſque eſt multo præſtantior. Equidem inimicitiorem ſibi eo arbitror eſſe neminem, qui amari ſe pro nihilo ducat: quandiu enim cum aliis vivimus, nihil fere eſt cum utilius, tum etiam benevolentia jucundius, quæ honeſta ſit: nam quæ altrix eſt pravarum cupiditatum, & propria pecudum, expers rationis & honeſtatis, tamquam peſtis fugienda eſt, quæ longe lateque pervadens frangit robur animorum atque conſtantiam, eoſque enervatos ac mollitos omnino dejicit ac proſternit. Hac ergo labe poſthabi-

bi-

Digitized by Google

bita, quæ ad benevolentiam contrahendam valent, videamus.

VI. In quam rem Tullius (*lib. 2. Offic.*) *quæ quidem*, inquit, *beneficiis capitur maxime. Secundo autem loco benefica voluntate benevolentia movetur; etiamſi res forte non ſuppetit. Vehementer autem amor multitudinis commovetur ipſa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, juſtitiæ, fidei, omniumque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem.* Eam vero affert rationem: *etenim illud ipſum, quod decorum, honeſtumque diximus, quia per ſe nobis placet, animoſque omnium natura & ſpecie ſua commovet, maximeque quaſi perlucet ex iis, quas commemoravi, virtutibus, iccirco illos, in quibus eas virtutes eſſe remur, a natura ipſa diligere cogimur.*

VII. Uſu etiam, conſuetudine, & jocis ac lepore, qui liberalis ſit, & ſuavitatis comes, trahuntur animi ad diligendum. Ad abſentium vero conciliandam benevolentiam laus valet plurimum, & commemoratio virtutum apud eos, qui præſentes adſunt: nam ea, cum adulationis ſuſpicione careat, argumentum eſt veræ caritatis: itaque qui abſentem ſe intelligit ab aliquo eſſe laudatum, non poteſt, quin erga eum, a quo laudatus eſt, quodam amoris ſenſu moveatur.

VIII. Vitium benevolentiæ contrarium defectione eſt malevolentia; hoc eſt, prava animi affectio, qua optamus, ut aliis male ſit aut in vita, aut in fama, aut in fortunis, aut etiam in animi bonis. Hoc quidem vitium eorum eſt proprium, qui natura duri ſunt, immites & torvi, & anguſto animo, timido & ſuſpicioſo & ignavo, omnia metuentes, quibus univerſum genus hominum inviſum atque exoſum eſſe videatur, inimici ſocietatis, omninoque humanitatis expertes, qui libentius exterorum, quos ignorant, laudes audiunt, quam civium & domeſticorum, eorumque, a quibus plurimis beneficiis affecti ſunt: & quamquam delectentur alieno malo; ex quo a Tullio definita eſt malevolentia (*lib. 4. Tuſc. qq.*) *voluptas ex malo alterius ſine emolumento ſuo*; nihilominus miſera eſt ac triſtis ea delectatio, & curis conficiuntur & angore conſcientiæ, cum facile poſſent participes eſſe alienæ felicitatis, ſi ea gauderent.

IX.

Digitized by Google

IX. Sed & illud ſæpe contigit, ut qui in alienis exultant malis, in graves ipſi ærumnas incidant, & aliis, quos paullo ante contempſerint, ludibrio ſint, mutata fortunæ rota. Itaque oportet meminiſſe, & nos obnoxios eſſe calamitatibus, quibus alii premuntur: ex quo fiat, ut quemadmodum nobis gratum eſt omnes habere benevolos, ita omnibus cupiamus bene eſſe, commutatis officiis benevolentiæ; quam quidem ſi tollas ex uſu hominum, ſolem ſuſtuliſti, & omnino cauſam liberalitatis, beneficentiæ, fidei, juſtitiæ, æquitatis, providentiæ, aliarumque virtutum, quæ ſine benevolentia & caritate eſſe non poſſunt

X. Vitium, quod modum ſuperat repugnans benevolentiæ, caret nomine. In eo forte peccant ii, qui nimium dulces ſunt ac teneri, & aliis omnia cupiunt, quæ ipſos ſciant velle, etiamſi hæc non ſint profutura, ut oblectationes, ut voluptates, ut opes interdum, ut honores & dignitates, aliaque generis ejuſdem, quibus provident fore, ut male utatur is, cui tribuantur: neque enim benevolus eſt judicandus, qui aliis velit fucata bona; ſed qui vera, & congruentia rationi, & opportuna ad parandam felicitatem.

CAPUT XIX.

De Beneficentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Beneficentiæ contraria.

I. CUm benevolentia maxime conjuncta eſt beneficentia: nemo enim poteſt ex animo aliis bene velle, niſi etiam benefaciat, cum poſſit. Eſt autem beneficentia conſtans quædam animi affectio, qua fit, ut velimus prodeſſe quamplurimis: itaque in dando beneficio verſatur: hoc autem non eſt uniuſmodi: nam & opera, & conſilio, & gratia, & commendatione, & ſolatio, & facultatibus, & fide, & præceptis quæ ſint ſalutaria, & admonitione, & caſtigatione aliquando, & largitione homines juvare poſſumus, eorumque commodis atque indigentiæ conſulere.

II.

II. Quo fit, ita largum eſſe beneficentiæ campum, ut pateat fere cuique: etenim qui pecunia non poteſt benefacere, plerumque opera poteſt, quæ benefaciendi ratio præſtantior eſt in ſeſe, atque conſtantior, & quaſi fons habens perennitatem: *aut opera*, ait Tullius (*lib.2. Offic.*) *benigne ſit indigentibus, aut pecunia: facilior eſt hæc poſterior* [ratio] *locupleti præſertim; ſed illa lautior ac ſplendidior, & viro forti claroque dignior: quamquam enim in utroque ineſt gratificandi liberalis voluntas; tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur* (ad virtutem tamen ſpectat etiam dare pecuniam): *largitioque, quæ ſit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit: ita benignitate benignitas tollitur; qua quo in plures uſus ſis, eo minus in multos uti poſſis*. Et paullo poſt (*cit. loc.*) *quamobrem id quidem non dubium eſt, quin illa benignitas, quæ conſtat ex opera, & induſtria & honeſtior ſit, & latius pateat, & poſſit prodeſſe pluribus*; & de hac quidem loquimur præſertim hoc loco; nam in largitione pecuniæ, reique familiaris, quamquam & beneficentia, nihilominus maxime cernitur liberalitas, de qua dicam.

III. Prius vero quam ad alia venio, quid ipſum ſit beneficium, arbitror explicandum: eſt ſcilicet benevola actio alteri tribuens id, quod ad ejus bonum conferat: æſtimatur autem non a re, quæ datur, ſed a dantis animo & voluntate, ut ſupra docui [*lib.3. part.3. cap.16.*] & iccirco benevola actione dicitur contineri: *nec aurum*, inquit Seneca (*lib.1. de Beneſ. cap.5.*) *nec argentum, nec quicquam eorum, quæ a proximis accipiuntur, beneficium eſt, ſed ipſa tribuentis voluntas*. Et deinde (*ib. cap.6.*) *ſicut nec in victimis quidem, licet opimæ ſint, auroque præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed pia, & recta voluntate venerantium*.

IV. Non igitur videndum eſt, quid detur, ut imperiti, ignarique faciunt, ſed præſertim qua mente: res enim notæ quidem, ac ſigna beneficii ſunt, ſed beneficium non ita. Ex quo conſequens eſt, ut, qui multum tribuit, poſſit non eſſe beneficus; ſit autem, qui parum, quam maxime, ſi *regum æquavit opes animo*, qui, cum notus eſt, ſibi arctius devincit benevolentiam potiſſimum ſapientum. Eſchines quidem, cum magna premeretur inopia, nihil dedit præceptori ſuo Socrati; at dandi prætetulit flagrantem cupiditatem, cum ad

 cum

Digitized by Google

eum accedens, *dono tibi*, inquit, *quod unum habeo, meipſum* (*apud Senecam lib.1. de Beneſic. cap.8.*) quod munus fuit optimo præceptori gratius, quam munificentia juvenum opulentorum. Cum vero animus quis ſit, intelligi in primis poſſit ex modo, quo beneficia tribuuntur, dicam oportet, quid de eo præcipiant ſapientes, ut & quæ dantur, grata accidant, & ſint virtutis officia.

V. Primum quidem non ſunt temere, & caſu danda beneficia, ſed judicio, & cogitato: nam præterquamquod nihil temerarium poteſt eſſe in virtute, multo minoris ab eo æſtimantur, qui accipit: *adſit tamen judicium*, ait Seneca (*lib.1. de Beneſ. cap.14.*) *neque enim eſſe cordi cuiquam poſſunt forte, & temere data.*

VI. Tum abeſſe debet a beneficio oſtentatio: qui enim videri velit beneficus, non ille ſcilicet talis eſt, ſed gloriæ cupidus, & quamdam præſefert levitatem. Quo in genere iniquiores ſunt ii, qui callide beneficentiam oſtentant, cum minus id velle videantur; utuntur enim arte quadam, ut nota ſint beneficia, quibus alios affecerint: itaque inanitatem tegunt turpi ſimulatione: in quo duplex ineſt ratio peccati.

VII. Nec ad capiendam utilitatem beneficia referenda ſunt, quaſi hami, quippequæ niſi gratuita ſint, atque ex his rectæ tantum conſcientiæ præmium expectetur, ſunt plane nulla: neque enim a virtute proficiſcuntur, ſed a commodi atque emolumenti cupiditate. Immo interdum gravia quædam incommoda tolerare æquum eſt, & in odia incurrere, ut benefacias. Eam ob cauſam boni viri eſt conferre beneficia vel inſcio eo, qui accipit: *alioquin*, ait Seneca (*lib.2. de Beneſ. cap.10.*) *non benefacere delectat, ſed videri benefeciſſe*, aut captatur utilitas. Hoc autem clandeſtinum, ut ita dicam, beneficentiæ genus maxime conſentaneum eſt in eos exercere, quos aut pudor, aut animi generoſi, erectique indoles quædam deterret a petendo beneficio: neque enim committendum eſt, ut illud tanti emant; cum interdum malint, ſi modo poſſint, pecuniæ magnam vim profundere, quam precibus uti, & alienam opem flagitare. Cæterum cuique ſemper, remotis arbitris, quoad fieri poteſt, oportet prodeſſe, cum ejus aut infirmitati, aut ignominiæ, aut ege-

ſtati

ſtati auxilium aliquod, ac ſolatium afferendum eſt: ea tantum decet beneficia palam dare, quæ accipere glorioſum eſt, ut honoris gradus, & dignitatis.

VIII. Deinde in dando beneficio frontis hilaritas, alacritaſque cernatur, & abſit omnino ſupercilium, ſuperbia, triſtitia, gravitas, quæ aſperitatem, acerbitatemque præſeferat: *ingentia quorumdam beneficia*, inquit Seneca (*lib.2. de Benef. cap.3*) *ſilentium, aut loquendi tarditas imitata gravitatem & triſtitiam corrumpit, cum promitterent vultu negantium*. Abſit item occupationum ſimulatio ac tergiverſatio, contumelia, exprobratioque, ac reprehenſio. *Fabius Verrucoſus*, ut eſt apud Senecam (*lib.2. de Benef. cap.7.*) *beneficium ab homine duro aſpere datum panem lapidoſum vocabat*. Oportet autem, ſi opus ſit exprobratione, opportunius tempus eligere ad reprehendendum; ne beneficium, quod facilitate, benignitateque maxime continetur, plane tollatur ſermonis acerbitate.

IX. Præterea cavendum eſt a cunctatione in beneficio tribuendo, quod e ſuperiore præcepto conſequitur: qui enim libenter dat, is etiam cito dat, ac mora ſublata, cum poſſit: neque enim procraſtinamus in iis, quæ delectant: *proprium eſt*, ſcribit Seneca (*lib.2. de Benef. cap.5.*) *libenter facientis, cito facere*. Multum quidem de beneficio detrahitur tarditate: *nam qui tarde fecit*, inquit Seneca (*lib.1. de Benefic. cap.1.*) *diu noluit*. Et alio in loco (*lib.2. de Benef. cap.1.*) *ingratum eſt beneficium, quod diu inter manus dantis hæſit, quod quis ægre dimittere viſus eſt, & ſic tamquam ſibi præriperet: etiamſi quid moræ intervenit, evitemus omni modo, ne deliberaſſe videamur*. Quo ſpectat Auſonii diſtichon (*Epigr. 81.*) non illud quidem valde nitidum, ſed ad rem, de qua dicimus, opportunum:

Gratia, quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Cum fieri properat, gratia grata magis.

Quare dicere ſolemus, qui cito dat, eum bis dare, quaſi duplicatum beneficium conferat. At contra differre diutius, ſæpe numero magis odioſum eſt, quam negare. Iccirco ille Comicus (*apud Senecam lib.2. de Benef. cap.5.*) affectus tædio

Digitized by Google

ob moram: *fac, ſi quid facis*, inquit, *& nihil eſt tanti: malo jam neges*. Et Martialis (*lib.7. Epigr.37. in Martial. cum Juvenc.*)

Primum eſt, ut præſtes, ſi quid te, Cinna, rogabo:
Illud deinde ſequens, ut cito, Cinna, neges.
Diligo præſtantem, non odi, Cinna, negantem:
Sed tu nec præſtas, nec cito, Cinna, negas.

X. Nemo autem videtur citius benefacere, quemadmodum nec libentius, quam is, qui ne expectat quidem dum rogetur, ſed ſponte prævenit, ac mature: *primum eſt*, ait Seneca [*lib.2. de Benef. cap.1.*] *antecedere deſiderium cujuſque; proximum ſequi*. Atque hæc benefaciendi ratio pergrata eſt, ut & viſum eſt P. Mimo (*v.86. in Mureto*)

Bis eſt gratum, quod opus eſt, ſi illico ſit datum:

magna enim is afficitur voluptate, qui videt beneficium oblatum ſibi etiamſi non petenti, liberatumque ſe moleſtia poſtulandi, & quavis opera: quoniam *non tulit gratis*, ut eſt apud Senecam (*cit. loc.*) *qui, cum rogaſſet, accepit*. Saltem abrumpenda celerius eſt, quoad fieri poteſt, oratio petentium, ut ne ægre quod petitur, & precibus, atque obſecratione victi dare videamur; & comitate depellere oportet ejus, qui petit aliquid, verecundiam, & ſuavitate verborum. Cæterum in quolibet beneficio vide, ne ampliora ſint promiſſa, quam facta; cum hæc potius debeant illis eſſe majora.

XI. Poſtea vero quam beneficium delatum eſt, ejus ſervandi ratio præſcribitur; ac prima quidem præceptio eſt, ne exprobretur unquam beneficium: etſi enim ingratus ſit is, cui delatum eſt; importuna tamen eſt exprobratio; cum non utilitatis gratia illud ſit datum, ſed honeſtatis; ſecus ne beneficium quidem eſt. Immo turpe eſt etiam hoc ipſum commemorare, quod benefeceris: oportet enim beneficiorum memorem eſſe, qui accepit; immemorem vero, qui contulit. Pungit quoque animum ea frequens recordatio, & bilem commovet. Certe ille, qui a quodam Cæſaris familiari ſerva-

vatus erat, cum ejus ſuperbiam ferre non poſſet: *redde*, inquit, *me Cæſari: quouſque dices: ego te ſervavi; ego te eripui morti?* (*apud Senecam lib.*2. *de Benef. cap.*11.) Adde, quod alium de dato beneficio qui monet, id repoſcit, quod dedit: ut P. Mimus ait (*v.*77. *in Mureto*)

Beneficium qui dediſſe ſe dicit, petit.

Hoc autem beneficum virum non decet, niſi flagitante neceſſitate; quæ cum incidit, ſic comiter & modeſte rem age, ut petere potius, quam repetere videaris (*vid. Seneca lib.*5. *de Benef. cap.*20. *& ſeqq.*): nam id firmum ſit, non, ut ex eo aliquid ad nos redeat, beneficium conferri debuiſſe.

XII. Nec aliis id narrandum eſt, quod benigne, officioſeque feceris: multum enim hæc beneficentiæ detrahit inanitas, immo eam plerumque labefactat ac perdit omnino. In garrulum ita Martialis (*lib.*5. *Epigr.*48. *in Martial. cum Juvenc.*)

Quæ mihi præſtiteris, memini, ſemperque tenebo.
Cur igitur taceo, Poſthume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: dixerat ipſe mihi.
Non belle quædam faciunt duo: ſufficit unus
Huic operi: ſi vis, ut loquar, ipſe tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Poſthume, dona,
Auctoris pereunt garrulitate ſui.

Beneficium quidem narret is, qui accepit, non qui detulit: quod adeo cordi debet eſſe, ut etiamſi narret alius, nobis audientibus, diſſimulare conſentaneum ſit, addereque humaniter, nos benefacere maluiſſe, quam potuiſſe pro meritis, idque ingenue; non ut faciunt ii, qui ea trahunt ad ſe maxime, quæ rejicere & repudiare videantur. Atque ex his poteſt intelligi, quid velimus, cum præcipimus, eum obliviſci debere beneficii, qui dedit: *cum dicimus*, inquit Seneca (*lib.*7. *de Benef. cap.* 22.) *meminiſſe non debet, hoc volumus intelligi, prædicare non debet, nec jactare, nec gravis eſſe*, quaſi ſit oblitus.

XIII.

Digitized by Google

XIII. Poſtremo huc pertinet quaſi alere, ut ita dicam, ac fovere data beneficia in poſterum tempus humanitate, ac benevolentia; ut agricolæ, quod olim ſatum eſt, id non deſerunt, ſed curant eatenus, quatenus & creſcat, & ad maturitatem, abſolutionemque perveniat; ſecus ac factum eſt a Cæſare, qui cum vitam dediſſet Pompejo Penno (ſi dare poteſt dici is, qui non abſtulit) deinde ei gratias agenti, ſcilicet ſeni graviſſimo oſculandum porrexit ſiniſtrum pedem, perdiditque omnino inſolenti ſuperbia beneficium (*apud Senecam lib. 2. de Benef. cap. 12.*) De ratione benefaciendi hactenus. Nunc quæ danda ſint beneficia, explicabo.

XIV. Principem locum ea tenent, quæ alienum animum, quippequi res eſt diviniſſima, vitiis, & cupiditatibus liberant, aut tuentur; ornant, expoliunt: quæ doctrina, & adhortationibus ad virtutem, morumque inſtitutione maxime continentur. Proxima ſunt, quæ ita referuntur ad vitæ uſum, ut ſine illis interire neceſſe ſit: quale eſt eripi e præſenti vitæ diſcrimine, ut ab hoſte, ut a naufragio. Tum ſequuntur illa, quibus alienæ egeſtati ſubvenitur aut opera aut pecunia, vel conſulitur famæ & dignitati; quæque utilia ſunt atque opportuna ad decore vivendum; ac tandem quæ accipienti poſſunt eſſe jucunditati. Fere autem ea dentur, ſi fieri poſſit, quæ manent: nam tunc res ipſa & gratior fere eſt, & admonet beneficii, cujus nos admonere minime debeamus. Sint etiam rariora, quæ tribuuntur, aut ſi communia & vulgaria, diſtinguantur peculiari aliqua officii ſignificatione, comitatis, aut obſervantiæ:

Non quo more piris veſci Calaber jubet hoſpes,
Tu me feciſti locupletem: veſcere ſodes:
Jam ſatis eſt: at tu quantum vis tolle: benigne:
Non inviſa feres pueris munuſcula parvis:
Tam teneor dono, quam ſi dimittar onuſtus:
Ut libet, hæc porcis hodie comedenda relinques.
(*Horatius lib. 1. Epiſt. 7.*)

XV. Rurſus quæ dantur, ea ſint & perſonæ, & loco, & tempori accommodata. *Sit in beneficio*, ait Seneca (*lib. 1. de Benef. cap. 12.*) *ſenſus communis, tempus, locum, perſonas obſer-*

obſervet, quia momentis quædam grata, & ingrata ſunt. Quanto acceptius eſt, ſi id damus, quod quis non habet, quam cujus copia abundat? quod diu quærit, nec invenit, quam quod ubique viſurus ſit? Nunquam vero mittantur, quæ morbum, aut vitium exprobrent, ut ebrioſo vinum, ut militaris enſis ignavo & timido: *maledictum enim incipit eſſe*, ait Seneca (*lib. 2. de Benef. cap. 11.*) *non munus, in quo vitium accipientis agnoſcitur.*

XVI. Multo minus faciamus noxia etiamſi rogati: quamquam enim tunc placeant roganti, deinde tamen ipſe idem pernicioſi muneris auctorem deteſtatur, cum redit ad ſanitatem (*vid. quæ ſupra dixi lib. 3. part. 3. cap. 17.*) *Exiſtimabimus itaque*, ait Seneca (*lib. 2. de Benef. cap. 14.*) *utilitatem potius, quam voluntatem petentium, ac dabimus, quæ non tantum accipere, ſed etiam accepiſſe delectet.* At vero beneficia non modo oportet non eſſe accipienti pernicioſa, ſed ne aliis quidem, quibus, ut uni ſis commodus, non debes obeſſe, niſi fortuito ac ſine culpa ex unius utilitate alienum incommodum conſequatur, quod frequenter ſolet uſuvenire. *Jam illud*, ait Tullius (*lib. 2. Offic.*) *non ſunt admonendi* [*eſt enim in promptu*] *ut animum advertant, cum juvare alios velint, ne quos offendant: ſæpe enim aut eos lædunt, quos non debent, aut eos, quos non expedit. Si imprudentes, negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis. Utendum etiam eſt excuſatione adverſus eos, quos invitus offendas, quacumque poſſis, quare id, quod feceris, neceſſe fuerit, nec aliter facere potueris: cæteriſque operis & officiis erit, quod violatum eſt, compenſandum.*

XVII. Tandem habenda ratio eſt, ut beneficia ſint grata: nam, ut Plautus ait (*in Trinummo*)

. . . . . Nullum beneficium duco eſſe
Id, quod quoi facias non placet.

Interdum tamen oportet prodeſſe etiam invito aut ſalutari conſilio, aut adhortatione ad honeſtatem, aut avocatione a ſcelere ac turpi facinore: hæc enim, quamquam ingrata alicui ſint, dominante cupiditate; nihilominus grata ſunt, cum illa compreſſa eſt, & ratio jacens ac proſtrata ere-

Digitized by Google

erexit ſeſe, ac recreavit. Sic medicinam facimus ægroto, & cibum ſuppeditamus etſi repugnanti, quod magni beneficii loco habendum eſt. Grata etiam futura ſunt beneficia, ſi ea des, quæ petuntur, non alia: ſolent enim nonnulli velle conſilium dare, cum opera exigitur; quod tergiverſantis eſſe compertum eſt. Quomodo, & quæ ſint danda beneficia, vidimus; jam vero quibus ſint danda oportet dicere.

XVIII. Omnibus quidem rectum eſt benefacere: *non eſt enim inhumana virtus*, ait Tullius (*in Lælio*) *neque ſuperba, quæ etiam populos univerſos tueri, eiſque optime conſulere ſoleat*. Eſt tamen habendus delectus in beneficio tribuendo: nam & propinqui alienis, & cives peregrinis, & noti ignotis præferendi ſunt, & benemerentes iis, quibus nulla gratia devicti ſumus, ſi cætera ſint paria, & boni improbis, & pauperes (præſertim ſi in egeſtatem inciderint, & multo magis ſi non vitio ſuo) locupletibus & fortunatis; modeſti etiam, quique chriſtiana & laudabili humilitate præditi ſunt, ſuperbis & ambitioſis: hi enim omnia ſibi putant deberi, quare beneficia pauci æſtimant; illi vero magno in pretio habent vel minima: ac generatim adhibenda cura eſt, ut dignis benefacias:

Beneficium dignis ubi des, omnes obligas,

ait P. Mimus (*v.* 73. *in Mureto*) & rurſus (*v.* 72. *ib.*)

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.

XIX. Præſertim vero magnam laudem merentur, qui ſtudent prodeſſe reipublicæ artibus & diſciplinis, quas aut inveniunt ipſi, aut ab aliis inventas excolunt & perficiunt, ætatemque conſumunt in eo exercitationum, ſtudiorumque genere, quibus juvantur homines ad virtutem, ad honeſtatem, ad morum inſtitutionem, ad cognitionem rerum maxime utilium, atque excellentiſſimarum, ac tandem uno verbo ad bene beateque vivendum. Horum iccirco fere manet apud poſteros memoria nominis ſempiterna.

XX.

XX. Cæterum beneficentia excludit neminem, ne improbos quidem, nec, qui omnium indigniſſimi videantur, ingratos: quamquam enim dixit Plautus (*in Poenulo*)

Malo ſiquid benefacias, id beneficium interit;

non ita eſt: nam ex honeſta actione, qualis eſt benefacere, ſtatim fructus atque emolumentum capitur: quo igitur pacto interire id poteſt ac tolli, quod jam teneo, & quod mihi nulla vi eripi poteſt? *Nunc eſt virtus*, ait Seneca (*lib. 1. de Benef. cap. 1.*) *dare beneficia non utique reditura, quorum a viro egregio ſtatim fructus perceptus eſt*. Quamobrem (*ib. cap. 12.*) non probat hæc, quæ Attii eſſe cenſet Muretus (*in notis ad Senecam*)

Beneficia in vulgus cum largiri inſtitueris,
Perdenda ſunt multa, ut ſemel ponas bene.

Illud enim, inquit, *falſum eſt, perdenda ſunt multa. Nullum perit . . . . Ego illud dedi, ut darem: nemo beneficia in Kalendario ſcribit: nec avarus exactor ad horam, & diem appellat*. Et alio in loco [*ib. cap. 10.*] *Beneficium perdidiſti. Salvum eſt tibi ex illo, quod eſt optimum: dediſti*. Et revera in dando eſt omnis honeſtas; iccircoque beneficii natura, atque præſtantia: ejuſque amiſſi querimonia argumentum eſt non bene dati, hoc eſt, eo animo dati, ut recipias; quod quidem non beneficentiæ eſt, ſed cupiditatis.

XXI. Itaque imitemur Deum, qui ſine ullis emolumentis & fructibus, cum etiam multorum providiſſet improbitatem, tamen voluit eſſe & ſolem, & lunam, & ſidera, viciſſitudinemque dierum & noctium, & anni temporum, fluviorum & fontium perennitates, a terra gigni fruges ac fructus, qui pluvia & calore foveantur ac matureſcant ad omnium cum uſum, opportunitatemque, tum etiam oblectationem ac voluptatem. *Si Deos*, ait neſcio quis apud Senecam (*lib. 4. de Benef. cap. 26.*) *imitaris, da & ingratis beneficia: nam & ſceleratis ſol oritur, & piratis patent maria*.

Digitized by Google

XXII. At Seneca id non probat, ingratoſque excludit e ſinu beneficentiæ [*loc. cit. cap.* 26. *& ſeqq.*] quamquam non ſatis videtur ſecum ipſe cohærere: nam quod hoc loco negat, id affirmat in alio (*lib.* 7. *de Benef. cap.* 31.) ſcribit enim: *demus etiamſi multa in irritum data ſunt; demus nihilominus aliis, demus ipſis, apud quos jactura facta eſt*. Et paullo poſt [*cap.* 32.] *ingratus eſt: non mihi fecit injuriam, ſed ſibi: ego beneficio meo, cum darem, uſus ſum: nec ideo pigrius dabo, ſed diligentius; quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipſi beneficium dabo iterum, & tamquam bonus agricola cura, cultuque ſterilitatem ſoli vincam . . . . Non eſt magni animi dare, & perdere: hoc eſt magni animi perdere, & dare*. Hæc vero cum ſuperioribus quo pacto conſentiant, non video.

XXIII. Itaque ſtatuamus, a beneficiis repellendum eſſe neminem, niſi eos, qui datis utantur ad malefacta, ut ad immoderatas compotationes, ad ſuperbiam, ad incontinentiam, ad ſcurrilitatem, ad contumelias, ad alia generis ejuſdem. Qua in re peccant, qui alunt ſcurras, ſicarios, aſſentatores, qui improbos defendunt ac juvant, ex quo eorum conſiſtit, aut augetur improbitas. *Extremum autem præceptum*, ait Tullius (*lib.* 2. *Offic.*) *in beneficiis, opera quoque danda eſt, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid per injuriam*: nam ſine honeſtate nihil poteſt eſſe laudabile; & in hanc ſententiam id valet maxime, quod ſcribit Ennius (*apud Tullium lib.* 2. *Offic.*)

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

XXIV. At nemo eſt, cui, modo poſſis ſine gravi incommodo ac magna moleſtia, ſubvenire non debeas periclitanti aut vita, aut fama, aut fortunis (*vid. Seneca lib.* 2. *de Benef. cap.* 10.) Quædam etiam minima beneficia omnino danda ſunt omnibus; quale eſt monſtrare erranti viam, ignis accendendi poteſtatem facere, egenti ſtipem ſuppeditare ad vitæ uſum, neminem aqua interdicere: vix tamen hæc dixeris beneficia, quæ negare inhumanum eſt. *Quicquid ſine detrimento poſſit commodari*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *id tribuatur vel ignoto: ex quo ſunt illa communia, non prohibere*

aquam

Digitized by Google

aquam profluentem: pati ab igne ignem capere, ſi quis velit: conſilium fid le deliberanti dare: quæ ſunt iis utilia, qui accipiunt, danti non moleſta. Ex quo extant illi Ennii verſus (*apud Tullium cit loc.*)

Homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Nihilominus ipſi luceat, cum olli accenderit.

Quod poſitum in his rebus, transferri per multas poteſt. Quamquam vero cuique prodeſſe conſentaneum eſt, modo nihil conferatur in vitia; tamen aliis alii præferendi ſunt, duce prudentia, ut ſupra vidimus.

XXV. Ex his, quæ dixi, duo conſequuntur. Primum eſt nihil eſſe cauſæ, cur a conferendis beneficiis retrahamur propter eorum multitudinem, qui ingrati videantur: neque enim danda ſunt beneficia ob fructum, quem nos ſperamus ex his eſſe capturos in poſterum, ſed ejus, quæ in beneficentia ineſt, honeſtatis cauſa; ſecus non virtus erit, ſed fœnus & mercatura. *Non eſt autem*, ait Seneca (*lib.1. de Benef. cap.1.*) *quod tardiores faciat ad benemerendum turba ingratorum: nam .... ne Deos quidem immortales ab hac tam effuſa benignitate ſacrilegi, negligenteſque eorum deterrent .... Hos ſequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non fœneremus*. Nec vero ſuſpicari licet, nobis benefacti mercedem, & hanc quidem ampliſſimam, defuturam; cum virtuti eam eſſe compertum ſit divinitus conſtitutam.

XXVI. Alterum eſt, ingratos ferendos eſſe toleranter, & æquo animo: quandoquidem nobis nihil nocent, nec quicquam de beneficii magnitudine detrahunt, nec de præcipuo fructu, quippequem jam cepimus. Ex quo conſequens eſt, beneficii, quod dederis, nunquam tibi eſſe pœnitendum. *Quæris .... quemadmodum ingrati*, ait Seneca [*lib.7. de Benef. cap.26.*] *ferendi ſint? placido animo, manſueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, & immemor, & ingratus offendat, ut non tamen dediſſe delectet. Nunquam in has voces injuria impellat: vellem non feciſſe.*

Digitized by Google

XXVII. Neque eſt, cur miremur, tot eſſe ingratos, cum mali ſint plurimi; & ſimiliter multa poſſint eſſe, quæ impediant officium, labor, impenſæ, periculum, pudor, ignorantia, pigritia, occupatio, cupiditas. Fieri etiam poteſt, ut, qui ingratus eſt, fiat gratus aliquando, noviſque beneficiis victus det manus: nam, ut ait P. Mimus (*v.78. in Mureto*)

Beneficium ſæpe dare, docere eſt reddere.

Cæterum ut ut res cadat, non eſt committendum, ut aut querelis, aut exprobrationibus quis ex ingrato evadat etiam inimicus, & malum malo cumuletur.

XXVIII. Hæc de beneficentia, quæ ut omnibus cordi ſit, vehementer exopto: eſt enim hominis propria, quippe qui, cum natus ſit ad ſocietatem, debet non modo ſuis, ſed alienis etiam maxime ſtudere commoditatibus, & imitari Deum, ad quem propius accedimus beneficentia. Pythagoras (*apud Ælianum lib.12. cap.54.*) dicebat, hæc duo divinitus hominibus data eſſe longe pulcherrima: veritatem amplecti, & aliis benefacere; & addebat, *utrumque cum Deorum immortalium operibus comparari poſſe*. Ex quo liquet, quam præclara ſit hæc virtus, & quam divina.

XXIX. Eſt etiam jucunda: *beneficium*, ait Ariſtoteles [*Rhetor. Art. lib.1. cap.11. tom.6.*] *tam conferre, quam accipere ex jucundis eſt*: & paullo poſt: *benemereri jucundum eſt*. Quamobrem beneficium definitur a Seneca (*lib.1. de Benef. cap.6.*) *benevola actio tribuens gaudium, capienſque tribuendo*. Lætatur enim, qui accipit, propter utilitatem; & is viciſſim, qui dat, cum propter honeſtatem actionis, tum propter alienam voluptatem, cujus ipſe cauſa cum ſit, particeps ſimiliter debet eſſe. Capitur etiam ex eo delectatio, quod beneficiis nihil ſit opportunius ad permovendam multitudinem, conciliandamque hominum caritatem.

XXX. Tandem beneficentia eſt quoddam ſemen maxime fructuoſum: *eſt enim liberale officium* (*Orat. antequam iret in exilium*) *ſerere beneficium*, ait Tullius, aut quiſquis ſit ejus orationis auctor, *ut metere poſſis fructum*. Et Publ. Mimus (*v.4. in Mureto*)

Ab

Ab alio expectes, alteri quod feceris.
Aut enim is, quem juveris, aut alius,
Aut Deus ipſe remunerat benefactum.

XXXI. Vitium, quod a beneficentia deficit, non ſolum quia non attingit modum, ſed etiam quia ab eo longe diſcedit, eſt maleficentia; hoc eſt, prava quædam affectio, qua fit, ut proclivis ſit, & facilis animus ad nocendum. Sunt autem qui nocent, impellente cupiditate, hoc eſt, aut utilitatis, aut voluptatis gratia; qui quidem dum ſuis rebus proſpiciant, detrimentum creant alienis, peſtes civitatum, rerumque publicarum. Sunt alii, qui innato quodam vitio naturæ, & ingenii pravitate more ferarum belluarum trahuntur ad malefaciendum quaſi gratuito, inferendiſque moleſtiis & incommodis delectantur. Hos monſtra dixeris, quæ ad labefactandam, perturbandamque humanam ſocietatem nata videantur.

XXXII. Non modo malefici contra beneficentiam peccant, ſed etiam inofficioſi, qui & deſunt a modo: poſſunt enim plura uni virtuti vitia repugnare. Inofficioſi autem dicuntur hoc loco, qui etſi non nocent; nemini tamen benefaciunt; cum nolint in aliorum commoditatem curas, moleſtiaſque ſuſcipere: homines plerumque & ſomno, & cibis, deliciiſque dediti, otioſi, ac pigri. Quod ſi aliis non proſint ob naturalem hebetudinem, qua minus apti ſunt ad præſtandam operam ſuam, miſeratione potius, quam reprehenſione digni videntur. Illi vero in hoc genere culpandi, qui cum multis functi ſint laboribus & officiis etiam pro patria, & civibus, tum ſe ad ſolitudinem & ocium conferunt, & claudunt quaſi fontem beneficentiæ; niſi tamen id faciant, ut in receſſu animum a vitiis liberent, ornentque virtutibus, ejuſque ſaluti diligentius conſulant. Tunc nihilominus non deſerenda, ſed commutanda officia beneficentiæ.

XXXIII. Vitium, quod nimium eſt, beneficentiæ contrarium, caret nomine. In hoc fortaſſe peccant ii, qui cuique benefaciunt temere & ſine delectu, non judicio ac ratione; ut enim reliquarum virtutum, ita beneficentiæ comes debet eſſe prudentia. Sunt quidam interdum aut dulces natura, aut inconſiderati, qui nulli deſunt commendatione, gratia, pa-

patrocinio, nec dignum ab indigno ſecernunt, nec rationem habent loci & temporis: itaque beneficia videntur profundere, non donare. *Ego vero*, ait Seneca [*lib.1. Benef. cap. 14.*] *beneficiis non obiiciam moras, quæ quo plura, majoraque fuerint, plus afferent laudis. Adſit tamen judicium*, quo nimirum utamur, ut duce, dum benefacimus.

CAPUT XX.

De Liberalitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Liberalitati contraria.

I. Liberalitas eſt conſtans quædam animi affectio conſervatrix mediocritatis in uſu pecuniarum, qui duplex eſt, ſumptus, & donatio. Ex quo duo conſequuntur, quorum primum eſt, liberalitatem eſſe virtutem: nam qui bene utitur pecunia modum tuendo, cum poſſit male uti, & vel modum ſuperare, vel ab eo deficere, facit honeſte, iccircoque fungitur officio virtutis, ut is, qui modum retinet in cibo, in potu, in adeundis periculis. Alterum eſt, materiam liberalitati ſubjectam eſſe pecuniam, ſeu potius rectum uſum opum & facultatum: nam pecuniarum nomine accipienda ſunt omnia, quorum nummo ponderatur æſtimatio [*Ariſtoteles lib.4. Ethic. cap.1.*] & quæ noſtro ſunt in patrimonio, ut agri, ut arbores, ut domus, ut pecudes, ut ſuppellex (*vid. l.4. & l.222. ff. de verborum, & rerum ſignificat.*)

II. Atque hinc intelligi poteſt quid diſcrepet inter beneficentiam, de qua dixi capite ſuperiore, & liberalitatem: illa enim latius patet, ac prodeſt præſertim opera; hæc minus late, juvatque tantum pecuniis: itaque non eadem res eſt utrique propoſita, cum finis ſit idem utriuſque, hoc eſt, prodeſſe gratuito, & in reliquis fere magna conſenſio: nam danda pecunia eſt non temere, ſed cogitato, & libenter, & cito, & clam interdum vel eo inſcio, qui accipit, & quamquam non roget, non ad oſtentationem & gloriam, ſed benefica voluntate, honeſtatis officiique cauſa, non uti-

utilitatis & fructus. *Quid?* ait Tullius (*de Leg. lib. 1.*) *liberalitas gratuita ne eſt, an mercenaria? Si ſine præmio benigna eſt, gratuita: ſi cum mercede, conducta: nec dubium eſt, quin is, qui liberalis benignuſve dicitur, officium, non fructum ſequatur*: quoniam cum cæterarum virtutum omnium, tum maxime liberalitatis ſplendor extinguitur plane omnis, ſi quod facis, id non honeſtatis cauſa facias, ſed commodorum: quid enim magis a liberalitate alienum eſt, quam emolumenta ſectari, cum maxime liberum animum a ſtudio pecuniarum, ex quo liberalitas dicta eſt, præteferre videaris.

III. Nec gratuita eſt illa quidem liberalitas, qua velis alienos animos devincire, ut bene tibi ſit, aut ne male; cum poſſint homines & nocere, & prodeſſe. *Præclare*, ut ſcribit Tullius (*lib. 2. Offic.*) *epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus excuſat, quod largitione benevolentiam Macedonum conſectetur. Quæ te malum, inquit, ratio in iſtam ſpem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, ut Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum & præbitorem ſperent fore?* Similiter ut beneficus, ita liberalis ſpectat opportunitatem loci ac temporis; & quibus largiendum ſit, & quantum, conſiderat; cæteraque ſervat omnia, quæ rectam & æquam largitionem ſequuntur.

IV. Tres vero potiſſimum inter alias liberalitas habet cautiones, quas oportet expendere paullo diligentius. *Videndum eſt enim*, ut eſt apud Tullium (*lib. 1. Offic.*) *primum ne obſit benignitas* [hoc eſt, liberalitas] *& iis ipſis, quibus benigne videtur fieri, & cæteris; deinde ne major benignitas ſit quam facultates. Tum ut pro dignitate cuique tribuatur.* Initium ducamus a primo. *Qui gratificantur cuipiam*, pergit Tullius [*cit. loc.*] *quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur, non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi atque aſſentatores judicandi ſunt:* qua de re ſatis dixi capite ſuperiore. *Et qui aliis nocent, ut in alios liberales ſint, in eadem ſunt injuſtitia, ut ſi ipſi in ſuam rem aliena convertant. Sunt autem multi, & quidem cupidi ſplendoris & gloriæ, qui eripiunt aliis, quod aliis largiantur . . . . id autem tantum abeſt ab officio, ut nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, ut ea liberalitate utamur, quæ proſit amicis, noceat nemini. Quare L. Syllæ, & C. Cæſaris pecuniarum translatio a juſtis do-*

mi-

Digitized by Google

minis ad alienos non debet liberalis videri. In quo genere & ii peccant, qui turpi quæſtu, fœnore, & illiberali proventu, & iniquis rationibus, quæcumque illæ ſint, pecuniam parant, ut largi deinde, ac liberales videantur. At quo pacto a turpitudine proficiſci poſſit præſtantia virtutis?

V. Eademque eſt ejus liberalitatis ratio, quæ non in largitione quidem, ſed in ſumptu cernitur: ſunt enim quidam in ſuppellectili, in menſa, in famulis, in curribus, in ludis, in veſtibus ſumptuoſi, qui vulgo quaſi liberales habeantur, ſed reipſa injuſti ſint: contrahunt enim magnum æs alienum, quo ſe liberare aut non poſſint, aut non velint; mercatores, artifices, operarios debito pretio fraudant pactaque mercede, lauteque vivunt alienis laboribus, ac pecuniis; cumque putent conſulere ſe dignitati ſuæ, id faciunt, quo nihil ſit a boni viri fama, ac dignitate disjunctius; & cum ne reddant quidem aliena, in liberalium numero ipſi ſe haberi volunt, hoc eſt, eorum, qui ſua largiuntur.

VI. Alterum eſt, ne liberalitas major ſit facultatibus: *propterea quod qui benigniores volunt eſſe*, ut Tullius ſcribit (*lib.* 1. *Offic.*) *quam res patitur, primum in eo peccant quod injurioſi ſint in proximos; quas enim copias his & ſuppeditari æquius eſt & relinqui, eas transferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerumque rapiendi, & auferendi per injuriam, ut ad largiendum ſuppetant copiæ: cum enim*, ut ſcribit alio in loco [*de Offic. lib.*2.] *dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur*. Si tamen liberalitas ſit in pauperes, & ex propriis quidem bonis, non ſunt illi anguſti fines conſtituendi: nam, cum caritas late patere debet & ſinum aperire, tum ejus virtutis officium eſt maxime fructuoſum, non modo benefacienti, ſed etiam poſteris.

VII. At cum illud liberalitatis genus ad alia pertinet minus neceſſaria, cautius eſt adhibendum: *multi enim*, ut bene Tullius (*lib.* 2. *Offic.*) *patrimonia effuderunt inconſulte largiendo. Quid autem eſt ſtultius, quam quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non poſſis?* & paullo poſt: *Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, ut eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, ne pateat omnibus. Modus adhibeatur, iſque referatur ad facultates. Omnino memi-*

miniſſe debemus, id quod a noſtris hominibus ſæpiſſime uſurpatum jam in proverbii conſuetudinem venit, largitionem fundum non habere: etenim quis poteſt modus eſſe, cum & iidem, qui conſueverunt, & idem illud alii deſiderent?

VIII. Neque vero minus liberalis eſt is, qui parum largitur, quam qui multum: id enim, quod parum videatur, magnum poteſt eſſe, ſi ad facultates & animum referatur: *neque enim ex numero beneficiorum*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *quæ dantur, ſed ex animo & voluntate ejus, qui dat, omnis eſt ſpectanda liberalitas: animus autem in dando rationem habet facultatum. Quamobrem nihil prohibet liberaliorem eſſe eum, qui minora confert beneficia, ſi ex minoribus, quæ ſuppetant, copiis largiatur*, iccircoque majorem ſibi gloriam comparare, quod & Quinctilianus obſervat (*lib.* 3. *Orat. Inſtit. cap.* 9.) tum vero quo dandi facultas contractior eſt, eo diligentior cura adhibeatur in eorum delectu, quibus largiaris. Ex quo conſequens eſt, qui in liberalitate non poſſit excellere, eſſe neminem; hæc enim virtus, ut aliæ omnes, ineſt in voluntate, quamquam cum præſtari poſſunt officia, non ſunt prætermittenda; qui enim non facit, cum poteſt, eum nolle facere compertum eſt, ut ſupra dixi (*lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 6.)

IX. Liberalis igitur dat & libenter ut opes ferunt. Atque ex eo naſcitur, eum fere non eſſe locupletem: nam pecuniam effundit in proximos. *Itaque accuſatur fortuna*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *quod minime locupletes, copioſique ſint ii, qui ſunt digniſſimi*; at quo pacto qui nullam dat operam, ut eas ſervet, poſſit opibus abundare? Immo vir liberalis non modo dat pro facultatibus, ſed, quod ejus eſt proprium, potius modum ſuperat in largiendo, quam deſerat: niſi enim optimam mediocritatis regulam plane perſpiciat, mavult leve aliquid in eo peccare, quod nimium eſt, quam quod parum: quod præſertim facit is, qui rem habet nullo labore partam, ut Ariſtoteles ſcribit (*cit. loc.*) *Ad opem autem*, inquit, *ferendam aliis propenſiores ſunt ii, qui non ſuo labore & diligentia opes pararunt, ſed ab aliis partas acceperunt; neque enim experti ſunt, egeſtatis quam ſit grave malum. Et ſua cuique facta magis placent, ut parentibus, & poetis.*

X. Tertium eſt propoſitum, ut in liberalitate delectus eſſet dignitatis; hoc eſt, eorum, quibus velis benigne facere largitione rerum & pecuniarum. Exercenda autem liberalitas eſt in omnes, ut beneficentia, de qua ſupra dixi (*cap.19. hujus 3. part.*) ſed præſertim in amicos, in cives, in domeſticos ac familiares, in benemeritos, eorumque poſteros, qui juvandi ſunt frumento, pannis, pecunia, aliiſque rebus, quarum forte egeant. Excelluit quidem hac in re Mediolanenſis antiſtes SS. Carolus Borromeus [*in ejus vit. a Petro Juſſano deſcripta lib.* 8. *cap.* 25.] aliique quamplures.

XI. Tum liberaliter agendum eſt cum literatis viris, qui nimirum ſint optimis diſciplinis & artibus eruditi: eſt enim conſentaneum eos ornare, ac neceſſariis ad honeſte vivendum opibus donare, qui poſſint, ac velint prodeſſe quamplurimis, quod cum largienti glorioſum eſt, tum maxime utile & fructuoſum reipublicæ: florent enim pulcherrima ſtudia, excellenti aliqua mercede propoſita. Plures quidem ſumma cum gloria præſtantes doctrina viros honeſtiſſimis muneribus proſecuti ſunt [*vid. Jovianum Pontanum de Liberalit.*]

XII. Eſt etiam optimum adoleſcentes ingenii vi, & bona indole præditos, quorum anguſta ſit res familiaris, ſuſtentare pecuniis, ut animum excolere poſſint, & literarum ſtudiis operam dare. Quare noſtra etiam Reſpublica jure laudari poteſt, quæ cum domi præceptores conſtituit inſtituendæ juventuti, tum pecuniam multis ſuppetit, qua eorum egeſtate ſublevata, alio ſe conferant, ut aut philoſophia, aut juriſprudentia, aut architectandi arte, aut mathematicis diſciplinis erudiantur. Quod liberalitatis genus etiam privati quidam æmulati ſunt; quippe qui in eamrem proventus, atque uſumfructum bonorum ſuorum legarunt; cum ferendum ipſis minime videretur, propter ignorationem rerum utilium, & cognitione digniſſimarum caligine quaſi circumfundi reſpublicas; quarum ſplendor cernitur & apparet lumine literarum. Utinam hoc ſtudium adeo exardeſceret, ut nobilis quædam academia tandem aliquando exraret in civitate, & domeſtica, ut ita dicam, eſſet, nec aliunde huc advehenda ipſa ſapientia.

XIII. Habenda vero in primis ratio eſt, ut liberalitas conferatur ad eos, quos adverſæ res premunt, ut egeſtas, ut morbus, & quibus impendent pericula aut vitæ, aut famæ, aut animorum. *Liberales autem*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *qui ſuis facultatibus aut captos a prædonibus redimunt, aut æs alienum ſuſcipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant*. Feminis profecto, ſi pauperes ſint, & humana ope deſtitutæ, adjumentum afferre cum ad vitam tuendam, tum ad verecundiam præſtantiſſimum eſt, maximeque laudabile; quemadmodum & afflictos recreare, & alienis quibuſque calamitatibus ſubvenire, cum fieri poteſt, erogata pecunia: *largire cæcis*, ait Lactantius (*lib.6. Divin. Inſtit. cap. 11.*) *debilibus, claudis, deſtitutis, quibus niſi largiare, moriendum eſt: inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui eos retinet in vita, qui ſpiritu donat, qui luce dignatur. Fove quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta*. Eam vero apud Plautum ſententiam ſummopere deteſtatur.

Male meretur qui mendico dat, quod edat:
Nam & illud, quod dat, perit,
Et illi producit vitam ad miſeriam.

Tum vero eodem in loco reprehendit acriter Ciceronem; qui nimium viſus ſit contrahere liberalitatem, & largitioni anguſtiores terminos præfinire, prælertim cum ſcribit (*lib.2. Offic.*) ſæpe idoneis hominibus indigentibus de re familiari eſſe impertiendum. *Quid eſt idoneis?* inquit Lactantius (*cit. loc.*) *nempe iis, qui reſtituere ac referre gratiam poſſint*.

XIV. Verum non credo, hanc eſſe Tullii ſententiam, cum ſæpe ſcribat, virtutem omnem & in primis liberalitatem debere eſſe gratuitam, ut (*in libro 1. de Legibus*) quem locum ſupra commemoravi, & (*in Lælio*) *benefici*, ait, *liberaleſque ſumus, non ut exigamus gratiam: neque enim beneficium fœneramur*; & (*in Offic. lib.2.*) honeſtam ait eſſe orationem eorum, qui dicunt, *ſe in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam ſequi*, & non multo ante, cum aliam ſtatuat eſſe *cauſam ejus, qui calamitate pre-*

premitur, & ejus qui res meliores quærit, nullis ſuis rebus adverſis; tum pergit [*cit. loc.*] *propenſior benignitas eſſe debebit in calamitoſos*. Et deinde: *in his tamen, qui ſe adjuvari volent non ut ne affligantur, ſed ut altiorem gradum aſcendant, reſtricti omnino eſſe nullo modo debemus; ſed in deligendis idoneis judicium & diligentiam adhibere*. Idonei vero apud Tullium intelligi videntur ii, qui digni ſint, non qui gratiam referre poſſint: nam (*in eodem libro* 2. *Offic.*) *ſed animadvertendum eſt*, inquit, *diligentius, quæ natura rerum ſit: nimirum enim inops ille, ſi bonus eſt vir, etiamſi referre gratiam non poteſt, habere certe poteſt. Commode autem quicumque dixit; pecuniam qui habeat, non reddidiſſe: & qui reddiderit, non habere: gratiam autem & qui retulerit, habere, & qui habeat, retuliſſe*.

XV. Itaque non id Tullius exigit, ut is, cui proſis, gratiam queat referre, ſed ut beneficia in bono & grato homine collocentur. Eſſe autem habendum in liberalitate proborum, improborumque delectum, inter omnes convenit: ſi enim pecuniam largiaris indignis, facile deeſt quod dignis impertias (*vid. Ariſtoteles Ethic. lib.* 4. *cap.* 1.) Porro eſt minus dignus, qui non gratus; hoc eſt, qui ne beneficii quidem ſit memor, atque ipſe idem improbus eſt. Nihilominus illud verum, quamquam bonos malis præferri par eſt; tamen non eſſe omnino indignos & improbos excludendos, ſi collata liberalitas nec illis ipſis, quibus adhibetur, nec reipublicæ detrimentum ſit allatura, ut dixi capite ſuperiore; quod valet etiam in hoſtes & adverſarios.

XVI. Cæterum liberalitas fere male exercetur in locupletes, qui nec indigent, nec grati ſunt. *At qui ſe locupletes* ait Tullius (*lib.*2. *Offic.*) *honoratos, beatos putant, ii ne obligari quidem beneficio volunt: quin etiam beneficium ſe dediſſe arbitrantur, cum ipſi quamvis magnum aliquod acceperint: atque etiam a ſe aut poſtulari, aut expectari aliquid ſuſpicantur, patrocinio vero ſe uſos, & clientes appellari mortis inſtar putant*. Contra pauperes grati ſolent eſſe, & memores beneficiorum, & quamquam nulla ſit expectanda remuneratio; nihilominus grati animi ſenſu jure merito delectamur. *At vero ille tenuis*, pergit Cicero [*cit. loc.*] *cum quicquid factum ſit, ſe ſpectatum, non fortunam putet, non modo illi, qui eſt*

eſt meritus, ſed etiam illis, a quibus expectat (eget enim multis) gratum ſe videri ſtudet; neque vero verbis auget ſuum munus, ſi quo forte fungitur, ſed etiam extenuat.

XVII. Deinde grata eſt hæc largitio etiam aliis omnibus, qui eadem utuntur tenui fortuna: rurſus Cicero (*lib.2. Offic.*) *Omnes non improbi humiles* [*quæ magna in populo multitudo eſt*] *præſidium ſibi paratum vident*; & ſic habent, liberalem virum commune perfugium eſſe omnium: quare & *immemorem beneficii oderunt* [*Tullius cit. loc.*] *eamque injuriam in deterrenda liberalitate ſibi etiam fieri, eumque, qui faciat, communem hoſtem tenuiorum putant.*

XVIII. Eam in pauperes, afflictoſque bonitatem ſcribit Tullius (*cit. loc.*) largitione munerum multo eſſe præſtantiorem. *Hanc ergo*, inquit, *conſuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Nec eſt gravium hominum atque magnorum: illa quaſi aſſentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quaſi titillantium.* Celeberrima eſt Cimonis Athenienſis in pauperum indigentia ſublevanda liberalitas, quæ tanta fuit, quemadmodum a Cornelio Nepote memoriæ proditum eſt (*in ejus Vit. cap.* 4.) *cum compluribus locis prædia, hortoſque haberet, ut nunquam eis cuſtodem impoſuerit fructus ſervandi gratia; ne quis impediretur, quominus ejus rebus, quibus vellet, frueretur; ſemper eum pediſſequi cum nummis ſunt ſecuti, ut ſi quis opis ejus indigeret, haberet, quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe cum aliquem offenſum fortuna videret, minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit.* Sed non opus eſt hujus rei exempla quærere aliena ac longe remota; cum fere infinita habeamus propiora & domeſtica: quotquot enim in chriſtiana religione vitæ ſanctitate floruerunt, modo per opes liceret, hoc liberalitatis genere celebrantur.

XIX. Non modo autem privatorum commoditati atque indigentiæ conſulendum eſt pecunia, ſed etiam multo magis reipublicæ, ſi res ferat; & ipſa viciſſim reſpublica, principes, ac magiſtratus liberalitate uti debent in populos, & cum videre ne de bonis privatorum publice diminutio fiat, tum eos calamitatibus ac periculo liberare erogatione pecuniæ: liberalitas enim maxime eos decet, qui præſunt; ſic enim fit, ut ſibi benevolentiam concilient, qua maxime ni-

nititur principatus: modo largiantur & quomodo, & quibus, & quantum oportet, quoniam ſi temere dent, & præſertim exteris, qui ſint minus digni, poſthabitis civibus, ac bene merentibus, ſolet uſuvenire, ut reſpublica perturbetur.

XX. Nec vero morte circumſcribenda eſt, ac finienda liberalitas, ſed producenda in poſterum tempus teſtamentis, & codicillis, ut ſit, quoad fieri poteſt, ſempiterna, & proſit non modo præſentibus te vivere, ſed etiam vixiſſe poſteritati. In tabulis autem ſcribendis maxime ratio habenda eſt eorum, quibus obſtrictus ſis ob accepta beneficia. De cautionibus in conferenda liberalitate hactenus.

XXI. At cum nemo poſſit ſequi benignitatem in dando, ſi ſemper effundat, nunquam vero accipiat, paretque pecuniam, ut a liberali non eſt negligenda erogandi ratio, ita nec accipiendi & comparandi regula: erogare tamen liberalitatis eſt; accipere vero non ita; quamquam ad liberalitatem exercendam neceſſarium. Ea porro eſt accipiendi prima lex & conditio, ut liberalis nunquam ſumat unde nefas ſit, nec a quolibet, nec a quibus non oporteat: *quippe cum*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *ita non ſoleat accipere is, qui pecunias contemnat, ac pro nihilo putet*, ſed potius qui amet, & ſordidus ſit, atque avarus.

XXII. Altera eſt, liberalem non eſſe proclivem ad poſtulandum: *nec idem*, pergit Ariſtoteles (*cit. loc.*) *ad petendum proclivis eſt, quod non libenter beneficium accipiat is, qui dare ſolet*: immo liberalis ſæpe eſt vel ultro oblata repudiare, cum poteſt, ſine ruſticitatis nota; aut ſi accipiat, id facit, ut, qui dedit, liberior ſit ad majus aliquod beneficium petendum, aut juſta alia de cauſa. Parva tamen ac minuta dona non ſunt rejicienda, ſed læta fronte, & grato animo, & perhumaniter excipienda; ne quid, propterea quod parum eſt, non quod munus eſt, reſpuere videamur. Artaxerxes quidem Perſarum rex humanum, & regium non minus exiſtimabat eſſe, parva benigne, alacriterque accipere quam magna largiri (*apud Plutarchum in Apophthegmatis initio libri* 2.) His munuſculis exceptis, vir liberalis fere ab accipiendo abſtinebit, ut dixi: *accipiet tamen*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *unde æquum erit, ut de ſuis facul-*

cultatibus & copiis; non quod honeſtum ſit, ſed quia neceſſe, ut ad largiendum ſuppetant copiæ. Nec vero ſua negliget, qui nonnullis quidem ex his opitulari velit. Et Tullius: *habenda autem*, inquit, *eſt ratio* (*lib.* 2. *Offic.*) *rei familiaris, quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita, ut illiberalitatis & avaritiæ abſit ſuſpicio: poſſe enim liberalitate uti non ſpoliantem ſe patrimonio, nimirum is eſt pecuniæ fructus maximus.*

XXIII. Verum etſi vir liberalis curare debet res ſuas, non iccirco acerbius exigere: *conveniet autem*, ut rurſus ſcribit Cicero (*cit. loc.*) *cum in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum: in omnique re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando vicinitatibus, & confiniis æquum & facilem; multa multis de jure ſuo cedentem: a litibus vero quantum liceat, & neſcio an paullo plus etiam, quam liceat abhorrentem: eſt enim non modo liberale paullum nonnunquam de jure ſuo decedere, ſed interdum etiam fructuoſum.*

XXIV. Quod ſi quando major aliqua comparata ſit vis pecuniæ, liberalis eſt geſtiente lætitia non efferri ob ampliorem illum proventum aut quæſtum; ſed gaudere tantum ob eam cauſam, quod prodeſſe queat pluribus, qui finis eſt largitati propoſitus. Quapropter *moleſtius feret*, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.*4. *Ethic. cap.* 1.) *ſe ſumptus non feciſſe, quos debuit;* proptereaquod finem non ſit, quem vellet, conſecutus.

XXV. Jam vero reſtat, ut ſtudeamus operam dare liberalitati, cujus ſtabilis eſt, & firma poſſeſſio, cum opes & divitiæ facile dilabantur, & cum poſſidentur, meliorem efficiant neminem, ſed tantum cum erogantur: nam rectus uſus ponitur in laude, non cenſus: *Tunc eſt pretioſa pecunia*, ait Beotius (*de Conſol. Phil. lib.*2. *proſ.*5.) *cum tranſlata in alios largiendi uſu deſinit poſſideri:* Iccirco Ageſilaus (*apud Plutarchum in Apophthegmat. Laconic.*) ait, ſe ditandis militibus potius delectari, quam opibus poſſidendis.

XXVI. Nihil eſt etiam liberalitate ad memoriam nominis propagandam accommodatius: *Divitiæ ne*, ait Boetius (*cit. loc.*) *vel veſtri, vel ſui natura pretioſæ ſunt? Quid earum potius? Aurum ne, an vis congeſtæ pecuniæ? Atqui hæ effundendo magis, quam coacervando melius nitent; ſiquidem avari-*

ritia ſemper odioſos, claros largitas facit. Et quidem maxime celebratur monumentis literarum liberalitas Artaxerxis Longimani, Alexandri Magni (*apud Plutarchum in Apophthegmat* §. *Artaxerxes & §. Alexander*) Titi Flavii Veſpaſiani filii [*apud Suetonium*] Alexandri Severi [*apud Lampridium*] aliorumque quamplurium (*vid. & Valerium Maximum lib.4. cap.8. & Jovianum Pontanum libr. de Liberalit.*) Sed noſtri multo magis hoc laudis genere commendantur, quos ſi commemorare velim, nimius ſim in dicendo.

XXVII. Prætereo benevolentiam, quam liberalitate conciliari ſupra vidimus; *qua* (liberalitate) *qui utuntur*, ait Tullius (*lib.1. de Finibus*) *benevolentiam ſibi conciliant, & quod aptiſſimum eſt ad quiete vivendum, charitatem:* & Ariſtoteles (*lib.4. Ethic. cap.1.*) *Jam omnium, in quibus virtus ineſt, ii fere diliguntur maxime, qui fama & laude valent liberalitatis;* & hanc affert rationem, quod proſunt aliis: nam juſti ſæpe numero moleſti ſunt, ut animadverſum eſt a Giphanio (*Comment. in eum Ariſt. locum*) prudentes habentur pro callidis, temperantes in multorum reprehenſionem incurrunt, quaſi nimis acerbi & aſperi; ſola liberalitas pergrata eſt, quod utiliſſima ſit, & commune perfugium omnium: in qua re & fortitudini, & juſtitiæ, & temperantiæ antecellit; quamquam ſit ipſis inferior vi ac natura, ut traditum eſt a Thoma Aquinate (*2. 2. q. 117. art.6. in C.*)

XXVIII. Vitium, quod parum eſt, liberalitati contrarium, dicitur avaritia; hoc eſt, immoderatum ac vehemens ſtudium divitiarum: quod & nomen indicat: nam avere, ex quo illa nominatur, eſt accenſa alicujus rei cupiditate teneri. *Avaritiæ quidem crimen*, ait Ariſtoteles (*lib.4. Ethic. cap.1.*) *iis ſemper attribuimus, qui nimio pecuniarum ſtudio tenentur.* Non eadem vero avaritiæ forma ineſt in omnibus: quatuor enim eorum genera videntur eſſe, quos avaros dicimus: hoc eſt, aut aridi ſunt, aut ſordidi, aut avidi, aut injuſti.

XXIX. Aridi, exſiccati, exangues ac duri nominantur ii, qui deſunt dando; nimirum aut parum largiuntur, aut nihil: quis enim ex arido elici ſuccus poſſit, aut e dura ſilice? Avarus hujus generis lepide deſcribitur a Theophraſto (*in Charact. num.10.*) ne ficum quidem ex horto ſuo guſtare quem-

quempiam ſinit, & per fundum ſuum tranſire neminem; ne qua olea, aut dactylus, qui in terram decidit, auferatur, aut forte gleba pedibus adhæreſcat: tum ipſos terminos quotidie inviſit, inſpectatque diligenter, an ſuo loco perſtent immobiles. Si quos convivio excipiat, cum id ægre facit, tum carnes minutatim conciſas ſolet apponere, & pocula, quæ exhauriuntur a ſingulis, numerare; interim vero non ſecus dolet & angitur, ac ſi ſanguinem ex ejus venis extraxerint. Mandat uxori, ne quid commodet, non ſalem, non cyminum, non origanum, non braſſicam, non olei, non aceti, non farris quicquam, non hordei: etenim has ait res, etſi parvæ ſint, ſingulis annis fieri permultas; neque vero quicquam dat benemerenti, aut ita parum ac perexiguum, ut minus indecorum ſit nihil dare. Similiter cave putes, eum unquam pauperum calamitatibus ſubvenire.

XXX. Ex retinendi autem cupiditate conſequitur amittendi dolor; contendit ergo, queritur, litigat, vociferatur vel unius teruncii gratia. Si quam ollam famulus, aliudve tale fregerit, clamare primum, tum ei de rebus, quæ ad victum ſunt neceſſariæ, detrahere. Si obolum uxor amiſerit, omnem is ſupellectilem, lectos etiam loco movet, & ſtragula ſcrutatur omnia. Perbelle aridi ſenis perſonam refert Euclio ille Plautinus (*in Aulularia act. 2. Scen. 4.*) de quo ita Strobilus:

Pumex non æque eſt aridus, atque hic eſt ſenex
. . . .
Suam rem periiſſe, ſeque eradicarier,
Quin Divum, atque hominum clamat continuo fidem,
De ſuo tigillo fumus ſi qua exit foras.
Quin cum it dormitum, follem obſtringit ob gulam.

Et rurſus (*cit. loc.*)

Pulmentum pridem eidem eripuit milvius,
Homo ad prætorem plorabundus devenit.
Infit ibi poſtulare plorans, ejulans,
Ut ſibi liceret milvium vadarier.

Digitized by Google

Dum vero ſenex ille ollam amittit auri plenam, bone Deus! quot gemitus & ejulatus! (*ib. ſcen. 9.*)

Perii, interii, occidi, quo curram? Quo non curram?
Tene, tene! quem? quis? neſcio; nihil video, cæcus eo, atque
Equidem quo eam, aut ubi ſim, aut qui ſim, nequeo cum animo
Certum inveſtigare. . . . .

XXXI. Aliud genus eſt ſordidorum, qui & parci, & adſtricti, & minuti, & conciſi dicuntur, & vitium, quo laborant, pravaque animi comparatio, apte nuncupatur ſordida parſimonia, atque intempeſtiva tenuitas, quæ ſtudium quoddam eſt parcendi ſumptibus præter modum ad ſervandam, augendamque rem familiarem. Horum quidem ſupellex, domus, veſtes, menſa nihil præſeferunt, niſi quidpiam humile, & anguſtum, & ſordidum. Cœnam ab eo paratam, qui nimius eſſet in parcitate, deſcribit Ammianus (*apud Stobeum tom. 1. ſerm. 10.*) *Quaſi mactaſſet hortum*, inquit, *cœnam appoſuit Apelles, oves pro amicis paſcendas ſibi ratus. Radix erat, intybum, fænogræcum, lactucæ, porrum, bulbi, ocimum, menta, ruta, aſparagus. Hinc ergo timens, ne fœnum quoque mihi apponeret, cum lupinos comediſſem ſemimaceratos, aufugi.* In hanc rem bene Theocritus (*apud Stobeum de Parcit. ſerm. 16.*)

Decoque lenticulam, ſatius tibi paſtor avare,
Quam læſiſſe manus, reſecas dum falce cyminum.

XXXII. Homines retinendæ pecuniæ in primis dediti, nunquam id dimittunt, quod ſemel in eorum manus incidit. Magna contentione opus eſt, ut aliquid vel parum impendant in uxorem, in filios, in domeſticos, in ſuſtinendam domum fere collabentem: uti vero in obſoniis emendis diu occupati fuerint, nulla re empta, tandem revertuntur, ut ſcribit Theophraſtus [*in Charact. num. 10.*] & ſe, & domeſticos quibuſvis vel honeſtis oblectationibus interdicunt, ſi vel minima ſit eroganda pecunia.

XXXIII.

XXXIII. Quod ſi quid educant ex arca neceſſitate coacti, magnam moleſtiam capiunt, & ea queruntur conſtare plurimo, quæ cæteroquin parvo ſint empta: *auferentes vero aliquid de rebus ſuis*, ait Antiphon (*apud Stobeum tom.1. ſerm.10.*) *& in uſum convertentes, tam dolent, quam ſi de corpore ſuo ipſis adimeretur*. Ferunt Galbam imperatorem, vere ne an falſo dubitat Svetonius (*in Serg. Sulpit. Galba num 2.*) parata hoſpitibus lautiore cœna ingemuiſſe: quo nihil eſt turpius: ſi enim, qui ſordidi ſunt, omnes vituperantur, quanto magis reges ac principes?

XXXIV. Avari tamen, qui ſunt ex eorum genere, de quibus hactenus dixi, *alienum non appetunt*, ut Ariſtoteles ait [*lib.4. Ethic. cap.1.*] *nec volunt eripere: quorum alii id faciunt bonitate quadam, rerumque turpium fugâ: videntur enim quidam aut certe ajunt, ſe, ob eam cauſam tueri, ac conſervare ſua, ut ne aliquando turpe aliquid facere cogantur. In his cumini ſector ille & ſi quis talis: qui omnes ex ſingulari quadam avaritia nominati ſunt. Alii autem metu ab alieno manus abſtinent, quod non ſit facile, qui ab aliis eripiat, ejus res ab aliis non detrahi, & auferri. Placet ergo his talibus neque dare aliis quicquam, nec viciſſim ab aliis accipere.*

XXXV. Verum ſi quis parcat ſumptibus, qui omnino neceſſarii non ſunt, ac parvo contentus ſit in victu, in ſupellectili, in veſtibus, aliiſque hujus generis, propterea quod anguſta eſt res familiaris, & ampla familia, vel ob eam cauſam, ut quod ſibi detrahit, id conferat in alienam commoditatem; hunc quidem non avarum & ſordidum judicare debemus, ſed providum, temperantem, beneficum ac liberalem. Frugaliſſimum fuiſſe accepimus Fabricium Romanum civem [*vid. Valer. Max. lib.4. cap.3. num.6.*] De quo Virgilius [*Æneid.6. v.844.*]

> . . . . *parvoque potentem*
> *Fabricium*. . . . .

Is Samnitibus, cum dono offerrent grandem pecuniam, rogarentque, ut acciperet ad lautius vivendum pro dignitate, reſpondit, dum ſenſuum cupiditatibus imperare poſſet, ſibi nihil unquam defuturum (*apud Gellium noct. Attic. lib.1.*

cap. 14.) Hoc temperantiſſimum vitæ inſtitutum ſumma cum laude ſecuti ſunt omnes, quorum fuit apud nos ſanctitas, morumque innocentia ſingularis.

XXXVI. Tertium genus eſt avidorum, qui ſunt in appetendo aliena, accipiendoque nimii, & paſſim, & a quovis accipiunt: ea fame laborant, ut oſſa quæque corrodant canum more; nihil eſt quod turpe putent, modo in domum inferant quicquam: iccirco in illiberali quæſtu, ſi opus ſit, atque arte verſantur; & quamquam affluunt pecunia, tamen majorem quærunt vel e macello & caupona, aut colluvie, fœditate, ac ſordibus latrinarum: magna ſubeunt pericula perexiguæ utilitatis gratia, qua omnia metiuntur, & probra ac dedecora ſuſtinent, incommoda, labores, curaſque ſuſcipiunt; cum non fruantur quæſitis. Aſininam hanc habendi cupiditatem vocat Plutarchus (*de Cupidit. divit.*) quoniam ut aſinus in ferendo commeatus, ut panem, ut vinum, ut oleum, ut carnes, nihil habet præter onus, ſed his non veſcitur; ita avari, de quibus loquor hoc loco, exantlatis laboribus conficiuntur, inde fructum non capiunt.

XXXVII. Reſtat quartum, & omnium deterrimum avaritiæ genus eorum proprium, qui opes ſuas augent alienis, repugnante ratione, qui fraudant, decipiunt, pejerant, teſtamenta ſupponunt, in hæreditates invadunt, fœnerantur; fraudibus, dolis & calliditate, malis artibus, furtis, latrociniis, omnique flagitii genere lucrum quærunt, nulla habita ratione religionis, honeſtatis, amicitiæ, propinquitatis ac ſocietatis, qua cum aliis conjuncti ſunt. Hos tamen injuſtos potius dicimus, quam avaros, vel, ut verius dicam, utrique ſunt, & avaritiæ & injuſtitiæ labe contaminati; cum aliis damnum inferant cupiditate pecuniarum. *Qui enim magna* ait Ariſtoteles [*lib.4. Ethic. cap.1.*] *a quibus, & quæ nefas eſt, eripiunt, quales ſunt tyranni, qui civitates oppugnant, fana diripiunt, ii non avari, ſed ſceleſti potius, impii & iniqui ſunt habendi. Attamen & aleatores, & raptores, & latrones avari putandi ſunt; quod in turpi quæſtu ſint occupati: nam ſpe quæſtus hæc inſtituta ſequuntur, & probra perferunt.*

XXXVIII. Hanc avaritiam belluinam & feram appellat Plutarchus (*de Cupidit. divit.*) qui enim ea ſunt inqui-

na-

nati, rapiunt, diſcerpunt, dilacerant, ut tigrides, & leones ſolent, aut ſaltem mordent ut viperæ. Sunt autem eo deteriores, quam alii, qui aliena auferunt ad uſum & voluptatem, quod hi ſatiari poſſunt aliquando, ſed illi nunquam poſſunt omnino: *qui vero . . . . nullo uſu propoſito*, ait Plutarchus (*cit. loc.*) *opibus inhiant* (*ut faciunt avari*) *eorum avaritia nullas admittit inducias, nullum ocium; cum ſemper inanes ſint, & omnia deſiderent*, non ut leones, qui a cæde abſtinent, cum ventrem interfectorum carne compleverint.

XXXIX. Dixi quæ ſint avaritiæ genera, nunc doceam oportet, quam illa grave ſit malum, quam turpe, quam perniciosum. Convenit inter ſapientes, eam eſſe caput omnium, fontemque vitiorum. *Bion ſophiſta*, ut eſt apud Stobeum (*ſerm.* 10. *de Injuſtitia & Avaritia*) *avaritiam eſſe dicebat omnis improbitatis metropolim*. Et Apollodorus [*apud eumdem Stobeum ſerm.*16. *de Parcit. tom.*1.] *propemodum*, inquit, *caput malorum nominaſti: avaritiæ etenim inſunt omnia*; nec ſecus Phocylides (*in Sent. quæ extant in libello aur. carm. Pythag.*) ait enim:

Avaritia mater eſt mali omnis:
Aurum ſemper ineſcatio eſt, & argentum hominibus:
O aurum malorum dux, vitæ corruptela omnia convellens
. . . .
Tua enim cauſa pugnæ, prædæ, cædeſque, (ſunt)
Infenſi parentibus liberique, fratreſque conſanguinei.

Nec dubium, quin ex avaritia exiſtant proditio, fraus, dolus, fallacia, perjuria, vis, inhumanitas, diſcordia, contentio, furta, rapinæ, latrocinia, impietas, ſacrilegia, legum contemptio, & omne tandem flagitii genus: iccirco ait Juvenalis (*Satyr.*14.)

Inde fere ſcelerum cauſæ; nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius ullum
Humanæ mentis vitium, quam ſæva cupido
Immodici cenſus: nam dives qui fieri vult,
Et cito vult fieri; ſed quæ reverentia legum?
Quis metus, aut pudor eſt unquam properantis avari?

Et

Digitized by Google

Et Virgilius (3. *Æneid. v.* 56.)

. . . . . Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames . . . .

Quod & Tullius probat, vel quiſquis ſit auctor librorum ad Herennium (*lib.* 2.) *duæ res*, inquit, *ſunt judices, quæ omnes ad maleficium impellunt, luxuries, & avaritia*. Nocet autem hæc labes & ei, in quo ineſt, & privatis, & reipublicæ.

XL. Primum eſt avaro ipſi maxime pernicioſa: nam cum præcipitem agit in vitia, ut dixi; tum miſeram ærumnoſamque vitam efficit: *nulla enim*, ait Seneca [*epiſt.* 115.] *avaritia ſine pœna eſt, quamvis ſatis ſit ipſa pœnarum. O quantum lacrymarum! O quantum laborum exigit! Quam miſera deſideratis, quam miſera partis eſt! Adjice quotidianas ſollicitudines, quæ pro modo habendi quemque diſcruciant. Majore tormento pecunia poſſidetur, quam quæritur*.

XLI. Quid vero quod avarus poſt tot exantlatos labores, curaſque ſuſceptas nullum fructum, ac nullam capit ex pecuniis utilitatem? his enim non utitur neque ad honeſtas oblectationes, neque ad ea, quæ vitæ ſunt neceſſaria. Quod non modo miſerum eſt, ſed etiam inſolens, & plenum dementiæ: *Apollo*, exclamat Plutarchus (*de Cupidit. divit.*) *an unquam vidiſti hominem infeliciorem, & qui miſerius amaret?* Quandoquidem quis appetit cibum, vinum, obſonia, & his abſtinet? At avarus pecuniam amat, a fructu abhorret, ob quem illa tantum appetenda eſt: *veluti moleſta, & moroſa hera* (avaritia) addit (*eod. in loc.*) Plutarchus, *parare cogit, frui prohibet, & concupiſcentiam cum excitet, adimit voluptatem:* quod quidem eſt in avaritia peculiare, cum ea, quorum vis in uſu conſiſtit, propter uſum expetantur. Appoſite Horatius ſic quidem ſcribit (*Satyr. lib.*2. *Sat.*3.)

Si quis emat cytharas, emptas comportet in unum,
Nec ſtudio cytharæ, nec muſæ deditus ulli;
Si ſcalpra, & formas, non ſutor; nautica vela
Averſus mercaturis; delirus, & amens

Un-

Undique dicatur merito. Quid diſcrepat iſtis,
Qui nummos, aurumque recondit neſcius uti
Compoſitis, metuenſque velut contingere ſacrum?

XLII. Quid vero refert habere pecuniam, cujus nullus ſit uſus, ac non habere omnino? Immo hoc refert, quod qui habet ac ſervat, moleſtiis maxime perturbatur, & ſemper pauper eſt: nam

Deſunt inopiæ multa, avaritiæ omnia.

(*apud Senecam Epiſt.* 108.) qui caret, non angitur aut retinendi cura, aut amittendi metu, & benigniori aliquando fortuna uti poteſt, ut id verum ſit, quod ait Democritus (*apud Stobeum ſerm.* 10. *de Injuſt. & Avar.*) *pecuniarum cupiditas, niſi terminetur aliqua ſatietate, longe deterior eſt extrema paupertate.* Itaque, ut narrat Antiphon (*apud Stobeum Serm.*16. *de Parcit.*) cum avarus quereretur, ſibi ereptam eſſe magnam argenti vim, quam occultarat; qui querimonias audiit, bono animo eſſe *juſſit, atque exiſtimare lapidem eodem in loco a ſe depoſitum fuiſſe: omnino enim,* inquit, *ne cum habebas quidem argentum, eo utebaris.* Quo ſpectat illud P. Mimi (*apud Muretum v.*117.)

Tam deeſt avaro, quod habet, quam quod non habet.

Tantum cuſtos eſt pecuniarum, ut quæſtor publici ærarii, aut miles civitatis, a quibus ſine ullo uſu perferendus eſt cuſtodiendi labor. Equidem, ſi ita eſt,

. . . . horum
Semper ego optarim pauperrimus eſſe bonorum;

ut ſcribit Horatius (*Satyr. lib.* 1. *Sat.* 1.) ſaltem

Panis ematur, olus, vini ſextarius: adde,
Queis humana ſibi doleat natura negatis.
An vigilare metu exanimem, noctesque, dieſque

For-

Digitized by Google

Formidare malos fures, incendia, ſervos,
Ne te compilent fugientes, hoc juvat? . .

Mirum profecto eſt tam dura ab eo tolerari, cui illiberalitas, ac tanta parcitas occaſio eſſe poſſit ociandi (*vid. Plutarch. de Cupid. divit.*).

XLIII. At enim avarus voluptatem capit ex contemplatione pecuniæ, qua & morbos curat: *non pulegii odore*, ait Lucidius [*apud Stobeum Serm.* 10.] *Criton avarus, ſed numiſmate dicbalco ſeipſum reficit:* ſimiliter partis opibus, liberat ſe metu futurarum calamitatum: relinquit etiam liberos opulentos. Verum quam miſera eſt hæc conſolatio! Quod ad primum attinet, id ridet Horatius (*Satyr. lib.* 1. *Sat.* 1.) ait enim:

. . . . *Quidam memoratur Athenis*
Sordidus, ac dives populi contemnere voces
Sic ſolitus: populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca.
Tantalus a labiis ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. Congeſtis undique ſaccis
Indormis inhians, & tamquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Neſcis quo valeat nummus, quem præbeat uſum?

XLIV. Nec verum alterum; hoc eſt, avarum liberare ſe metu futuræ calamitatis: primum enim quid ſtultius, quam non uti præſentibus ad ea, quorum egeas, & nunc in ſordibus, ærumniſque verſari, ut partis fruaris in poſterum tempus, quod fortaſſe nunquam erit? Deinde fruſtra ſperat ſibi deinceps profuturam pecuniam ad ſublevandas calamitates & curas, quippe quas augebit in dies & ſollicite cuſtodiendo, quod habet, & id quærendo, quo caret: una eſt propulſandæ ſollicitudinis ratio, hoc eſt, refrænare cupiditatem: Plato (*apud Stobeum Serm.* 10. *de Injuſt.*) *ad quempiam accumulandæ pecuniæ ſemper incumbentem; o improbe, dixit: ne poſſeſſioni augendæ ſtudeas, ſed minuendæ cupiditati*: nam (*apud Senecam Epiſt.* 108.)

Is

Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit;
Quod vult habet, qui velle, quod ſatis eſt, poteſt.

XLV. Præſtaret autem (ut id, quod tertio loco objectum eſt, diluam) filios virtutibus, quam divitiis avaritiæ partis locupletare: illud enim honeſtiſſimum eſt, hoc turpe & perniciosum. Hominem ſic affectum ita reprehendit Horatius (*Satyr. lib. 2. Sat. 3.*)

Filius, aut etiam hæc libertus ut ebibat hæres,
Dis inimice ſenex, cuſtodis, ne tibi deſit?

Hæc itaque non ea ſunt, quibus ſe conſolari poſſint avari, & ſuam quodammodo levare calamitatem. Ad hanc autem accedit, quod avaritiæ morbus creſcit in dies. *At avaritiam,* inquit Plutarchus (*de Cupid. divit.*) *neque argentum, neque aurum exſaturat, neque auctis opibus aboletur, ſed dici poteſt de divitiis id, quod in medicum glorioſum dictum eſt:*

Tuum remedium morbum graviorem facit.

Eſt ea quidem inſtar ignis: *eo majora cupimus*, ait Seneca (*lib 2. de Benef. cap. 27.*) *quo majora venerunt, multoque concitatior eſt avaritia in magnarum opum congeſtu collocata, ut flammæ infinito acrior vis eſt, quo ex majore incendio emicuit;* quod & ſcribit Euſebius (*apud Stobeum Serm. 10. de Injuſt.*)

XLVI. Quamobrem avaritia eſt quædam inſanabilis ægritudo: *nam cum eſt concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib. 4.*) *quaſi quædam Socratica medicina, quæ ſanaret eam cupiditatem, permanat in venas, & inhæret in viſceribus illud malum, exiſtitque morbus, & ægrotatio: quæ avelli inveterata non poſſunt, eique morbo nomen eſt avaritia.* Et Ariſtoteles (*lib. 4. Ethic. cap. 1.*) *at vero*, ait, *avaritiæ malum inſanabile eſt;* hoc eſt, difficillime ſanari poteſt eam etiam ob cauſam, quod occultatur ſpecie ſanitatis, hoc eſt, honeſtæ parſimoniæ & providentiæ.

XLVII. Illud itaque gravius efficitur cum morbis, & corporis imbecillitate, tum progrediente ætate, & ipſa po-

Digitized by Google

potiſſimum ſenectute, cum mitius eſſe debere videatur: nam turpe eſt tam multa ſervare diligenter, ac quærere ad vitam, ex qua brevi diſcedere neceſſe ſit. *Avaritia vero ſenilis*, ait Tullius (*in Cat. Major.*) *quid ſibi velit, non intelligo: poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quam quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere?* Nec vero hinc alio transferre aliquid licet, quo eundum eſt, ut monet Phocylides (*in Sent. quæ ſunt in libello aureor. car. Pythag.*)

Divitiis ne parcas: recordare quod mortalis es.
Non licet in infernum opes habere, vel pecuniam vehere.
Omnes vita functi pares ſunt.

Ex quibus poteſt intelligi, hoc eſſe veriſſimum, quod eſt apud Senecam (*Epiſt.* 108.)

In nullum avarus bonus eſt, in ſe peſſimus;

Et quod ait P. Mimus (*apud Muretum v.* 59.)

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ:

nam ſua ſponte, & volens infelix & pauper eſt. Si ergo avaro peſſime velimus eſſe, optanda illi eſt vita diuturna, qua nihil poteſt eſſe miſerius. Rurſus P. Mimus (*ib. v.* 55.)

Avaro quid male optes, niſi ut vivat diu?

Vel etiam quaſi pœna quædam graviſſima optari poteſt major affluentia divitiarum: ſi enim nunc parce vivit, & modico, auctis opibus, vivet ſordidius, & tandem ærumnis & fame interibit: ita quidem Martialis ad Calenum ſordidum, & avarum poſt quatuor adeptas hæreditates (*lib.* 1. *Epigr.* 81.)

Optamus tibi millies, Calene,
Hoc ſi contigerit, fame peribis.

Nec mirum id illi evenire, qui pecuniam non poſſidet, ſed ab ea poſſidetur, ut Bion ait (*apud Diogenem lib.* 4. *in Bion. cap.* 7. *num.* 3.). XLVIII.

XLVIII. Illud etiam miſerum, quod avaritia hominem reddit inviſum omnibus, præſertim vero domeſticis, qui ægre ferunt, in ſuam utilitatem, atque uſum non erogari pecuniam: bene Horatius (*Satyr. lib. 1. Sat. 1.*)

At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te affixit; habes, qui
Aſſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat gnatis, cariſque propinquis.
Non uxor ſalvum te vult, non filius: omnes
Vicini oderunt, noti, pueri, atque puellæ.
Miraris, cum tu argento poſt omnia ponas,
Si nemo præſtet, quem non merearis, amorem.

XLIX. Ad odium in avarum accedit contemptio: omnes enim eum ſpernunt ut ſordidum, ut acerbum ac durum, ut abjecti & puſilli animi; quippequi, cum habeat inſtrumenta, quibus & ſibi prodeſſe poſſit & cæteris, nihil proſit omnino: ut ludibrio habetur is, qui cum armis cinctus ſit ad pugnandum idoneis, non tamen pugnat, cum maxime debeat, & tempus ferat: quoniam tunc vitium ineſt non in viribus, quæ ſint imbecillæ, ſed in animo & voluntate.

L. Non modo avaritia nocet ei, in quo ineſt, ſed etiam privatis: primum quia id facit avarus, quod canis ille (*in Annotat. ad Timonem Luciani tom. 1.*)

In præſepe canis fœno nec veſcitur ipſe,
Nec ſinit, ut fœnum qui cupit, edat equus.
Servat avarus opes, opibus nec utitur ipſe:
Atque alios uti, qui cupiunt, prohibet.

Deinde, quod avaritia fere non eſt ſine injuria, dolis, fraudibus, aliiſque, de quibus ſupra dixi: præſertim vero exitialis eſt liberis; non modo cum divitiæ inique comparatæ ſunt, nam res male partæ male dilabuntur; ſed etiam cum avaritia ab alienis abſtinet: etenim qui avari ſunt, curant, ut eadem labes in filiorum animis inhæreſcat, firmantque quotidiana exempla præceptis ad accendendam opum cupiditatem accommodatis: *hæc enim*, ait Plutarchus (*de Cupidit.*

Digitized by Google

Divit.) *ſunt, quæ docent, ac præcipiunt: lucrare & parce, ac tanti te crede eſſe, quantum eſt, quod poſſides.* Et Juvenalis (*Satyr.* 14.)

Et pater ergo animi felices credit avaros,
Qui miratur opes, qui nulla exempla beati
Pauperis eſſe putat: juvenes hortatur, ut illam
Ire viam pergant, & eidem incumbere ſectæ.
Sunt quædam vitiorum elementa; his protinus illos
Imbuit, & cogit minimas ediſcere ſordes:
Mox acquirendi docet inſatiabile votum.

LI. At ſordidi parentes dignam mercedem referunt diſciplinæ ſuæ: nam liberi quoniam modo id non accipiunt, quod admirari tantum, & plurimi facere didicerunt, procreatorum vitam exoſam habent, quæ impedimento eſt, quominus opibus & pecuniis, quas ſummum bonum putant eſſe, potiantur, rati, quantum iis accedit temporis, tantum ſibi detrahi. Interim clam ſubripiunt domi, ſi quid poſſunt: nam, ut Plautus ait (*in Perſa*)

Id demum lepidum eſt, triparcos homines, vetulos, avidos, aridos
Bene admordere, qui ſalinum ſervo obſignant cum ſale.

Adepti vero hæreditatem alii patris avaritiam imitantes relictis copiis non utuntur omnino, eas alii profundunt; neutri recte. Ita tandem avari & ſe, & filios perdunt, quibus maxime prodeſſe voluerint: cum enim non ſtudeant eos ornare virtutibus, quæ patrimonium ſunt unum, idemque copioſiſſimum ad beate vivendum, ſed potius vitiorum labe contaminent & dictis & factis, miſeros efficiunt in omne poſterum tempus.

LII. Poſtremo avaritia maximum detrimentum affert reipublicæ; propterea quod impellit ad rapiendum, & pecuniam, quæ multis utilis & opportuna poſſet eſſe, occultat quaſi puteo demerſam. Si vero in eos dominetur, qui præſunt, maxime in liberis civitatibus, nihil ea eſt cum fœdius, tum magis exitiale communitati. *Nullum igitur,* ait

ait Tullius (*Offic. lib.* 2.) *vitium tetrius . . . . quam avaritia, præſertim in principibus rempublicam gubernantibus: habere enim quæſtui rempublicam non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculum edidit, Spartam nulla re alia, niſi avaritia, perituram, id videtur non ſolum Lacedæmoniis, ſed & omnibus opulentis populis prædixiſſe.* Oraculum extat apud Plutarchum (*in Inſtit. Lacon.*)

Nihil Spartam perdet, niſi cara pecunia facta.

Qui ſunt diligentes, ſtudioſique reipublicæ, ut ei conſulant, enituntur, non ut ad ſe commoda, atque emolumenta transferant, quæ populis detrahantur. *Omni Macedonum gaza*, ut auctor eſt Tullius (*cit. loc.*) *quæ fuit maxima, potitus eſt Paulus: tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil domum ſuam præter memoriam nominis ſempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus nihilo locupletior, Carthagine everſa.* Concludamus itaque, avarum nocere cum ſibi, tum omnibus; ut non male dictum videatur eſſe a Publ. Mimo (*apud Muretum v.* 60.)

Avarus, niſi cum moritur, nihil recte facit.

LIII. Late quidem patet avaritia, de qua dixi; at profuſio pecuniarum, ut mihi videtur, multo latius, quæ aliud vitium eſt in exuperantia poſitum adverſus liberalitatem: licet enim, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *multo plures ſtudio pecuniæ trahantur, quam parati ſint ad largiendum*; ex quo putat effici magis tributam eſſe a natura hominibus avaritiam, quam effuſionem: tamen in nimios ſumptus, in quibus etiam profuſio cernitur, plerique procliviores ſunt, quam in pecuniæ parſimoniam: nam ad ſumptus faciendos ſupra modum impellit cupiditas voluptatis, & ſplendoris, & gloriæ; ea vero concitatior eſt, atque acrior ſtudio retinendarum pecuniarum: iccirco videmus, qui diteſcant, eos eſſe pauciores, quam qui in deteriorem fortunæ ſtatum delabantur. Et quidem in rationum tabulis

fere

Digitized by Google

fere plus eſſe expenſum, quam acceptum etiam in locupletum domibus, communis eſt querimonia.

LIV. Non eſt autem unum prodigorum genus: alii enim ſua largiuntur ſine modo ac delectu, nec pro facultatibus, nec cum oportet; at ſibi tantum nocent, non cæteris: exhauriunt enim rem familiarem inconſulte effundendo: horum quidem culpam in hoc genere conſtat eſſe leviorem. Alii a quibus, & unde non debent, accipiunt: *parati autem ſunt*, ut ab Ariſtotele ſcriptum eſt (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 1.) *ad accipiendum; propterea quod ineſt in iis cupiditas plerumque effundendi copias, quod ægre efficere poſſunt: cum enim dando egere celeriter cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur, & quia nullam honeſtatis rationem ducunt, ſine delectu undecumque poſſunt, rapiunt: ineſt enim cupiditas in eis largiendi, ſed quomodo, aut unde, nihil laborant.* Hi & prodigi ſunt; quia temere dant & ſine ratione, & iidem avari, quia unde nefas eſt, capiunt; fortaſſe etiam injuſti, quod auferant aut vi, aut fraudibus aliena.

LV. Quidam pecuniam profundunt in voluptates, gulæ aut intemperantiæ dediti: alunt igitur eos, qui ſunt harum rerum præbitores ac miniſtri; ut ille apud Horatium (*Satyr. lib.*2. *Sat.*3.)

Hic ſimul accepit patrimonî mille talenta,
Edicit, piſcator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius, ac Tuſci turba impia vici,
Cum ſcurris Fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant . . . . . .

Quapropter, cum ſua congerant in indignos, jure ait Crates (*apud Stobeum tom.*1. *Serm.*12. *de Prodig.*) ficubus in edito, ac præcipiti loco natis eos eſſe ſimiles, quibus non homines veſcuntur, ſed corvi tantum ac milvi. Qui ſunt hujus generis, eos potius æquum eſt intemperantes dicere, quam prodigos: effundunt enim libidinis ac voluptatis gratia: *itaque improbiſſimi videntur eſſe*, ait Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*1.) *quod multis ſimul vitiis ſint, flagitiiſque contaminati;* quamquam & prodigi dicendi ſunt, diſſoluti, diffluenteſque; nam luxu & intemperantia patrimonium, fortu-

tunaſque obliguriunt: qua ratione ſe perdunt omnino, & pereunt, quod apte expreſſit Martialis illo in Munnam epigrammate (*lib.9. Epigr.62.*)

Dixerat aſtrologus, periturum te cito, Munna,
Nec, puto, mentitus dixerat ille tibi.
Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata relinquas,
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.
Biſque tuum decies non toto tabuit anno:
Dic mihi, non hoc eſt, Munna, perire cito?

LVI. Sunt etiam qui ſuis parcunt, ex alienis tantum, ſi quæ poſſint, in alios transferunt: hoc quidem non donare eſt, ſed furari, & qui id facit, non prodigus; quippe qui de proprio nihil confert, ſed fur ac rapax eſt judicandus.

LVII. Huc eos adde, qui pecunias inſumunt ad oblectationem multitudinis, & prodigi ſunt; quamquam multis aut liberales, aut magnifici eſſe videantur. *Quanto Ariſtoteles gravius & verius*, ait Tullius (*lib.2. Offic.*) *nos reprehendit, qui has pecuniarum effuſiones non admiremur, quæ fiunt ad multitudinem deliniendam; at ii, qui ab hoſte obſidentur, ſi emere aquæ ſextertium mina cogerentur, hoc primo incredibile nobis videri, omneſque mirari: ſed cum attenderint; veniam neceſſitati dare: in his immanibus jacturis, infinitiſque ſumptibus nihil nos magnopere mirari; cum præſertim nec neceſſitati ſubveniatur, nec dignitas augeatur; ipſaque illa delectatio multitudinis ſit ad breve, exiguumque tempus, eaque a leviſſimo quoque: in quo tamen ipſo una cum ſatietate memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, hæc pueris, & mulierculis, & ſervis, & ſervorum ſimillimis liberis eſſe grata: gravi vero homini, & ea, quæ fiunt judicio certo ponderanti probari poſſe nullo modo.* Nec fere a ſapientibus laudatur effuſio ad conſequendos honoris gradus. *Lucius quidem Philippus Q. Fabii filius magno vir ingenio*, ait rurſus Tullius (*cit. loco*) *in primiſque clarus gloriari ſolebat, ſe ſine ullo munere adeptum eſſe omnia, quæ haberentur ampliſſima.*

LVIII. Quid vero dicam de iis, qui immodicos ſumptus faciunt in eas inanitates, quibus feminæ delectantur, in

Digitized by Google

in ornatus, in veſtes, in gemmas? Qui domeſticam ſuppellectilem ſæpe diſtrahunt, & quidem parvo, ut novam comparent congruentem conſuetudini, quæ identidem ob luxum, & artificum induſtriam, calliditatemque mutatur? Tum vero aucto & renovato domus ſplendore, exhauritur arca, magnumque conflatur æs alienum, ut mori ſerviatur. Ne quid vero ſit nobili viro cum plebeio commune, pretioſiora ea eſſe oportet omnia, quibus ille utitur, fibulas, capſulas, horologia, & hæc aurea quidem, ſi argentea habet is, qui inferior eſt nobilitatis gradu: nam uſuvenit, ut plerique impenſas non opibus, ſed nobilitate metiantur; quæ quidem nihil habet deinde, quo contractum æs perſolvat, niſi ſuppetant copiæ. Hæc effuſio eſt prodigorum propria.

LIX. Laborant etiam hoc vitio, etſi minime videntur, ii, qui ingentem pecuniæ vim erogant in theatra, in thermas, in aquæductus minus utiles ac neceſſarios, in publica, eaque ſumptuoſiora ædificia, in picturas, in ſtatuas, quamquam ad ornatum & decus civitatis: nam & his cives molliuntur, & effeminantur quodammodo: cum ſæpe publicam magnificentiam ſequatur privata luxuries, ob quam ſane cauſam collabi cœpit Romana reſpublica. *Poſt quam divitiæ*, ſcribit Salluſtius (*de Conjurat. Catilinæ*) *bonori eſſe cœperunt, & eas gloria, imperium, potentia ſequebatur, bebeſcere virtus, paupertas probro baberi, innocentia pro malevolentia* (hoc eſt μελάγχολία ut Græci vocant) *duci cœpit. Igitur ex divitiis juventutem luxuria, atque avaritia cum ſuperbia invaſere.* Icclrco Fabius, capto Tarento, interrogante ſcriba, quid fieri de ſignis vellet (ingentis magnitudinis Dii erant ſuo quiſque habitu in modum pugnantium formati) Deos iratos Tarentinis relinqui juſſit (*Tit. Livius lib.27.*) & Publ. Scipio, bello Punico tertio, Carthaginem cum cepiſſet, convocatis Siculis omnibus, quod diutiſſime, ſæpiſſimeque Siciliam vexatam a Carthaginenſibus cognorat, juſſit omnia conquiri, ſimulacra præſertim, & civitatibus, quæ cujuſque fuiſſent, reſtitui (*apud Tullium 4. in Verrem*) Quamobrem & Vellejus Paterculus, ubi Mummii imperatoris retulit in cognoſcendis tabulis, ac ſtatuis ruditatem, capta Corintho, addit [*lib.1.*] *non tamen puto, dubites,*

tes, Vinici, quin magis pro republica fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi, & quin hac prudentia illa imprudentia decori publico fuerit convenientior. Idem quod de his rebus judicium ferendum eſt de nimia villarum magnificentia, quæ cum magnas expenſas poſtulent, omnem, quæ ex poſſeſſionibus capi poſſet, abſorbent utilitatem. Inanis ergo voluptas & gloria tanti emitur: qua in re apparet effuſio, cum amplæ non ſunt facultates & copiæ.

LX. Verum hæc, de qua dico, profundendi ratio ita patet, ut omnes fere pervaſerit: qui enim tenui ſunt fortuna & obſcuriori loco nati, locupletes ac nobiles imitari conantur, privati principes, hi vero reges, qui & ipſi interdum modum ſuperant in uſu pecuniarum: profundunt enim aut quando, aut quibus in rebus non oportet ſummo cum detrimento reipublicæ: icirco prodigi poſſunt eſſe, quamquam, ſecus cenſet Ariſtoteles, qui (*lib.*4. *Ethic. cap.*1.) *itaque reges*, inquit, *non appellamus prodigos, quod non facile ſit eorum opes & copias, quas maximas habent, ullis largitionibus, aut ſumptibus exhauriri*; eas tamen interdum exhauſtas ſcimus eſſe; at quamquam non deſint, prodigi tamen eſt effundere, cum non oportet. Xenon prodigendi morem excuſanti, quod ex iis ſumptus faceret, quæ redundarent, ait: *igitur & coquis veniam dabitis, ſi ſalſa obſonia ſe feciſſe dixerint, quod copia ſalis adfuerit* (*apud Stobeum tom.*1. *ſerm.*15. *de Prodig.*)

LXI. Ex his poteſt intelligi, vitium, quod modum ſuperat in uſu pecuniarum, ineſſe in plurimis: quocirca nonnulli habentur avari ac ſordidi, quod communem morem non ſequantur, qui reipſa non ſunt, at ſumptus faciunt pro facultatibus, utunturque laudabili parſimonia: accuſantur etiam avaritiæ; proptereaquod putantur majores copias habere, quam reipſa habeant: etenim bene ac præclare multis accidit, ſi, quod eſt in veteri proverbio, dimidio minus, quam homines vulgo arbitrantur, habeant ſanctitatis, & pecuniarum.

LXII. Quamquam vero magis ſit in vitio avarus, quam prodigus, ſublatis & injuſtitia, & aliis vitiis, quibus inquinari ſolet; nam ille aliis nocet, & fere inſanabilis eſt, ut

dixi; hic prodeſt, & facile ad ſanitatem traduci poteſt, & progreſſu ætatis, & inopia coactus, ut Ariſtoteles ait (*lib.4. Ethic. cap.1.*) tamen etiam profuſio maxime fugienda eſt: nam cum turpis eſt in ſeſe, tum eam fere alia ſolent vitia aut comitari, aut ſequi, ut intemperantia, ut etiam furta, rapinæ, & familiæ pernicies ac dedecus.

LXIII. Ad hæc ſua negligere, effundereque temere & inconſulto deſipientis eſt, nec providentis in poſterum. Neque vero facile emendari error poteſt, & id rurſus colligi, quod diſperſum, diſſipatumque ſit: *haud facile cumulus acervatur*, ait Diphilus (*apud Stobeum tom.1.ſerm.15. de Prodig.*) *etiam longo tempore: uno vero die facile diſſipabitur*. Eam ob rem Diogenes (*apud Stobeum cit. loc.*) *a quodam prodigo minam petiit, quo mirante, quod ab ipſo minam, ab aliis tres obolos tantum rogaret: iterum me ab aliis, reſpondit, accepturum ſpero; abs te autem nunquam poſthac amplius*. Placet ergo illud Pythagoræ ſalutare conſilium [*in Aur. Carm.*]

Incipiens parce cunctis utere, ne tandem egeas.

et aliud Venatorii (*ex Antholog. in eod. libel. aur. carm. Pythag.*)

Utere divitiis velut jam jam moriturus:
Ceu ſis victurus, tu quoque parce tuis.
Ille ſapit vere, qui res perpendit utraſque:
Parcus erit certo tempore, largus erit.

AC-

CAPUT XXI.

De Magnificentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Magnificentiæ contraria.

I. MAgnificentia virtus eſt, quæ decorum ſervat in magnis ſumptibus, eademque cum liberalitate conſentit natura ac forma, imo & modo & fine; at gradu diſcrepat: nam magnificus confert pecuniam, idque ſtudioſe, & libenter, & honeſtatis cauſa, ut liberalis; ſed ille in magnis, ut nomen ipſum declarat; hic in parvis cernitur. Intereſt etiam inter utrumque, quod liberalis dat ad utilitatem; magnificus autem interdum ſumptus facit ad aliorum oblectationem ac voluptatem; ut cum ludos apparat. Similiter liberalis, quicquid facit, id quidem facit, ut aliis ſit commodus; ſed magnificus quandoque, ut item ſibi V. C. cum villam parat in ſui ipſius uſum & decus, conſtruitque ædes ac porticus. Tandem liberalitatis frequentiora officia ſunt, quam magnificentiæ: nam maximi ſumptus quotidiani ac familiares eſſe non poſſunt; ſecus fere omne exhauriatur ærarium quantumvis refertiſſimum, neceſſe eſt: magnificentia tamen, etiamſi non tam ſæpe adhibetur, liberalitate præſtantior eſt propter rei, in qua verſatur, magnitudinem, ac dignitatem, ſplendorem actionis, atque uſum, qui plerumque eſt totius civitatis.

II. Enimvero res, in quibus magnificentia cernitur, vel divinæ ſunt, vel humanæ. Hæ ad homines referuntur; illæ ad Deum. Divinæ quidem, ut templa, & aræ ad Dei cultum & religionem, apparatus & munera ad ſacrificia, dieſque feſtos, ædes ad eorum commoditatem, qui religioſo more vivunt in cœtu, atque conventu, ut divina ſtudia colant gerendorum negotiorum occupationibus expediti: quo in genere paſſim extant magnificentiæ præclariſſima monimenta; & hæc quidem omnia probantur maxime.

III. Humanæ autem ſunt aut publicæ, aut privatæ. Publicæ ut pontes, thermæ, viæ ſtratæ lapidibus, ingentes

moles in mare jactæ, turres, arces, portus, navigia, novæ urbes, porticus, trophæa, & triumphales arcus ad memoriam rerum geſtarum. Extant etiam nunc Romæ columnæ quædam, quæ & ſummam cuique admirationem, & maximum ornamentum afferant civitati. Huc adde ædificia, quibus hominum utilitati & ſaluti conſulatur, publicas legationes, hoſpitum ſplendide recipiendorum ac dimittendorum jura & officia, epulum civitati datum, ludos ad honeſtam populi oblectationem, communemque lætitiam.

IV. Quamquam in ludis ſæpe videri poteſt ineſſe inanitas quædam, ut ſupra dixi, qui iccirco a Lactantio improbantur plurimum [*lib.6. Divin. Inſtit. cap.11.*] *Quid enim*, inquit, *dicendum eſt de iis, qui populari levitate ducti vel magnis urbibus ſuffecturas opes exhibendis muneribus impendunt? Niſi eos dementes & furioſos, qui præſtent id populo, quod & ipſi perdant, & nemo eorum, quibus præſtatur, accipiat? Itaque, ut eſt omnis voluptas caduca & brevis, oculorum maxime & aurium, aut obliviſcuntur homines, aut alterius damna pro ingratis habent, aut etiam offenduntur, ſi non eſt libidini vulgi ſatis factum; ut etiam homines ſtultiſſimi malum ſibi malo comparaverint: aut ſi adeo placuerint, nihil amplius, quam inanem favorem, paucorumque dierum fabulas aſſequuntur. Sic quotidie leviſſimorum hominum patrimonia in res ſupervacaneas prodiguntur.*

V. Immo & reliqua opera, quæ ſtabilia ſunt & diuturna, prodigi potius, quam magnifici eſſe videntur, niſi valde commoda ſint, & honeſta, & decora reipublicæ. *Num ergo illi ſapientius*, pergit Lactantius dicere [*cit. loc.*] *qui utiliora, & diuturniora civibus ſuis exhibent munera? ii ſcilicet, qui publicis operibus extructis, memoriam nomini ſuo quærunt? Ne iſti quidem recte bona ſua in terram ſepeliunt: quia neque memoria quicquam mortuis confert, nec opera eorum ſempiterna ſunt: ſiquidem aut uno tremore terræ diſſipantur & corruunt, aut fortuito conſumuntur incendio, aut hoſtili aliquo impetu diruuntur, aut certe vetuſtate ipſa diſſoluta labuntur: nihil eſt enim* [*ut ait Orator*] *opere aut manu factum, quod non conficiat, aut conſumat vetuſtas.* Et revera quæ olim & exquiſitiſſimo artificio, & infinitis ſumptibus conſtructa erant, jampridem nuſquam ſunt, ut magnifica Adriani moles in rure Tiburtino, ut amphitheatra, ut Circi

Digitized by Google

cum Romæ, tum alibi, ut ſepulcra, ut pyramides multæ in Ægypto, aliaque generis ejuſdem. In earum quidem pyramidum unam univerſas regni opes ita conſumpſit Cheopes rex Ægyptius, ut deinde ad flagitia delapſus ſit pecuniæ congerendæ gratia (*Herodotus lib.2. in Euterpe num.60. & 61.*) nec tamen incœptum opus abſolvit; qua re nihil fieri potuit inſanius.

VI. Iccirco magnificus ea potius ſpectare debet, quæ utilitatem pariant, quam quæ voluptatem. Sunt autem utilia, quæ ad vitæ uſum conferunt, ad morum inſtitutionem, ad artes & diſciplinas. Itaque cum homines publicis calamitatibus premuntur propter aquarum eluviones, agrorum ſterilitatem, bella, peſtilentias, terræmotus, incendia, aliaque generis ejuſdem, tum maxime eſt adhibenda magnificentia, quæ minus fortaſſe habet oſtentationis & pompæ, ſed plus dignitatis ac fructus: nihil etenim magnifico viro dignius, quam proſtratos, & graviori caſu perculſos erigere & recreare, ſplendideque id facere, & libenter. Huc ſpectat domus, & ſubſidia recuperandæ valetudini publice conſtituere, ut febri correptis ac ſauciis, qui ope deſtituti ſunt, queat patere perfugium, itemque hoſpitia, in quibus peregrini ornate cumulateque tractentur, ædes etiam ubi alantur ii, & ad pietatem, atque artes inſtituantur, qui ſint orbati parentibus, aut incertis nati, aut ſenes & imbecilles, ac feminæ.

VII. Adde academias, ſive collegia & gymnaſia ad ſtudia literarum, inſtituendamque juventutem moribus & diſciplinis, quibus nititur ſalus ac decus reipublicæ. Multis quidem in locis nobiliſſimæ academiæ excitatæ ſunt regum, ac principum, aut eorum, qui magiſtratum gerunt, magnificentia, ſplendidiſſimiſque muneribus ac beneficiis ornatæ, quarum gloria magis florent regna & civitates, quam armis, potentia & copia divitiarum. Eas quidem, ut arbitror,

. . . . nec Jovis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.

(*Ovid. lib.15. Metam.*)

VIII.

VIII. Similiter fructuoſæ magnificentiæ monimenta ſunt inſtructiſſimæ bibliothecæ, quæ publice pateant omnium commoditati, qualem comparavit L. Lucullus, græcæ latinæque linguæ libris plurimis, pulcherrimeque ſcriptis referta m, adiectis etiam porticibus ad ambulandum, quo ſe Græci, cum per ocium licuiſſet, velut in amœniſſimum quoddam muſarum diverſorium conferre ſolebant, & loquendo, legendo, diſputando diem jucunde terere, ut auctor eſt Plutarchus (*in vit. Luculli*) Ptolemæus item Philadelphus rex Ægyptius vir doctiſſimus bibliothecam inſignem fecit Alexandriæ (*in Comment. Juſtini lib.*17. *num.*10.) libris undique ſummo ſumptu diligentiſſime conquiſitis, quorum decem miriadas reliquit, dum moreretur [*vid. Rollin. in Hiſt. Ægypt. tom.*7. *art.*2. §.3.] Alii multi ſimiliter reges ac principes, atque illuſtres viri tale quidpiam munificentiæ ſuæ præclarum argumentum reliquerunt, ut Coſmus Florentinus, & Galliarum rex Ludovicus XIV. qui Magnus nominatus eſt propter rerum geſtarum magnitudinem, atque præſtantiam, quique ei proxime ſucceſſit in eodem imperii, ac dignitatis gradu (*vid. Roll. tom.*13. *Hiſt. Ægypt. in Proem.*) aliique quam multi: quocirca hac etiam noſtra ætate extat multis in locis bibliothecarum copia cuique patentium.

IX. Quæ ſint publicæ res, in quibus maxime cernitur magnificentia, ſatis expoſui. At vero privatæ ſunt nuptiæ, quæ fere apparantur ſemel in omni vita, domus ædificatio, *cujus modus & dignitas*, ait Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*2.) *ad divitias accommodanda eſt: quæritur enim etiam ex domo dignitas quædam*: quædam, inquam, non omnis: *ornanda eſt enim*, ſcribit Tullius (*lib.*1. *Offic.*) *dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda, nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et ut in cæteris habenda ratio non ſui ſolum, ſed etiam aliorum: ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi ſunt, & admittenda hominum cujuſque generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis.*

X. Hoſpites etiam perhumaniter excipere, ſplendideque tractare, & cum honore dimittere ad hoc magnificentiæ genus pertinet: magna item conferre dona, cum res poſtulat, quæ munificentia dicitur, præſertim cum gratia referenda eſt. Qua in re magnificus valde ſuperat eum, a quo

quo acceperit. Horti ſimiliter, & villæ magnificum virum decent, quamquam cum modo: *ſtudioſe enim plerique*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) (*præſertim in hac parte*) *facta principum imitantur: ut Lucii Luculli ſummi viri virtutem quis? At quammulti villarum magnificentiam imitati ſunt, quarum quidem certe eſt adhibendus modus, ad mediocritatemque revocandus.*

XI. Videtis quæ ſoleant eſſe ejus virtutis officia, de qua quærimus. Nunc quomodo ea præſtanda ſint, explicabo. Primum *hæc omnia*, ut Ariſtoteles ſcribit [*lib.*4. *Ethic. cap.*2] *honeſtatis cauſa* (*hoc enim virtutibus omnibus commune eſt*) *magnificus faciet*, non ad oſtentationem, in qua ineſt vitium: in hoc autem facile labuntur ii, qui inſignia familiæ ſuæ, aut σέμματα, ut Græci vocant, ubique cerni volunt. Trajanus multa quidem magnifice geſſit, ſed propterea quod nomen ſuum inſcribi juberet vel minimis, a Conſtantino imperatore ſcite herba parietaria nuncupatus eſt, quæ nimirum cuique parieti innaſcitur & adhæreſcit [*Victor. in Conſtant. apud Baron. ad an.*337. *num.*25. *t.*4.] hæc autem inanitas multo magis in iis reprehendenda eſt, quæ Deo dicantur.

XII. Mox qui magnificus eſt, magnos ſumptus facit cum voluptate, non gravate: nam cujuſque virtutis opera debent eſſe jucunda, ut ſupra vidimus (*lib.*3. *part.*1. *cap.*6.) tum ſumptus ſplendide faciet: *accurate enim, ac ſubtiliter*, ait Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*2.) *res ponderare, ſordes ſectantis, ac ſplendorem fugientis eſt proprium: magiſque qua ratione quidque ſplendidiſſime efficiatur, conſiderabit, quam quanti, quoque modo minimo.* Poteſt autem ſumptus eſſe ſplendidus vel in re parva: exemplum extat apud Ariſtotelem (*cit. loc.*) *nam pila quidem*, inquit, *ſi pulcherrima ſit, aut urceus, pueri quidem ratione & ſententia clarus & magnificus habeatur; ejus autem æſtimatio & pretium perexiguum eſt, & illiberale: ob eamque cauſam honorati viri, clarique eſt in quocumque genere quid faciat, magnifice id, ſplendideque facere: quo in genere quicquid fit, nec facile ſuperari poteſt, & fit pro ſumptus dignitate.* Similiter æquo ſumptu magnificus rem adminiſtrat ſplendidius, quam liberalis: nam opus eadem pecunia confectum erit præclarius: ut

XVI. **Opulenti autem qui ſunt, his licet magnifice ſplendideque facere; ſed & eorum perpauci ſunt qui velint: ecquis enim fere eſt, qui civitates, qui ſacra templa, qui academias, qui nova muſarum hoſpitia conſtruat, qui comparet bibliothecas? Immo deeſt etiam ſæpe non hæc tantum animi excelſitas, pecuniarumque contemptio, at ſenſus etiam alienæ calamitatis: non enim multos reperias, qui, non dicam, magnifici, ſed ne liberales quidem ſint adverſus eos, qui inopia, & fame, & adverſis caſibus affliguntur: quod non modo a magnificentia, ſed etiam ab humanitate alienum eſt. Verum quo hæc virtus rarior eſt, eo plus meretur commendationis & laudis. In ea quidem excelluit vir ſanctiſſimus Carolus Borromeus (*in ejus vit. lib.*8. *cap.*25.) Plura magnificentiæ exempla vide apud Franciſcum Patritium [*de Regno lib.*7. *tit.* 11.] apud Aguir [*de Virt. & Vit. diſp.* 7. *q.* 1. *num.* 10. *& ſeq.*] apud Pontanum (*de Magnificentia*) aliosque; licet autem vel iis, quibus tenuis cenſus eſt, magnificentiam imitari quodammodo pro facultatibus.

XVII. Extremum, quod parum eſt, repugnans magnificentiæ, indecora quædam eſt, minuta ac ſordida parſimonia. Sordidi autem ac puſilli proprium eſt, ſi quid faciat, cunctando id facere, & qua ratione, quam minimo ſumptum præſtare poſſit, conſiderare; tum gravate ad opus uti pecuniis, & arbitrari ſplendidiora ſe facere, quam oporteat; magnis etiam factis ſumptibus in parvo decorum omne pervertere (*vid. Ariſt. lib.* 4. *Ethic. cap.* 2.)

XVIII. Magnificentiæ exuperantia eſt luxus, ſeu immanis profuſio in eo poſita, quod magni ſumptus fiant, pecuniæque ingens jactura in rebus levioris momenti, & non honeſtatis, ſed oſtentandi ſplendoris, & admirationis excitandæ cauſa. Hi quidem homines ſunt non magnifici, ſed ventoſi, inanes, leves, inepti, ut qui ſodales, quos familiari cœna deberet, ſplendidiſſime excipiat; quod exemplum poſitum eſt ab Ariſtotele (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 2.) In hoc etiam peccant ii, qui multam pecuniæ vim profundunt in ludis ad voluptatem, ut dixi capite ſuperiore, in epulis conquiſitiſſimis, in muſica cantilena, in aquæductibus ad villarum amœnitatem, cum per opes non licet, in famulorum multitudine, quæ non ſit ad cenſum ac patrimonium accommoda-

data, aliiſque generis ejuſdem: cum enim velint oſtentare magnificentiam, luxum, inanitatemque præſeferunt.

CAPUT XXII.

De Hoſpitalitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Hoſpitalitati contraria.

I. HOſpitalitas eſt virtus, qua animus ad peregrinos benevole excipiendos, eiſque accommodandum de habitatione, victuque propendet. Itaque ejus virtutis officium eſt adventantes hoſpites benigne, humaniterque excipere, atque iiſdem, quicquid neceſſarium eſt, hilari vultu præbere, & curare, ut non luxus quidem, ſed tamen ſplendor quidam ac nitor appareat in omnibus, ſintque prandia aut lautiora, aut minus lauta pro facultatibus, & hoſpitum dignitate. Magnificum apparatum, regiumque convivium, quo a Didone eſt acceptus Æneas, deſcribit Virgilius [*lib.* 1. *Æneid. v.* 641.]

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis.

Tum vero [*v.* 701.] pergit

. . . . *aulæis jam ſe regina ſuperbis*
Aurea compoſuit ſponda, mediamque locavit.
Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro.
Dant manibus famuli lymphas, cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.

Sed neceſſe non eſt alia perſequi.

II.

II. Illud etiam hoſpitalitatis eſt proprium, nimirum, operam dare, ut hoſpites a gravibus & honeſtis viris, qui ſunt in civitate, honore afficiantur, deducantur domo, reducantur, ex eorum colloquio interdum, & conſuetudine jucunditatem capiant, ſi qua rara ſint, & admirabilia, cernant, ſi velint, ad cognitionem & voluptatem: honeſtis quibuſdam oblectationibus animum levent. Videndum vero, ne quid fiat, ex quo ſuſpicari poſſint, ſe aut gravate hoſpitio receptos eſſe, aut retineri: nam ſolet uſuvenire, ut cum triduum, aut quatriduum aliqua in domo fuerint, jam evadant odioſi ac moleſti, & exaudiantur quidam e familia obſcure & tacite murmurantes. Multo minus pellendi ſunt domo: nam, ut Ovidius ait (*lib.* 5. *Triſt. Eleg.* 7.)

Turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.

A qualibet injuria, non modo familiarium, ſed etiam externorum oportet eos prohibere; at vero offendere maximum flagitium ducitur: quoniam vetuſtiſſimum præceptum eſt, hoſpitem non eſſe violandum: itaque omnes Flavii Lucani turpiſſimum facinus deteſtantur, qui T. Sempronium Graccum hoſpitio exceptum, ſimulata benevolentia, & propoſita Romanæ reipublicæ utilitate, in inſidias, mortemque præcipitavit, ut auctor eſt Livius (*lib.* 25.)

III. Eſt item contra jus hoſpitalitatis perpetuam habitationem his, qui ſedibus ſuis expulſi ſunt, a principe denegari, modo pareant imperio, quod conſtitutum eſt, & alia minime recuſent, quæ ad vitandam ſeditionem ſunt neceſſaria [*vid. Grotium de Jur. belli & pac. lib.* 2. *cap.* 2. §. 16.] Neque committendum eſſe ſcribit Ambroſius (*lib.* 3. *Offic. cap.* 7.) ut peregrini ejiciantur e civitate eo tempore, quo annona carior eſt, & magna inopia rei frumentariæ; hoc enim inhumanum videtur eſſe, cum ne belluæ quidem a belluis fere communi paſtu pellantur: quare ait & Strabo (*lib.* 17.) *auctor eſt Eraſthotenes, communem barbaris omnibus conſuetudinem eſſe, ut hoſpites pellant.* Sunt, qui eos non excludant quidem ex urbe, ſed tamen contemnant & aſpernentur, aut adulentur extorquendæ pecuniæ cauſa, aut cogant ad res multo carius emendas, quibus egeant;

 præ-

Digitized by Google

præſertim vero id faciunt caupones quidam, & tabernarii; qui magis quæſtu moventur, quam æquitate. Hæc, aliaque generis ejuſdem ſunt hoſpitalitatis officia, hoc eſt, peregrinos & privatim, & publice amiciſſime, benigniſſimeque tractare, nec unquam lædere injuria.

IV. Debet autem hæc virtus cum late patere, tum in eos adhiberi potiſſimum, quibus gratia referenda ſit, in amicos, in ſocios, & non modo in illuſtres viros, ſed etiam in pauperes, & aliquando in incolas ipſius civitatis. *Theophraſtus quidem ſcribit*, ait Tullius (*lib.2. Offic.*) *Cimonem etiam Athenis in ſuos curiales Laciadas hoſpitalem fuiſſe: ita enim inſtituiſſe, & villicis imperaviſſe, ut omnia præberentur quicumque Laciadas in villam ſuam diverti ſſet.* Sed, cujuſnam hoſpitalitas propria ſit, quæritur.

V. Primum illa maxime eſt illuſtrium virorum, & divitiis atque opibus affluentium: nam poſtulat magnos ſumptus, & ſupellectilis, domus, familiæ ſplendorem & elegantiam: nihilominus ad omnes fere pertinet: quoniam & tenues reficiendo hoſpiti poſſunt ignem accendere, ſimplices epulas parare, & quod habent, etſi parum eſt, id cum hoſpite communicare libentius. Ruſticana illa cœna, quæ a bona vetula (huic nomen erat Baucis) inſtructa eſt Jovi, & Mercurio, fuit ſane pergrata (*apud Ovidium Metamorph. lib.8.*)

Ponitur hic bicolor ſinceræ bacca Minervæ,
Conditaque in liquida corna autumnalia fæce,
Intybaque, & radix, & lactis maſſa coacti,
Ovaque non acri leviter verſata favilla:
Omnia fictilibus. Poſt hæc cælatus eodem
Siſtitur argento crater, fabricataque fago
Pocula; qua cava ſunt, faventibus illita ceris.
Parva mora eſt, epulaſque foci miſere calentes,
Nec longæ rurſus referuntur vina ſenectæ,
Dantque locum menſis paulum ſeducta ſecundis.
Hic nux, hic mixta eſt rugoſis carica palmis,
Prunaque, & in patulis redolentia mala caniſtris,
Et de purpureis collectæ vitibus uvæ:
Candidus in medio favus eſt. Super omnia vultus
Acceſſere boni, nec iners, pauperque voluntas.

Hæc deſcripſi animi gratia. VI.

Digitized by Google

VI. Porro hoſpitalitatis laude maxime commendantur Germani. De veteribus quidem teſtis eſt Julius Cæſar [*de Bello Gal. lib.6.*] *Hoſpites violare*, inquit, *fas non putant: qui quaque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, ſanctoſque habent; iis omnium domus patent, victuſque communicatur*. Neque hac ætate a majorum more degenerant. Qui nunc iter faciunt, minoris res emunt, quam uſquam alibi, nec caro commodantur de hoſpitio & de menſa, & abeſt metus cædis & latrocinii (*Salmon in Hiſt. Germ. tom.9. cap.2.*) Hoſpitales etiam dicuntur eſſe Mahometis aſſeclæ (*Salmon. tom.6. Hiſt. Imperii Mahom. cap. 3.*)

VII. Nulla autem natio adeo recipiendorum hoſpitum laude ac fama floruit unquam, ut olim præſertim chriſtiana reſpublica. Habita quidem Roma eſt quaſi ſedes hoſpitalitatis, cum caput ſit religionis; pontifices Maximi volebant hoſpitia patere cuique, repelli neminem. Nota eſt hac in re profuſa liberalitas Gregorii, qui Magnus eſt appellatus. Pontifices Maximos æmulati ſunt alii inferiores antiſtites: celebres habentur Eligius, Cæſarius, Domnolus, aliique quamplures (*apud Thomaſinum Veter & Nov. Eccleſ. Diſcipl. part.3. lib.3.*) Quid dicam de ampliſſimo, ſanctiſſimoque præſule Carolo Borromeo, qui peregrinos omnes, ſacros præſertim ac probatos, principes item viros, tum Elverios, & Rhætos quorum provinciæ maximis implicarentur erroribus, libentiſſime excipiebat, nullo prætermiſſo benignitatis officio; trecentos uno menſe receptos hoſpites, qui apud eum vario temporis ſpatio morati eſſent, compertum eſt. Abeuntes non modo honore & humanitate proſequebatur, verum etiam, cum oporteret, pecunia juvabat ad equos parandos, ad veſtes, ad commeatum (*in ejus vita deſcripta a Carolo Baſcapeo Novar. Epiſc. lib.6. cap.16. & ab Juſſano lib.8. cap.26.*) Sed longum eſt alios, quippe qui innumeri ſint, hoſpitalitatis gloria inſignes commemorare.

VIII. Nunc etiam plures ſunt eadem humanitate laudabiles, & optandum eſt, ut omnes majorum exempla hac in re ſibi proponant ad imitandum: eſt enim hoſpitalitas in primis honeſta ac decora cum privatis, tum ipſi reipublicæ. *Recte etiam*, ſcribit Tullius [*lib.2. Offic.*] *a Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas: eſt enim, (ut mihi quidem videtur) valde decorum*

pa-

patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus ; ſed & patere tenuioribus, ac inopia laborantibus non minus habet laudis & dignitatis ; immo plus etiam : nam in inope optime collocatur beneficium , & abeſt a virtute oſtentatio , & ſpes recipiendi in poſterum . Quare eum Tullii locum reprehendit Lactantius (*Divin. Inſtit. lib.6. cap.12.*) Jam vero , ut dixi, non modo illuſtres viros & opulentos decet hoſpitalitas, ſed etiam alios pro facultatibus. *Idque*, pergit Tullius (*cit. loc.*) *etiam reipublicæ eſt ornamento homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere :* multo autem magis ornamento & decori eſt chriſtianæ reipublicæ, cujus potiſſimum laus caritate & benevolentia continetur : *eſt autem etiam vehementer utile iis (Tullius cit. loc.) qui honeſte poſſe multum volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia :* quod cadit non modo in privatos, ſed etiam in principes, quorum principatus non armis ac viribus niti poteſt , ſed potentiorum favore ac præſidio : iis enim utile eſt ſummo cum honore, magnificoque apparatu potentes hoſpites excipere, ſplendidiſſimeque tractare.

IX. Hoſpitalitati repugnat inhoſpitalitas, quæ parum eſt, & definitur a Tullio (*Tuſc. qq. lib. 4.*) *opinio vehemens, valde fugiendum eſſe hoſpitem, eaque inhærens , & penitus inſita :* ex qua opinione naſcitur, ut hoſpes reipſa fugiatur. Hujus autem vitii cauſa ſolet eſſe aut illiberalitas, aut avaritia , aut moleſtiarum fuga , aut ſtudium libertatis : videri enim poteſt cuiquam, admiſſis hoſpitibus , ereptam ſibi poteſtatem eſſe id faciendi, quod lubet ; nec animadvertit, moleſtiarum, ſi quæ ſint, fugiendarum gratia minime prætermitti debere officia virtutum, quæ deinde futura ſunt conſuetudine, uſuque jucunda.

X. Vitium, quod nimium eſt, hoſpitalitati contrarium, caret nomine . In ea nimii ſunt, qui nulla habita ratione facultatum , domum ſuam patere volunt cuique adventanti hoſpiti ; & interdum etiam indignis, aſſentatoribus , ſcurris, veteratoribus, otioſis. Similiter hac in re modum ſuperant ii, qui aut verbis, aut factis peregrinos attrahunt invitos ac repugnantes in domum ſuam, aut cogunt ad immorandum diutius in hoſpitio quam vellent . Hoſpitem ſincere quidem, benigneque invitare conſentaneum eſt, non cogere : cum

ita

ita eſt officio ſatisfactum, animique ſententia explicata, ut is intelligat, nobis gratum fore, ſi manere apud nos velit, tum permittendus eſt voluntati ſuæ, ac modice ferendum, ſi abnuat: nam iratum ſe hoſpiti, atque offenſum oſtendere ob eam cauſam, quaſi is inurbane, inefficioſeque faciat, & multo magis teſtari, nolle ſe ejus hoſpitio uti, ac domo, quamquam incidant opportuna tempora, contra officium eſt, cauſamque item, cur abire ſit conſtitutum, indagare curioſius, & magna verborum contentione hoſpitem defatigare, quod nonnulli ſolent; quibus tamen venia danda eſt, immo gratiſſime reſpondendum, propterea quod nihil ea re fieri poſſe benevolentius putent.

XI. Illud etiam hoc loco videndum arbitror, ne faciles ſimus ad alios invitandos, ut, patria relicta, aliquandiu apud nos diverſentur, niſi nobiſcum ſint intima quadam familiaritate conjuncti: nam invitatu noſtro cum venerint, ſi quid deſit eorum, quæ deſiderant, locus erit tacitæ querimoniæ: eccur huc advocati ſumus! quid neceſſe fuit uti precibus, ut venire fere cogeremur? Non enim ſemel, ſed iterum ac ſæpius id a nobis efflagitatum eſt. Si vero ſponte veniant, benigne, alacriterque excipiendi ſunt, honorificeque tractandi pro ratione loci, temporis, opum ac dignitatis; ſi quid tamen forte a nobis peccatum videatur, ſaltem nullus erit ſuperiori expoſtulationi locus, & culpæ partem in ſe hoſpes conjiciat, neceſſe erit. Non eadem eſt ratio, cum nobis nunciatum eſt, amicum hominem, aut notum adventaſſe in eam civitatem, regionemve, in qua degimus: tunc enim eum adire, & in noſtras ædes advocare ad officium pertinet; ſecus ejus non habere rationem videremur.

CA-

CAPUT XXIII.

De Miſericordia, ac de Vitiis, quæ ſunt Miſericordiæ contraria.

I. Miſericordia eſt animi affectio, qui dolet alienis rebus adverſis, & adducitur ad opem ferendam, ſi modo poſſit. Nec dubium, quin ſit virtus: ut enim alterius bonis gaudere honeſtum eſt & laudabile, & pertinet ad caritatem; ita triſtari contrariis. Quamobrem non ſunt audiendi Stoici, quibus viſum eſt, miſereri non eſſe ſapientis, & miſericordiam virtutem non eſſe, ſed vitium; cum ſit ex perturbationum genere, quibus ſapientem carere omnino voluerunt, ut auctor eſt Tullius (*Acad. qq. lib.1.*) qui alio in loco ſic quidem exponit de miſericordia ſententiam Stoicorum (*pro L. Murena*) cum diſputat contra Catonem: *ſupplices aliqui veniunt miſeri & calamitoſi? ſceleratus & nefarius fueris, ſi quicquam miſericordia adductus feceris.*

II. Sed apertius Seneca (*lib.2. de Clem. cap.4.*) *ad rem pertinet*, inquit *quærere hoc loco quid ſit miſericordia: plerique enim ut virtutem eam laudant, & bonum hominem vocant miſericordem; hæc autem vitium animi eſt . . . . eſt enim vitium puſilli animi ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt.* Et affert rationem, de qua dixi, hoc eſt, miſericordiam eſſe triſtitiam, animique ægritudinem ex alienis malis: *ægritudo autem*, pergit Seneca [*cit. loc. cap.5.*] *in ſapientem virum non cadit: ſerena ejus mens eſt, nec quicquam incidere poteſt, quod illam obducat.*

III. Superba hæc quidem eſt oſtentatio ejus felicitatis, quæ non hominis propria eſt, dum vivit, ſed mentium beatarum. Sunt autem plura Stoicorum dogmata plena ſuperbiæ: dum enim hominem attollunt ſupra modum, ei detrahunt humanitatem. Permotiones ſunt nobis utiliter a natura datæ ad præclara facinora, ut amor, ut odium, ut iracundia, & miſericordia ad calamitates hominum indigorum ſublevandas: at ſapientis eſt eas ita regere, ut obſequantur rationi, nec

nec prudentiam, conſilium, providentiam impediant.

IV. Verum, ne quis Stoicorum ſectam traducat quaſi duram & inhumanam, ajunt, nullam ea eſſe mitiorem, nullam hominum amantiorem (*vide Senec. lib.2. de Clem. cap. 5.*) quamquam enim Stoici miſericordiam tollant, quæ ejus ſunt propria, ea relinquunt omnia, quale eſt miſeris ſubvenire opera, pecunia, conſilio; veſtes, cibum, medicinam, ſuppeditare, aliaque generis ejuſdem. *Cæterum*, inquit Seneca, (*lib.2. de Clem. cap.5. & 6.*) *omnia quæ, qui miſerentur dolentes facerent, hic* (Stoicus) *libens & alacri animo faciet. Succurret alienis lacrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem. . . . . At faciet iſta tranquilla mente, vultu ſuo.*

V. Si ita eſt, non reprehendimus Stoicos, propterea quod officium deſerant miſericordiæ, ſed quod alienis calamitatibus, quibus cæteroquin conſulere ſtudeant, commoveri, velint non eſſe ſapientis: hæc enim & ſuperbe dicuntur, & falſo: ſuperbe, inquam, quoniam id tribuunt homini, quod quædam ſit quaſi nota divinitatis: falſo autem; nam ea indolentia fingi poteſt, eſſe non poteſt, ſi benevolentia homines & caritate complectimur. Adde, inhumanum eſſe, ea vultus, animique tranquillitate calamitoſos & miſeros intueri; quamquam ſuus debet eſſe triſtitiæ modus. Sed relinquamus homines contentionis cupidiores, quam veritatis, nec dubitemus etiam dolere alienis malis eſſe in recte factis, ac laude ponendum. Certe eam ob rem Cæſar maxime laudatur a Tullio (*pro Ligario*) *Nulla*, inquit, *de virtutibus tuis plurimis nec admirabilior, nec gratior miſericordia eſt:* quid enim magis ſecundum naturam, quam in partem venire quodammodo alienæ calamitatis, cum non ſtipites ſimus, ſed homines cum aliis ſaltem naturæ vinculo copulati.

VI. Poſtulat autem miſericordia, ut non modo aliorum malis doleamus, ſed etiam, ſi per nos licet, ea propulſare enitamur: nam, ut ſupra dixi (*lib.3. part.3. cap.18.*) mundus una quaſi civitas omnium putanda eſt, & homines, quibus illa conſtat, membra ſunt corporis unius: porro præſcribit natura, ut unum membrum alteri laboranti opem ferat, Iccircoque homo homini, cui humanitate quaſi communi nexu copulatur.

Digitized by Google

VII. Accedit etiam jus quoddam propinquitatis ad homines conjungendos: *nam ſi ab uno homine, quem Deus finxit*, ait Lactantius (*Divin. Inſt. lib.6. cap.10.*) *omnes orimur, certe conſanguinei ſumus . . . . . Item ſi ab uno Deo inſpirati omnes, & animati ſumus, quid aliud, quam fratres ſumus? & quidem conjunctiores qui animis, quam qui corporibus. Itaque non errat Lucretius, cum dicit:*

Denique cæleſti ſumus omnes ſemine oriundi;
Omnibus ille idem pater eſt . . . .

VIII. Ex quo conſequens eſt, ut Deus, cum pater ſit omnium, a viris locupletibus velit pauperum neceſſitati, atque indigentiæ provideri; ſecus non eſſet providens: pateretur enim alios nuditate, inopia, fame confici; cum alii deliciis etiam, & bonis omnibus redundarent. Cum vero ipſis animalibus a Deo ſint data, quæ neceſſaria ſunt, ut vitam, corpuſque tueantur, putamus hominem eſſe deſertum, & ope ac præſidio penitus deſtitutum? Atqui plures ſunt, qui, niſi ab hominibus juventur aut veſtibus, aut pecunia, aut cibo, intereant, aut ſaltem miſere vivant neceſſe eſt: itaque jubet Deus eorum inopiam a locupletibus ſublevari, afflictos erigi ac recreari, & periculis liberari.

IX. Adde quod, omnia cum eſſent olim natura communia, jure gentium introducta eſt eorum diviſio, quæ quidem æquitati conſentanea eſt, atque laudabilis, vitandorum incommodorum, & tuendæ ſocietatis gratia, tum etiam pulchritudinis, quæ varietate maxime continetur. At ea diviſio iniqua eſt, & contra naturam, niſi ad totius humani generis commoditatem, utilitatemque conducat: non poteſt autem prodeſſe generi humano, niſi facta ſit ea lege, ut qui plus habent opum & divitiarum, eos juvent, qui egent; præſertim cum egentes, atque inopes non pauci ſint, ſed plerique: quocirca hac lege obſtringi divites compertum eſt, quam ſi violent, peccant contra naturam, & ſibi vindicant aliena, quæ nimirum hominibus indigentibus impertienda ſunt jure naturæ: quod quidem non modo inhumanum eſt, & durum, ſed etiam iniquum, & æquitati contrarium.

X.

Digitized by Google

X. Ejus autem legis vis eſt maxima, cum homines gravioribus calamitatibus conflictantur, aut publicis, aut annonæ caritate, ut peſte, ut bello, quod perniciem afferat agris, oppidis, civitati: tunc enim locupletes ſibi aliquid detrahant etiam eorum, quæ ad familiæ decus & dignitatem neceſſaria videantur, ut afflictis auxilium præſtent, neceſſe eſt, & ſumptus minuant, & vel honeſtas oblectationes, ac luxum; quæ quidem in communibus ærumnis minime decent, cum tamen ſecundis reipublicæ rebus fortaſſe non dedecerent.

XI. Neque vero, quod a natura præſcriptum eſt, facit is, qui pauperum expectat extremam neceſſitatem, quæ rarior eſt: nam & gravi, & communi, qua multi premuntur, ſubveniat oportet; quod & ratio membrorum poſtulat, quæ ſunt uno quaſi corpore copulata, & bonorum facta partitio, & humanitas, & caritas, & benevolentia in proximos, & præterea jus ſocietatis: *cum enim*, ut eſt apud Lactantium [*Divin. Inſt. lib.6. cap.*10.] *præſidii cauſa homines ſocietatem cum hominibus inierint & ſanxerint, fœdus illud inter homines a principio ortus ſui initum aut violare, aut non conſervare, ſummum nefas putandum eſt: nam qui ſe a præſtando auxilio removet, etiam ab accipiendo ſe removeat, neceſſe eſt: quia nullus ope indigere ſe putat, qui alteri ſuam denegat. Huic, qui ſe ipſe diſſociat ac ſecernit a corpore, non ritu hominis, ſed ferarum more vivendum eſt. Quod fieri ſi non poteſt, retinendum eſt igitur omni modo vinculum ſocietatis humanæ: quia homo ſine homine nullo modo poteſt vivere. Retentio autem ſocietatis eſt communitas, id eſt, auxilium præſtare, ut poſſimus accipere.*

XII. Verum quid opus eſt præcepta proponere, eaque graviſſima, quæ de ſublevanda hominum calamitate a natura ſunt data? Ipſa rei honeſtas ac dignitas nos compellere debet ad miſerendum: quid enim poteſt eſſe præſtantius, quam inopes ſuſtentare, ne pereant, & erigere, ne in ſqualore ac ſordibus contabeſcant? Quid gratius? quid laudabilius? Iccirco nihil magis cordi fuit ſapientibus ac ſanctiſſimis viris, quam pecuniam omnem, & divitiarum copiam in egentibus collocare; quamquam ipſis, qui darent, eam ob cauſam eſſet in egeſtate vivendum: *quid enim*, inquit Lactantius (*Divin. Inſtit. lib.6. cap.*12.) *ſi magnus hominum numerus egebit, al-*

Digitized by Google

gebit, capietur, morietur, ut hæc facientem vel uno die patrimonio exui ſit neceſſe. Perdam ne rem familiarem meo, aut majorum labore quæſitam? ut jam ipſi mihi aliena miſericordia vivendum ſit? Quid tu tam puſillo animo paupertatem times? Tum paullo poſt. *Quid ergo dubitas bene collocare id, quod tibi forſitan eripiet aut unum latrocinium, aut exiſtens repente proſcriptio, aut hoſtilis aliqua direptio? Quid verere fluxum & fragile bonum facere ſempiternum? aut theſauros tuos cuſtodi Deo credere, ubi non furem, prædonemque timeas, non rubiginem, non tyrannum?*

XIII. At profecto ſuſpicari non licet, miſericordi viro aliquid defuturum ad vitæ uſum: nam Deus cum omnes alias virtutes præmiis remunerat etiam in terris, tum multo magis miſericordiam: quo enim pacto ſinat, eum egere, cui maxime cordi ſit non modo opere, ſed etiam patrimonio, ac pecunia egentibus ſubvenire? Quamobrem videmus, eorum, qui miſericordes ſint in calamitoſos, in dies ita fortunas augeri, ut non dare, ſed cumulate, abundeque accipere videantur. Quanto vero largiorem putamus, amplioremque mercedem fore poſt obitum?

XIV. Quæ cum ita ſint, expectandum non eſt, ut inopes precibus, & obſecratione humili ac ſupplici, & lacrymis etiam aliquando a nobis opem efflagitent; ſed in iis ultro conſentaneum eſt collocare pecuniam, quam non damus, ſed fœneramur, eoque inde majorem capimus utilitatem, quo liberalior fuerit, profuſiorque donatio. Quanto igitur alacrius id oportet facere, quod cum jure naturæ, humanitatis, ac ſocietatis faciendum eſt; tum ad fructum confert plurimum? Verum hac de re noſtri copioſe diſputant, docentque, quid ab ejus religionis, quam profitemur, auctore ac moderatore Chriſto præſcriptum ſit, quæ præmia hominibus promiſſa, qui benigne, liberaliter, & benevole profuſunt egentibus, quæ pœnæ, ac quam graves ſecus facientibus conſtitutæ. Icсirco hanc quæſtionem fuſius non arbitror explicandam hoc loco (*vid. D. Jo. Chryſoſtomum Serm. de Eleem. & Collat. in Sanct. ex I. Pauli ad Corinth. Epiſt. tom. 4. & Serm. de Eleem. & Hoſpit. tom. 5. Serm. de Miſericordia eod. in loc. & rurſus Serm. de Miſericordia, & duabus mulieribus viduis & Hom. 32. de Eleem. & Miſericordia tom. 5. aliiſque in locis.*

D.

*D. Auguſtinum Serm.*388. 389. 390. *de faciendis eleemoſynis tom.* 5. *part.* 2 *Pinamontium in cauſa Divitum. Ludovicum Muratorium de Charitate; D. Gregorium Nazianzenum orat. de Pauperum amore, alioſque)* Exempla autem hujus virtutis, quæ divina eſt, innumera & præclariſſima habemus ad imitandum cum priſcorum hominum, qui a Chriſto propius abfuerunt, tum recentiorum, ut cuique compertum eſt.

XV. Neque vero unum, de quo dixi, nimirum inopi cibum ac veſtes præbere miſericordiæ officium eſt, ſed multa alia ejus virtutis ſunt propria; quale eſt in tectum ac domum invitare peregrinantem, ægrotos, eoſque, qui in cuſtodiam conjecti ſunt, viſere, captivos redimere, non pati vita functos honore ſepulturæ carere. Cum vero non corporis modo ſaluti providendum ſit, ſed etiam animi, & hoc quidem diligentius, ad miſericordem virum ſpectat triſtem quemque, & afflictum ſuaviſſimis ſermonibus ſuſtentare, ignaros, atque imperitos doctrinis, inſtituriſque informare, improbos ab ſcelere ad virtutem adducere, inter ſe diſſidentes ad pacem, concordiamque ſummo ſtudio reflectere, de gerendis rebus dubium animum juvare conſilio; ei, qui laceſſit injuria, veniam dare, moleſtos & graves modice ferre, ac tandem ſalutem, incolumitatem, ac fauſta omnia cuique a Deo precari. Qui hæc faciat, eum hominibus, Deoque chariſſimum, & beatum fore non dubito.

XVI. Qui a miſericordiæ officiis alienus eſt, eum immiſericordem ac durum dicimus, & vitium, quod parum eſt, miſericordiæ contrarium, animi duritatem, qui alienis malis & rebus adverſis non permovetur. Sunt autem plurimi inhumani ac duri, qui pauperes habent loco non fratrum, immo nec hominum, ſed belluarum, & inter opulentum, & inopem putant plus intereſſe, quam inter hominem & canem. Quamobrem nonnulli, qui ſecundo fortunæ flatu utuntur, & in altiori gradu collocati ſunt propter divitias, & generis claritatem, eos, qui egentes ac tenues ſint, ſuperbe, arroganter, ac tanto frontis ſupercilio alloquuntur, ut quaſi fæcem ac peſtem abhorrere videantur; eorum calamitates nec opera, ac præſidio ſublevant, nec pecunia; & cum ipſi copia redundent deliciarum ac voluptatum, habitent in commoda ac illuſtri domo, cubentque in molli lecto, &

ve-

Digitized by Google

veſtitu induantur non modo neceſſario, ſed etiam ornato ac ſplendido, conquiſitis epulis ventrem compleant, egenos & cibo, & lecto, & domo, & veſtibus ad tegendum corpus, & frigus propulſandum carere omnino patiuntur: quo quid inhumanius eſſe poſſit, non video. Adde, quod magnam pecuniæ vim profundunt in ludos, in oblectationes, in theatra, in convivia, in alendos etiam equos & canes, aliaque generis ejuſdem; nihil vero largiuntur ad opem iis ferendam, qui acerba mendicitate maxime conflictantur.

XVII. Illud vero ridiculum excuſationis genus, nihil habere ſe, quod ſuperſit, &, ſi quid dent egentibus, minui rem familiarem, nec ſuppetere ad neceſſaria. *Neque nunc ſuaderi tibi putes*, ait Lactantius [*Divin. Inſtit. lib.6. cap.12.*] *ut rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias, ſed quæ in ſupervacanea fueras impenſurus, ad meliora convertas. Unde beſtias emis, hinc captos redime: unde feras paſcis, hinc pauperes ale . . . . transfer ad magnum ſacrificium male peritura, ut pro his veris muneribus habeas a Deo munus æternum.*

XVIII. Verum hæc eſt multorum imprudentia, aut potius inſania, quod, quæ prodigunt, ea bene & utiliter collocari putant, quæ egentibus impertiunt, perire, cum ſecus ſit. Rurſus audiamus Lactantium (*Divin. Inſtit. lib. 6. cap. 11.*) *Iſti quia neque naturam retinent, neque præmium in eo, quod ſit, ſciunt, dum perdere timent, perdunt, et in id, quod maxime cavent, incidunt, ut quicquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus breviſſimum proſit: nam qui exiguam ſtipem miſeris negant, qui conſervare humanitatem ſine damno ſuo volunt, patrimonia ſua effundunt, ut aut peritura & fragilia ſibi comparent, aut certe maximis ſuis damnis nihil conſequantur.*

XIX. Sed profecto pœnas luent inhumanitatis: nam qui ſubvenire perituro poteſt, niſi ſubveniat, occidit; & cauſa mendicitatis eſt is, qui eam a miſeris non repellit, cum facile poſſit. Itaque putamus ne fore, ut Deus, qui parens eſt omnium, ut ſupra dixi, ferat barbarum hoc & crudele ſpectaculum? Hinc divites, qui circumſepti ſint illecebris voluptatum, qui villas habeant ad amœnitatem, famulos ad obſequium, magnam ſupellectilem, ornatas domus ac veſtes, & magnificos currus ad luxum? Illinc inopes, qui fame, & re-

rerum omnium inopia conficiantur; cum tamen ſimus omnes natura copulati, quaſi membra, ut ſupra vidimus; præſertim cum ex egeſtate plura ſcelera conſequantur, quibus facile occurri poſſet erogatione pecuniæ. Horum item ſcelerum pœnas dabunt hi, qui miſericordiæ officia, quæ quidem præſtanda eſſent, prætermiſerint.

XX. At enim pauperes otioſi ſunt, vagi, improbi etiam interdum, ac nebulones. Quaſi divites operoſis laboribus exerceantur, & fere turpi otio non vacent, & omni vitio, delictoque liberi ſint. Credo equidem diem terere in ludis, in theatris, in ambulationibus, in colloquiorum ac ſermonum inanitate, in conviviis non eſt otioſi hominis; nec vitioſi efferri ſuperbia, arrogantia, intemperanter vivere, dure cum aliis agere, & quandoque inique, & injuſte, & contumelioſe: hi vero exprobrare ſolent ocium egentibus, miſeris, ærumnoſis, quorum vita plena eſt calamitatis & lacrymarum: nam boni non ſolent, niſi ad emendandos eos, qui victum quærunt propoſita mendicitate, cum poſſent illum ſibi comparare induſtria ſua. Sed tunc etiam, qui benevolus eſt in omnes, non acri exprobratione utitur, at adhortatione potius, & ſuavitate verborum: ſuum enim putat eſſe alios levare calamitatibus, non judicare, & alienos mores curioſe diſcutere, & in jus, ut ita dicam, vocare: neque enim nobis hoc negocii datum eſt, ut ſcrutemur, qui nam illi ſint, quibus largiamur, ſed largiri juſſi ſumus iis, qui inopes videantur eſſe: quid refert his artibus occultare aut avaritiam, aut inhumanitatem?

XXI. Eſt etiam qui queratur, nimium moleſtos eſſe pauperes, petere, inſtare, obſecrare; verum cum non argentum, non aurum flagitent, non quicquam ad delicias & voluptates, ſed panis tantum, quantum eſt ad vires ſuſtentandas, tuendamque vitam neceſſarium, iccircoque, quod tamquam ſuo jure ſibi debitum petere poſſint, non eſt querimoniæ locus. Cæterum cum ne id quidem facile a duris hominibus eliciant, eos ut emolliant quodammodo, variis rationibus enituntur. Itaque moleſti ſunt, qui neceſſaria poſtulent ad vivendum, non ii inhumani, qui negent?

XXII. In hoc autem vitium fere incidunt juvenes, temerarii, audaces, imprudentes, ſuperbi; putant enim nihil

ma-

Digitized by Google

mali, quo alios premi vident & conflictari, poſſe pati; nec calamitates experti ſunt: non ut illa, quæ ait (*apud Virgilium lib. 1. Æneid. v.634.*)

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Avari præſertim immiſericordes ſunt, & expertes humanitatis: nihil enim cum ducant in bonis niſi pecuniam, ut ea ſe privent, adduci nullo modo poſſunt.

XXIII. Vitium, quod nimium ſit, repugnans miſericordiæ, caret nomine. Poteſt autem in eo eſſe poſitum, ut id omne detur uni, quod eſſet & reliquis impertiendum, aut non ſervetur ordo in miſerendo, habita ratione aut propinquitatis, aut amicitiæ, aut neceſſitatis: prius enim iis ſubveniendum eſt, qui ſint propinquiores, tum cæteris, & ſimiliter qui in extrema neceſſitate, indigentiaque verſantur, illis ſunt præferendi, qui gravi aliqua, aut communi premuntur. Sed de ordinis tuitione in dando, ſupra dixi (*lib.3. part. 3. cap. 19. & 20.*)

CAPUT XXIV.

De Clementia, ac de Vitiis, quæ ſunt Clementiæ contraria.

I. Clementia definitur a Seneca (*lib.2. de Clement. cap.3.*) *inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda*. Pœnam itaque vel minuere, vel condonare, non metu, non lucro, non amicitia, ſed animi moderatione ac lenitate clementis eſt; iccircoque parcere, ignoſcere, veniam dare. Hoc dico; propterea quod Stoicis videtur parcere quidem eſſe ſapientis, ſed ignoſcere ac veniam dare delicto, non ita. Audiamus Senecam (*lib. 2. de Clement. cap. 7.*) *Quare*, inquit, *non ignoſcat* (ſapiens) *dicam. Conſtituamus nunc quoque quid ſit venia, ut ſciamus dari illam a ſapiente non debere. Venia eſt pœnæ debitæ remiſſio. Hanc ſapiens quare non de-*

Digitized by Google

debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propoſitum eſt. Ego ut breviter tamquam in alieno judicio dicam; ei ignoſcitur, qui puniri debuit: ſapiens autem nihil facit, quod non debet; nihil prætermittit, quod debet. Itaque pœnam, quam exigere debet; non donat. Eamdem ſententiam explicat Thucidides (*lib. 1. in 2. Concione Corinthior. apud Stobeum tom. 1. ſerm. 46.*) *Stoici virum prudentem dicunt nemini veniam dare: ejuſdem enim hominis eſſe veniam dare, & putare, eum, qui peccavit, non ſua culpa peccaſſe; cum omnes ex propria malitia peccent: propterea recte dici, veniam non eſſe dandam peccantibus. Præterea bonum virum negant mitem & æquum eſſe: mitem enim deprecari & mitigare, quam quis meritus eſt, pœnam: ac nihil differre, aliquem eſſe mitem, aut putare, lege conſtitutas delinquentibus pœnas nimium duras eſſe: item exiſtimare, legumlatorem indignas pœnas præſcribere.* Et Tullius (*Orat. pro Murena*) *Stoici ajunt, ſapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujuſquam delicta ignoſcere.* Et rurſus (*ib.*) *fatetur aliquis, ſe peccaſſe, & ejus delicti veniam petit? nefarium eſt facinus ignoſcere.*

II. Quamquam hæc ſunt dogmata Stoicorum; tamen ea omnia volunt eſſe facienda, quæ nos quidem veniæ tribuimus, lenitati, clementiæ: *illud, quod ex venia conſequi vis*, ſcribit rurſus Seneca (*lib. 2. de Clem. cap. 7.*) *honeſtiore tibi via tribuit: parcit enim ſapiens, conſulit, & corrigit. Idem facit, quod ſi ignoſceret, nec ignoſcit.* Itaque cum rebus nobiſcum Stoici conſentiant, quam porro ridiculum eſt, & plenum futilitatis de verbis litigare, atque contendere! Quid hæc quæſo inter ſe diſcrepant, parcere, ignoſcere, veniam dare? ajunt enim: parcit ſapiens, non veniam dat, nec ignoſcit. Vidit & Seneca, controverſiam intendi de nomine: ſcribit enim (*cit. loc.*) *de verbo, ut mea fert opinio, controverſia eſt, de re quidem convenit.*

III. Illud autem argumentum fallax & leve: venia eſt pœnæ debitæ remiſſio: atqui ſapiens nihil prætermittit, quod debet. Fallacia quidem in verbo *debitæ*, ac *debet* ſita eſt: nam ignoſcere, & veniam dare eſt quidem pœnam aut tollere, aut remittere, quæ debetur a reo propter malefactum; at non quam judex infligere debeat neceſſario peccanti: quamquam enim pœna exigi jure poſſit; tamen non ſem-

per exigatur, neceſſe eſt; ut cum bonum, ob quod ſumenda eſt, alia mitiori via licet aſſequi, aut alia bona non minus utilia, ac neceſſaria ex eo conſequantur, quod non puniatur is, qui peccavit.

IV. Tum quidem pœna ſine ſcelere prætermitti non poteſt, cum ſecus publicum bonum periclitatur, aut privatum etiam aliquando: quemadmodum incidunt cauſæ, cum omitti debeat omnino, ut cum ad reipublicæ utilitatem ſpectat impunitas. Ex quo conſequens eſt, diſcrepare inter eam juſtitiæ formam, quæ in contractis, commutatiſque rebus cernitur, & eam, quæ in pœna. Altera enim omne indulgentiæ genus repudiat, altera admittit ex præſcripto prudentiæ (*vid. Grotius de Jure belli, & pacis lib.2. cap.*20. §.22.) Quod ſi judex ſit illo inferior, a quo lex ſancita eſt de criminibus puniendis, tunc quidem legi pareat neceſſe eſt, teneatque conſtitutum modum (habita tamen æqui, bonique ratione) ſecus, quod decretum eſt, id iniquum & durum habere videretur, nec præcepto, quo & ipſe adſtringitur, obediret. Legislator autem ſummus, quippequi poteſt legi aut derogare, aut abrogare, ſi velit, liberior eſt in remittenda pœna etiam iis, qui non modo ex imprudentia, ſed etiam ſponte peccarint, ut & privatorum, & reipublicæ bonum poſtulat.

V. Jam vero ex Stoicorum dumetis expediti, videamus primum, cujus ſit propria clementia. Eſt ea quidem eorum, qui tenent imperium, & juriſdictioni præſunt, ac funguntur munere magiſtratus; quippequi pœnam peccanti debitam aut tollere poſſunt, aut mitigare. Magis autem cernitur in majori puniendi poteſtate, qualem habent reges, imperatores, principes viri: *eſt ergo, ut dicam*, ait Seneca (*lib.*1. *de Clem. cap.*5.) *clementia omnibus quidem hominibus ſecundum naturam; maxime tamen decora imperatoribus; quanto plus habet apud illos, quod ſervet, quantoque in majore materia apparet*. In tanta enim rerum facultate, quanta illi potiuntur, in tanta impunitate, non ira ad ſupplicia compelli, non juvenili impetu, non hominum, qui delinquunt, contumacia & temeritate, non oſtentandæ potentiæ gloria, ſed præferre lenitatem, magni animi eſt, maximeque laudabile. Quare extat illud Antonini Pii (*Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſ-*

ſio

ſio apud Salmaſium) non enim quicquam eſt, quod imperatorem Romanum melius commendet gentibus, quam clementia.

VI. Præſertim vero proprias injurias non perſequi, ſed ferre toleranter, cum libera poteſtas eſt etiam jure puniendi, in primis glorioſum eſt. Accepit Philippus Macedo, a Nicanore quodam verbis ſemper detrahi dignitati ſuæ, putabantque amici accerſendum eſſe hominem, & gravi pœna mulctandum. Tum Philippus, videndum eſt, inquit, ne qua in nobis culpa ſit; cumque compertum habuiſſet, Nicanorem, qui magna laboraret inopia, neglectum a ſe, eum dono juſſit affici, quo facto nunciatum eſt, paſſim a Nicanore regem mirifice laudari (*Plutarchus in Apophtegm. v. Philippum.*)

VII. Multo admirabilius clementiæ exemplum in tolerandis injuriis præbet Piſiſtratus Athenienſium tyrannus: a Thraſippo enim amico inter cœnandum petulantiſſime, ſæpiſſimeque laceſſitus convicio, ita ſibi imperavit, iramque compreſſit, ut ſatelles a tyranno male audire videretur. Abeuntem quoque cum vidiſſet, cœpit familiariter retinere. At Thraſippus eo venit propter temulentiæ impetum, ut regem conſputaret, nec tamen impellere potuit, atque inflammare ad ultionem; poſteroque die cum voluntaria morte vellet a ſe pœnas ſumere, eum adiit Piſiſtratus, & a propoſito revocavit, data fide, ſe in eodem amicitiæ gradu manſurum. (*Valerius Max. lib. 5. cap. 1. inter externa num. 2. vide ib. multa alia ſingularis lenitatis exempla*)

VIII. Enimvero clementia præfecto reipublicæ, ac gerenti magiſtratum affert non modo gloriam & decus, ſed etiam utilitatem. Nam ad conciliandam populorum benevolentiam aptiſſima cum ſit, ut ſupra dixi (omnes enim mitem, facilem, clementem civitatis rectorem & amant, & colunt, & defendunt pro viribus, ejuſque ſalutem quaſi capitis anteponunt ſuæ) iccirco firmat maxime principatum, qui fruſtra mœniis & arcibus circumſeptus eſt, niſi civium benevolentia muniatur. Nam externorum impetus facilius propulſari poteſt; at interna ſeditio, & in ipſius imperii viſceribus excitata vix poteſt comprimi, eoque perículoſior eſt, quo potentia major eſſe videatur.

Digitized by Google

IX. Quæ dixi de rectore communitatis, eadem proportione quadam in omnes cadunt, qui aliis præſunt quodammodo: omnes enim clementia ſuæ laudi conſulunt, quieti, ſecuritati. Itaque cum Dei perſonam quaſi gerant in terris, eum imitentur neceſſe eſt, cujus quidem maxime propria eſt placabilitas. *Quod ſi Dii placabiles*, ait Seneca (*lib.* 1. *de Clem. cap.* 7.) *& aqui delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt, hominem hominibus præpoſitum miti animo exercere imperium, & cogitare, utrum mundi ſtatus gratior oculis, pulchriorque ſit ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc, atque illinc micant?* Tum qui præeſt, caput eſt; qui parent, membra: his autem languore & infirmitate male affectis ſæpe parcendum eſt, aut ſi ferro opus ſit, certe non eſt committendum, ut plus incidatur, quam oporteat. *Si quando*, ait Seneca (*lib.*1. *de Clem. cap.*5.) *miſſo ſanguine opus eſt, ſuſtinendum eſt, ne ultra, quam neceſſe ſit, incidas.*

X. Illud deinde meminiſſe debemus, & nos venia indigere, quippequi multa peccamus. Quærit autem Seneca, expediat ne habere inexorabilem, & ad extremam uſque perniciem infeſtum, atque inimicum Deum? *Expedit ergo*, ait Seneca (*lib.*1. *de Clem. cap.*7.) *habere inexorabilia peccatis, atque erroribus numina? expedit uſque ad ultimam infeſta perniciem?* Quapropter monent jure ſapientes, ei, qui præeſt communitati, id eſſe faciendum, quod benevolus, prudens, atque optimus parens facere ſolet in regenda domo, & liberis educandis: publica enim adminiſtratio formam imitatur domeſticæ ac familiaris. Pater autem nunc blando & ſalutari monito, nunc minis, interdum leni, interdum acri animadverſione filios a peccando deterret, & revocat ad ſanitatem; nihil prætermittit induſtriæ, nihil lenitatis, ut ad vitia propenſiores contineat; aliquid donat imprudentiæ & ætati; diligenter videt, an ſanari poſſit ingenium, & qua arte, imitaturque providentiam agricolarum, qui non modo rectas arbores & fructuoſas colunt, verum & illas regunt admotis adminiculis, quas aut ventorum vis, aut loci natura, aut alia cauſa depravarit, curantque ut fructus ferant in poſterum tempus: itaque aliarum ramos amputant & circumcidunt, ne proceritas eorum,

rum, ac multitudo officiat, & obſtet fœcunditati, alias nutriunt, cum ob ſoli vitium indigent alimento, ab aliis umbram removent circumfuſam, nec minus rectas, aut ſteriles continuo excidunt, evelluntque radicitus; ſed tum ſolum, cum nihil labore, nihil cultu, nihil diligentia proficiunt, & vident, eas cum ex ſeſe fructu carere plane omni, tum reliquis nocere aut umbra, aut radicibus, quibus humor, quo illæ ali poſſent, exhauriatur.

XI. Eodem modo qui præeſt communitati, & fungitur magiſtratu, quippe pater cum ſit, ad ſupplicia, acerbioremque animadverſionem non venit, niſi cum mitiora remedia fruſtra conſumpſerit, & in metu eſt, ne, qui peccavit, is ruat in poſterum, & magnum detrimentum afferat reipublicæ, data malefactorum impunitate. Sic medicus non continuo membrum abſcindit lue affectum, eique ignem ac ferrum admovet, ſed tantum cum ſcabies nulla alia via ac ratione depelli poteſt, & latius manat in corpus. Sic equos domandi peritus artifex eos leniter tractat, nec nimium terret crebro verberando; quemadmodum nec is, qui catulos inſtituit ad venandum: ſecus vi naturæ compreſſa, impetuque fracto, eos aut contumaces facit, aut timidos; itaque nec id conſequitur, quod maxime velit; eademque eſt præceptoris nimium auſteri, & pædagogi ratio.

XII. Quis autem non videt, & parentis, & medici, & inſtitutoris officium ei potiſſimum convenire, qui præfectus ſit regendæ, adminiſtrandæque reipublicæ. Qua quidem in re eo major cura adhibenda eſt, quo magis homo ſui juris, ac libertatis retinens eſt, & præſidi ac rectori traditus ad tutelam, non ad ſervitium quaſi mancipium, aut bellua. Severitate quidem opus eſt aliquando, ſed raro, & flagitante neceſſitate: nam, præterquamquod, quæ metu fiunt, ea non ſolent eſſe diuturna, nec honeſtatis cauſa fieri, duræ caſtigationis aſſiduitas ac frequentia eidem detrahit auctoritatem. Sapienter igitur ſcriptum eſt a Tullio (*lib. 1. Offic.*) *nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate, atque clementia*. Et paullo poſt: *& tamen ita probanda eſt manſuetudo, atque clementia, ut adhibeatur reipublicæ cauſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt*. Quamobrem tenere oportet mediocritatem, quæ quid ſit, ex

ex-

Digitized by Google

extremis vitiis, de quibus nunc dicam, apertius licet cognoſcere.

XIII. Eſt igitur in hoc genere fugienda crudelitas, quæ nimium eſt, & animi remiſſio, quæ parum. De utraque pauca dixi alio in loco (*lib.3. part.3. cap.15.*) nunc addo, crudelitatem eſſe turpiſſimam, maximeque moleſtam, & perniciosam. Primum ea quidem non hominum propria, ſed ferarum, quæ cæde & ſanguine delectantur. Quam vero turpe, qui natura homo ſit, eaque miti ex ſeſe propter vim, præſtantiamque rationis, eum a ſylveſtri animali nihil morum ſævitia, & immanitate diſcrepare! Hoc etiam ad moderatoris vituperationem pertinet, eſſe multos, ſæpius pœna mulctandos. Culpa enim videtur eſſe ejus, qui præeſt, quod magna ſit improborum, facinoroſorumque hominum multitudo, quos & exemplo, & præceptis, & adhortationibus, cum fieri poteſt, a vitiis avocare debeat, atque ad honeſtatem adducere. Itaque recte Seneca non minus ait (*lib.1. de Clem. cap.24.*) rectori civitatis turpia eſſe multa ſupplicia, quam medico multa funera. Crudelitas item vix ulla eſt ſine ira, quam ut continere magni animi eſt, ita puſilli ac muliebris ea rapi ad ſæviendum.

XIV. Deinde crudelitas efficiens eſt graviſſimarum moleſtiarum. Odioſa enim cum ſit, & invita omnibus cum probis, tum improbis, alienat a civili ſocietate, vitaque communi, & amandat ad beſtias, quarum potius contortio dignus videtur is, qui ferinam ſævitiam imitatur; timeat neceſſe eſt a civibus ſi magiſtratum gerit, ab adminiſtris, a liberis, tandem ab alienis, & ſuis; nihil ei tutum eſt, nihil vacuum periculo; eum ſpectant & privata conſilia, & interdum publica conſpiratio: quæ profecto ſunt moleſtiſſima. Ubique etiam turbida ſunt omnia, mœſta, confuſa, crudelitate dominante, in familia, in ſocietate, in republica. Ex quo conſtat, quam impia & inſana ſit ea vox: *oderint, dum metuant* (*apud Senecam ib. cap.12.*) Hæc quidem Atrei dicuntur eſſe apud Attium, qui Atreum tragœdiam ſcripſit; idque Tullius indicat [*lib.1. Offic.*] *ut ſi Æacus*, inquit, *aut Minos dicerent: oderint, dum metuant.... indecorum videretur, quod eos fuiſſe juſtos accepimus: at Atreo dicente, plauſus excitantur. Eſt enim digna perſona oratio.*

XV.

XV. Poſtremo crudelitas maximum detrimentum affert & iis, in quos adhibetur, & illi, qui adhibet. Neque enim nimia acerbitate homines retrahuntur a maleſactis, ſed pervicaciores evadunt, & odio ac rabie ad graviora ſcelera impelluntur. Nam humanus animus contumax eſt, & ad jugum excutiendum, quod coactus ferat, proclivior; faciliuſque regitur amore & facilitate, quam metu & ſævitia; ut nobilis equus, & generoſus leniter adductis habenis paret, at, nimium contractis, admotoque ſtimulo vehementius, exagitatur ac furit, & præcipiti quodam curſu fertur in devia. Iccirco, ait Plinius (*lib.8. epiſt.24.*) *male terrore veneratio acquiritur, longeque valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor: nam timor abit, ſi recedas, manet amor.*

XVI. Qui vero nimiam animi acerbitatem adhibet in exigendis pœnis, eum ſæpe e medio tollunt gladii ac venena, & non modo privati inſectantur, ſed etiam integræ civitates: metus enim cum magnus eſt, & ex gravi malo naſcitur, quod impendet quidem, ſed tamen aliquo modo repelli poteſt, non continet animos, verum jacentes inflammat ad audaciam; ut ſeptis concluſæ feræ incitantur ad cædem, abjecto metu, ſi minaciter terreas. Neque vero, uno proſtrato, minuuntur adverſarii, ſed creſcunt: ejus enim aut parentes, aut filios, aut propinquos, aut amicos ira armat ad ulciſcendum, ſi fieri poteſt. Itaque imperia, quæ crudelia ſint, vix credibile eſt, fore diuturna: qui enim a multis timetur, idem multos timeat neceſſe eſt. *Equidem ego cuncta imperia crudelia magis acerba, quam diuturna arbitror: neque quemquam a multis metuendum eſſe, quin ad eum ex multis formido recidat. Eam vitam bellum æternum, & anceps gerere: quoniam neque adverſus, neque a tergo, aut a lateribus tutus ſis, ſemper in periculo, aut metu agites.* (*Salluſtius ad Cæſarem Orat.1. p.161. edit. Lugdun. in 4.*) Quo fit, metu non ſuſtentari auctoritatem, ſed minui, atque interdum everti funditus. *Ne timueris contemptum,* ait Plinius (*lib.8. epiſt.24.*) *An contemnitur, qui imperium, qui faſces habet? Niſi qui humilis & ſordidus, & qui ſe primus ipſe contemnit.*

XVII.

XVII. Quemadmodum tamen hinc crudelitas; ita inde nimia animi remiſſio vitanda eſt, ut dixi (*lib.3. part. 3. cap.4.*) ſi enim ſontem punire neceſſe ſit, aut ad eum ipſum emendandum aut ad exemplum aliorum, aut ad quietem, incolumitatemque reipublicæ, debitam pœnam condonare, & remittere nefas eſt. Hoc enim quid aliud eſt, niſi vel privato bono nocere, vel publico, cui conſulere maxime debet is, qui præeſt? Quis non videt, incidi nervos diſciplinæ, virtutis, auctoritatis, imperii, nullo haberi loco principes viros, prætores, magiſtratus, moderatores, ac præſules, ſi peccare cuique liceat impune, & jura & homines pro libito violare? Hæc pati profecto non clementia eſt, ſed animi abiectio, humilitas, injuſtitia. *Malos homines caſtigare bonum eſt*, ait Euripides (*apud Stobæum ſerm.46 de Magiſtr. tom. 1.*) Et Menander (*ib.*) *quæ nunc a quibuſdam benignitas nominatur, vitam omnem remiſit ad improbitatem. Nullus enim injuriam faciens pœnam luit.*

XVIII. Quo efficitur, qui nimium alienis vitiis indulgent, ac ſæpius veniam dant, quam oporteat, eos ineptos eſſe ad gubernandum. Et multi quidem nimia indulgentia & ſe perdiderunt, & ſuos. Ut enim audaciores equi, niſi freno contineantur, ſibi nocent, & aliis curſus temeritate; ita mali pravis moribus, niſi eos diſciplina ac ſeveritas ſupplicii metu coerceat.

XIX. Rebus autem accurate conſideratis, prudentis eſt videre, quandonam expediat uti aut clementia, aut ſeveritate, quarum virtutum difficilis quidem eſt temperatio, & non niſi in eum cadit, qui omnia circumſpiciat attentius; qualis fuit Atticus, de quo ſcriptum eſt a Cornelio Nepote (*in ejus vita num. 15.*) *ejus comitas non ſine ſeveritate erat, neque gravitas ſine facilitate; ut difficile eſſet intellectu, utrum eum amici magis vererentur, an amarent*: itemque Agricola, de quo Tacitus (*in ejus vita num.17.*) *triſtitiam, & arrogantiam, & avaritiam exuerat: nec illi, quod eſt rariſſimum, aut facilitas auctoritatem, aut ſeveritas amorem deminuit.*

XX. Porro in dubia cauſa æquum eſt potius propendere ad mitiora. *Omnis autem animadverſio, & caſtigatio*, ut monet Tullius (*lib. 1. Offic.*) *contumelia vacare debet . . . . .*

Ca-

Digitized by Google

Cavendum eſt etiam, ne major pœna, quam culpa ſit; & ne iiſdem de cauſis alii plectantur, alii ne appellentur quidem. Prohibenda autem maxime eſt ira in puniendo. Nunquam enim, iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium, & parum.

CAPUT XXV.

De Affabilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Affabilitati contraria.

I. AFfabilitas videtur a fando dicta, & quaſi objecta re verborum ſuavitate continetur in familiaritatibus, in colloquiis, in congreſſionibus, humanoque convictu, ut grata ſit, & jucunda hominum inter homines conſuetudo, quemadmodum ratio præſcribit; qui finis eſt affabilitati propoſitus. Ex quo intelligi poteſt, quæ ſint ejus virtutis officia.

II. Primum eſt alios benigne alloqui, & eam inire, atque inveſtigare rationem, qua jucunditatem cuique parias, quoad fieri poteſt, faſtidium ac moleſtiam nemini. Quo pertinet ea probare, quæ probanda ſunt, omnia; neque ulla in re adverſari, niſi in iis, quæ aut turpia ſint, aut pernicioſa vel dicenti, vel audienti, vel cæteris. Hæc enim libere improbare oportet, & contradicere, niſi quid obſtet, & eum objurgare, qui ſic audeat loqui; aut certe tacere, erubeſcere, ſupercilium contrahere, ut conſtet, quam odioſa ſit hominis, & quam moleſta ac gravis oratio, ut ſapienter præcipit Epictetus: *periculoſum quoque eſt ad ſermonis obſcenitatem progredi. Cum vero hujuſmodi aliquid acciderit, ſiquidem tempeſtivum ſit, increpa eum, qui in obſcenitatem progreſſus eſt. Quod ſi non poſſis, at conticendo, erubeſcendo, & ſupercilium contrahendo manifeſtum ſit, te ſermonem iſtum moleſte ferre* (*In Manual. cap.*30. *num.*15.) Quod idem monet Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*6.) ſcribit enim: *quibus in rebus indecorum ei eſt, aut etiam incommodum delectationem*

afferre, tum eas moleſte feret, malletque animum offendere. Neque enim affabilitas, quæ virtus eſt propter rem objectam, finemque laudabilem, poteſt cum turpitudine & vitio conſiſtere.

III. Alterum eſt interroganti humaniter reſpondere; quamquam is importunus quodammodo videatur, & quæſtioni, ſi qua propoſita eſt, ſatisfacere, cum licet; libenter item audire, & toleranter, atque hilari vultu; etiamſi aut nota ſunt, quæ dicuntur, aut minus erudita, & rara, nec ſale condita: affabilitas enim ſimilis eſt charitatis, quæ connivet in omnibus, ſi honeſte poſſit, cavetque ne diſpliceat cuipiam, atque omnes magni facit.

IV. Tertium eſt obvios ſalutare honoris quadam, ac benevolentiæ ſignificatione, ut fert locorum conſuetudo, aut amicitiæ ratio, aut dignitatis, vel commune ſocietatis, vel urbanitatis officium. Multo autem magis cujuſque ſalutationi grate & comiter reſpondendum eſt: qui enim ſecus faciat, is non modo ab affabilitate diſcedit, ſed etiam peccat contra officium, ut dicam, & eum, a quo honore afficitur, videtur contemnere, atque amoris illud, aut cultus indicium penitus repudiare. Salutatio quidem nullas impenſas poſtulat; cum tamen multum pariat utilitatis: res enim ejuſmodi, etſi leves ſunt, magnam vim habent ad capiendos animos, quos abalienant, ſi negligantur. In hoc igitur officii genere alios prævenire conſentaneum eſt. Nam majori in laude ponitur dare, quam reddere; cum illud liberalitatis ſit, hoc videatur eſſe juſtitiæ, quod ſine culpa & vituperatione prætermitti non poteſt.

V. Tandem affabilitatis eſt non modo vocem, ac verba ſed geſtum etiam, vultumque ita componere, ut quicquid in oculos incidit eorum, quibuſcum loquimur ac verſamur, præſeferat ſuavitatem, & argumentum ſit charitatis, atque obſervantiæ, a qua exiſtat revera affabilitas neceſſe eſt, niſi fucata ſit, inanis, ſimulata, nec iccirco ingenuo viro digna.

VI. Eſt autem ea virtus omnium quidem propria; ſed cernitur præſertim in iis, qui aut doctrina, aut nobilitatis & dignitatis gradu, aut divitiarum copia reliquis antecellunt. Hi enim affabilitate ſermonis, oculorum & frontis hilaritate maxime ſibi devinciunt hominum voluntates, qui

bel-

belle neganti magis debere ſe profitentur, quam danti quidem, ſed duriter, & quadam oris ſeveritate. Etiam in pueris, & adoleſcentibus magna laus eſt affabilitatis, ad quam eos mature inſtituendos præceptum eſt a Plutarcho [*de Liberis educandis*] nihil enim eſt odioſius eorum moribus, qui ſe difficiles præbent, dum compellantur. Eam ob rem caveant oportet, ne ſemper velint victores eſſe in diſputando: etenim non modo præclarum eſt ſcire vincere; ſed etiam vinci poſſe aliquando pulchrum eſt, cum victoria non laudi eſt ſed vituperationi, non utilitati ſed damno. Cujus rei teſtem excitat ex poetis Euripidem: *Deinde*, inquit (*cit. loc.*) *opera eſt danda, ut affabiles fiant* (pueri) *inque colloquio comes. Nihil enim ita dignum eſt odio, ut eorum mores, qui compellantibus ſe difficiles præbent.* Tum addit: *jam in colloquiis pueri invisi aliis non fiunt, ſi non omnino in diſputationibus victoriam ſemper obtinere laborent. Non enim tantum egregium eſt ſcire vincere, ſed etiam poſſe vinci pulchrum eſt, ubi victoria eſt damnoſa . . . . poſſumque hujus ſententiæ teſtem laudare Euripidem illum ſapientem, cujus hæc verba ſunt:*

Dicentibus duobus, irato altero,
Qui non repugnat dictis, eſt ſapientior.

VII. Enimvero affabilitas in omnes adhibenda eſt, ignotos ac notos, cives & exteros, familiares & alienos, locupletes ac pauperes, urbanos ac ruſticos, eos, qui hilares ſunt natura, & qui triſtes, qui inanes, & qui judicii vi prædiri; cum ſapiens diſplicere velit nemini, verſeturque, ſi opus eſt, etiam cum improbis, ſed ut medici cum ægrotis, quorum curant infirmitatem, non contrahunt. In omnibus item ſe præſtat affabilem, loquendo, reſpondendo, audiendo. Hæc vero facit pro dignitate, habetque rationem & loci, & temporis, & perſonarum, ac reliquas honeſtatis formulas tenet: *aliter cum iis verſabitur*, ait Ariſtoteles (*lib.4. Ethic. cap.6.*) *qui auctoritate aliqua præditi ſunt, aliter cum quolibet, magiſque aut minus notis; itemque in aliis varietatibus ſuum cuique tribuet decorum.* Neque enim decet affabilem ſe præbere æque omnibus, & temere profundere boni-

tatem. Hoc enim qui faciat, is abjicit ſeſe, nec ſervat decorum; icciroque ſæpe contemnitur, & aſſentationem præſefert, aut imprudentiam, vacuitatemque judicii. Quo fit, ut ejus officia, quippequæ communia ſunt, & cuique expoſita æque ac parata, pauci æſtimentur a ſapientibus, & ſæpe rideantur.

VIII. Itaque pro ratione perſonæ, quacum loquimur, varius debet eſſe affabilitatis modus, quæ ſemper temperanda eſt gravitate; ita quidem, ut neque tragicam omnino perſonam agas, neque comicam, ſed philoſophi gravitatem, quæ reſplendeat in judicio, atque vita, conjungas cum laudabili quadam, & chriſtiana humilitate, quæ in morum, ſermonumque ſuavitate cernatur; & abſit quidem triſtitia, ſed etiam inanitas in verbis, in geſtu, in riſu, atque intempeſtiva lætitia. Sunt enim, qui, cum ſemper rideant, dubitationem afferunt, honore ne afficere velint, an illudere, aut aſſentari. Vide illud tamen, ut in affabilitate adhibenda potius ſuperes modum, quam deſeras, atque id rene, quod eſt in proverbio, linguam non exulcerari, neque ei cutem detrahi ſuavitate verborum.

IX. Reſtat, ut explicem, quæ ſint affabilitatis effecta. Primum eſt animum mirabili quodam lætitiæ genere delinire, jacentem erigere ac recreare, curiſque perturbatum ſanare. Siquidem in audientem, quaſi harmonia, ſuaviter influens oratio, eumdem reficit ac ſolatur. Alterum eſt, conciliare hominum benevolentiam, ut ſupra dixi (*lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 18.) nihil eſt enim, quo magis animi capiantur propter conſuetudinis, convictuſque ſuavitatem. *Extant epiſtolæ*, ait Tullius (*lib.* 2. *Offic.*) *& Philippi ad Alexandrum, & Antipatri ad Caſſandrum, & Antigoni ad Philippum filium, trium prudentiſſimorum (ſic enim accepimus) quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benevolentiam alliciant, militeſque blande appellando ſermone deliniant.* Valet etiam affabilitas ad amicitiam cum contrahendam, tum ſtabiliendam in poſterum. Eſt enim conciliatrix animorum, ut dixi; non tamen amicitia eſt; quippequæ ſine mutuo amore, & bonorum communione eſſe non poteſt, affabilitas poteſt. De hac quidem virtute hactenus, quam homini non in ſolitu-

di-

ſtine, at in multorum ſocietate ac frequentia viventi conſtat eſſe maxime neceſſariam, & in agendo, contrahendoque oppportunam. Ea vero parari poteſt obſervatione potius, ac prudenti de humanis factis, rebuſque judicio, quam præceptis, doctrinaque ſapientum.

X. Affabilitati duo ſunt vitia contraria, aſſentatio, & aſperitas: illa nimium eſt; hæc parum. De aſſentatione ſatis eſt dictum (*lib.3. part.3. cap.17.*) Hoc loco id tantum moneo, quoſdam non proprie aſſentatores, adulatoreſve dici, ſed blandos. Qui enim ad alterius voluntatem omnia loquuntur & faciunt, laudant & probant omnia, nullaque in re adverſantur, & ſtudent moleſtiam creare nemini aut dicto, aut facto; & hoc quidem, ut placeant, blandiri dicuntur; qui vero utilitatis ſuæ & commoditatis cauſa, lucrandique ſtudio, adulari. Utrumque autem vitium affabilitati repugnat, atque ingenuo viro indignum eſt.

XI. Aſperitas perverſus habitus eſt, qui hominem reddit durum, auſterum, inſuavem moribus & oratione. Sunt, qui nihil loquuntur ad voluptatem, aliena improbant cum dicta, tum facta, omnia ægre ferunt, atque faſtidiunt, placere nemini ſtudent, nec de cujuſquam offenſione ac moleſtia laborant, contendunt, contradicunt, in omni re adverſantur, graves quidem homines, importuni, litigioſi, præduris villis & aculeis contecti more hyſtricis, qui pungunt, ſi propius acceſſeris, aride jejuneque reſpondent; vix rident unquam; eorum ſermo omni caret lepore ac venuſtate; præſertim ſi eos alloquantur, qui inferiores ſint nobilitatis gradu, aut copia divitiarum. Horum ſimiles alios quidem videas erecto collo, elataque cervice, ſevera facie, Catoniana gravitate, qui frontis quodam ſupercilio utuntur, & triſti ac truci contorſione oculorum, quaſi pueris incutere metum velint, ut Polyphemus ille (*apud Virgilium lib. 3. Æneid. v.621.*)

Nec viſu facilis, nec dictu affabilis ulli.

XII. Quid de illis dicendum arbitremur, qui rudes ſunt adeo, ut ad inanem, atque ridiculam auctoritatis & gravitatis oſtentationem, & ad ſuſtinendum dignitatis gra-

dum

dum, ne ſalutationi quidem reſpondeant? id barbari animi eſt, & ejus proprium, qui totius humanitatis expers eſt, & civilis ſocietatis ignarus. Etenim nulla alia ratione longius a natura diſcedimus, quam ruditate, aſperitate, duritie. Hac certe re nihil eſt magis non modo affabilitati, ſed etiam auctoritati contrarium. Qui eo ſunt ingenio, odioſi atque inviſi ſunt omnibus, nec ſibi benevolentiam conciliant, nec obſervantiam, ſed contemnuntur, ac ſaltem clam proſcinduntur probris & maledictis; & nemo eſt, qui non in vepres, quam in eos, malit incidere. Scitum eſt enim illud, neque auſterum vinum gratum eſſe palato, neque ſuperbos duroſque mores placere ſocietati. Amamus quidem, ac veremur affabiles; elatos autem animos, & aſperos averſamur. Sed mirum non eſt, quoſdam eſſe, qui ſecus ſentiant, & auctoritatem fulciendam putent ſupercilio; quippequi cerebrum habeant plenum inanitate, non præceptis, inſtitutiſque philoſophiæ, quæ magiſtra eſt bene vivendi.

CAPUT XXVI.

De Comitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Comitati contraria.

I. Comitas virtus eſt, quæ decorum ſervat in jocis ac ludis, qui ſunt materia ſubjecta comitati; ut affabilitas modum tenet in ſuavitate ſermonis. Ex quo intelligi poteſt, quid inter utramque differat. Ludus in factis cernitur, quale eſt ludere pila, aut trocho; jocus in verbis, hoc eſt argute faceteque dictis, in ſalibus, in lepore. Nam *jocatio eſt oratio, quæ ex aliqua re riſum prudentem, & liberalem poteſt comparare* (*Auctor ad Herennium lib.* 3.) Qua quidem de re etſi multa præcipiunt cum rhetores, tum philoſophi; tamen opus eſt potius lepida natura, & ingenii vi atque ſolertia, quam præceptionibus, quæ de ſalis arte tradantur, quam quidem aut difficilem eſſe, ait Tullius (*lib.* 2. *de Orat.*) aut nullam. Iccirco, qui facetus eſt, vix con-

tin-

tingit, ut idem non ſit ingenioſus & ſagax. Eam ob cauſam hæc virtus, de qua quærimus, etiam dexteritas nuncupata eſt, & græce *εὐτραπελία*, quod comis ſua verba poſſit *εὐτρέπειν*; hoc eſt, concinne & belle vertere.

II. Quod ſi quis a natura non habet, ut lepidus & feſtivus ſit, operam perdet in jocis, riſumque excitabit ineptiis quidem ſuis, & inſulſa dicacitate, non ſalibus, eritque fabellæ locus. Aſinus enim cum canem vidiſſet hero comiter blandientem, atque ob id diligi, paſcique herili cibo, ſe vero ſarcinis onerari, nullique eſſe gratum, ſectari ſtatuit utilem artem blanditiarum. Itaque hero domum redeunti obviam it, & exiliens adhæret anterioribus pedibus, eumque blande pulſat ungulis. Herus exclamat, adſunt ſervi, ineptuſque aſellus, qui urbani, facetique perſonam vellet agere, egregie fuſte vapulat. Itaque hortatur Horatius [*de Arte Poetica*]

Tu nihil invita dices, faciesve Minerva.

III. Tamen & qui natura ferus eſt, gravis, auſterus, comparare ſibi poteſt conſuetudine comitatem. Et ſunt quidem, qui etſi vultu ac geſtu graves, in colloquiis & familiaritatibus ſumma alios feſtivitate delectant. Quoniam hoc etiam ad virtutem pertinere intelligunt ſapientes; cum identidem ſuus eſſe debeat in vita requieti locus, & animi ſint a curis & aſſiduis laboribus recreandi, reparandæque vires ingenii, ut vires corporis ſomno ac cibo. Secus natura ſuccumbat neceſſe eſt, langueſcat, debilitetur. Recte ille (*Ovid. Heroid. Epiſt.* 4.)

Quod caret alterna requie, durabile non eſt,
Hæc reparat vires, feſſaque membra levat.

Et Horatius (*Odar. lib.* 2. *Ode* 7.)

Quondam cythara tacentem
Suſcitat muſam, neque ſemper arcum
Tendit Apollo.

Se-

Senecæ item viſum eſt, opus eſſe animi remiſſione aliquando; ſecus eum hebetari & flacceſcere nimia aſſiduitate exercitationis in conſiliis, curiſque rerum graviorum; ut agros, etſi fertiles, tandem exhauris, ſi perpetuo colas. Quo fit, ut quædam luſus ac joci cupiditas a natura eſſe videatur: *nec in eadem intentione æqualiter retinenda mens eſt, ſed ad jocos revocanda. Cum pueris Socrates ludere non erubeſcebat* .... & quidem in arundine equitando (*ex Valerio Maximo lib. 8. cap. 8.*) quod riſit Alcibiades. *Danda eſt remiſſio animis, meliores acrioreſque requieti ſurgent. Ut fertilibus agris non eſt imperandum. Cito enim exhauriet illos nunquam intermiſſa fœcunditas: ita animorum impetus aſſiduus labor frangit. Vires recipient paullum reſoluti, ac remiſſi. Naſcitur ex aſſiduitate laborum animorum hebetatio quædam, & languor: nec ad hoc tanta hominum cupiditas tenderet, niſi naturalem quamdam voluptatem haberet luſus, jocuſque* (*Seneca de Tranquillit. animi cap. 15.*) Quapropter finis propoſitus comitati eſt animi quies & relaxatio, triſtitiæ depulſio, & honeſta quædam voluptas non modo propria, ſed etiam aliena. Eſt enim comitatis delectare dicto faceto, facto quodam decoro & opportuno joco, quod gratiſſimum eſt ſocietati. At non tantum lepide, faceteque dicere comis eſt; verum & audire, & ſales libenter excipere, apteque & commode retorquere.

IV. Neque hæc ludendi, jocandique ratio ipſos interdum dedecet magnos & illuſtres viros. His enim conciliat animos multitudinis; cum faſtum repellere, & argumentum humanitatis eſſe videatur. Auguſtus Cæſar, ſalva imperii majeſtate, jocis ac ſalibus uſus eſt, cujus fuit illud ſalſe dictum, cum accepiſſet ab Herode interfectum filium: *melius eſt Herodis eſſe porcum, quam filium* (*Macrobius Saturnal. lib. 2. cap. 4.*) Jocos etiam in ſe alienos æquo animo tulit, quorum plures cum hujus generis, tum ſuperioris deſcribit Macrobius (*cit. loc.*) quemadmodum & aliorum facere dicta (*eod. lib.*). Auguſti ſimilis fuit Veſpaſianus imperator in lepore ac jocis (*Svetonius in ejus vita cap. 22.*) ſed fortaſſe nimius. Immo & morum innocentia florentiſſimi viri putarunt, a ſanctimonia alienam non eſſe comitatem, ut Philippus Nerius, de quo lepida multa narrantur (*in ejus vita,*

& ſociorum a Baccio deſcripta) ut Hieronymus, cujus quædam extant epiſtolæ aſperſæ ſalibus, ut Franciſcus Saleſius [*in ejus vita*] ut Epiphanius (*in vita*.)

V. Verum, cum in re difficili, periculoſaque verſemur, multæ ſunt adhibendæ cautiones. Primum enim videndum eſt, ut ne nimii ſimus in ludis ac jocis. *Neque enim*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *ita generati a natura ſumus, ut ad ludum & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora, atque majora. Ludo autem, & joco uti quidem illo licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris, tunc cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus.* Sumenda eſt enim oblectatio non velut quotidianus & familiaris cibus, ſed ut medicina; hoc eſt, ad infirmitatem & ægritudinem repellendam, tuendamque vitam & ſanitatem; non ut quidam faciunt, qui non ludunt, ut vivant, at videntur vivere, ut ludant. In eo quippe ætatem conſumunt pene omnem; quod ſtultum eſt. *Multum autem ſtudii*, ait Ariſtoteles (*lib.10. Ethic. cap.6.*) *curæque ponere & laborem ferre, ut ludas, ſtultum quiddam & nimium puerile eſt. At ludere, ut ſerias res gerere poſſis, Anacharſidis ſententia conceſſum eſt. Quoniam enim ludus requieti, & ceſſationi ſimilis eſt, quoniamque laborem ferre ſempiternum minime poſſumus, ceſſatione opus eſt. Non eſt igitur in otio & ceſſatione finis poſitus; quippequæ ad actionem referatur.* Ea vero, quæ ducunt in finem, eatenus utenda ſunt, quatenus in finem conferunt. Hæc maxime præ oculis habeant oportet adoleſcentes & pueri, qui nimio, immoderatoque ludorum ſtudio teneantur. In hoc etiam genere peccant ii, qui, etſi cum dant ſeſe graviori ſtudio ac labori, ſuſceptum opus dies, noctesque perſequuntur; tamen, cum ad ludos venerint, ab illis abſtrahi, atque abduci non poſſunt, nec ad priorem conſuetudinem revocari. Quare neque in labore, neque in oblectationibus modum tenent.

VI. Deinde maxime cavendum eſt, ne joci uſurpentur unquam in re inhoneſta, atque turpi. Hoc enim cum abjecti animi eſt, inverecundi, flagitioſi; tum quaſi importuniſſima quædam peſtis eſt, quæ audientes inflammat ad ſcelera, & latius manat in dies. *Duplex omnino eſt*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *jocandi genus: unum illiberale, petulans, flagitioſum,*

obſcenum : alterum elegans, urbanum, ingenioſum, facetum. Quo genere non modo Plautus noſter, & Atticorum antiqua comœdia, ſed etiam philoſophorum Socraticorum libri referti ſunt : multaque multorum facete dicta, ut ea, quæ a ſene Catone collecta ſunt, quæ vocant ἀποφθέγματα. Facilis igitur eſt diſtinctio ingenui, & illiberalis joci. Alter eſt, ſi tempore fit, ac remiſſo animo, homine dignus : alter ne libero quidem, ſi rerum turpitudini adhibetur verborum obſcenitas. Et alio in loco (*eod. lib.*) *ipſumque genus jocandi non profuſum, nec immodeſtum, ſed ingenuum & facetum eſſe debet. Ut enim pueris non omnem ludendi licentiam damus, ſed eam, quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena : ſic in ipſo joco aliquid probi ingenii lumen eluceat.* Quod præceptum cum omnibus datum eſt, tum præſertim adoleſcentibus, quorum maximum ornamentum eſt temperantia & pudor. Rurſus Tullius (*lib. 1. Offic.*) *atque etiam*, inquit, *cum relaxare animos, & dare ſe jucunditati volent* (adoleſcentes) *caveant intemperantiam, meminerint verecundiæ.* Fugiantur etiam neceſſe eſt illiberales ludi, quales ſunt jactus alearum, & ſi qui ſunt ejus generis. Sed neque audire fas eſt ea, quæ fœda ſunt, etſi ridicula videantur. Hoc enim intemperantiæ eſſet indicium, & bonis moribus pernicioſum.

VII. Tum ab jocis omnis abeſſe debet aliorum irriſio, atque contemptio : ſæpe enim ſales magis offendunt & pungunt, quam aperta quædam injuria ; cum illi a malevolentia, & contumeliæ libidine proficiſci videantur ; hæc ſæpe ab iracundia, quæ ſubito quodam, inconſideratoque impetu concitatur : illi, ut hamata tela, diutius inhæreant propter dicti acumen ; hæc fere extenuetur, atque avaneſcat, ut ſcriptum eſt a Plutarcho (*Sympoſ. lib.2. quæſt.1.*) *Eſt*, inquit, *cum ſalibus magis, quam conviciis exagitamur ; cum hæc ab ira inconſulto proficiſci ſæpe videamus : illos non ex neceſſitate, ſed ſtudio contumeliæ, & malignitate.* Et paullo poſt : *magis autem ſales, ſeu dicteria . . . . mordent ; quia inſtar hamatorum telorum diutius inhærent ; moleſtaque eſt morſis oblectatio elegantiæ, grata audientibus.*

VIII. Quamobrem cave aliquid facete dicas, quo aliorum errata ac vitia, quæ potius charitate humanitateque tegere æquum eſt, notare videaris, & cuipiam fortunam,

for-

formam, ingenii tarditatem, ruſticitatem, vitæ genus, & inſtitutum exprobrare. Id enim cum turpe & odioſum eſt, tum etiam crudele; & multo magis, ſi non honori tantum, ſed etiam famæ detrahatur per jocos & ſales; qui etſi quamdam pariant audientibus voluptatem, illum ſauciant, cui infiguntur, & quaſi aculei altius penetrant: quemadmodum ait Plutarchus (*de Solertia Animalium*) de pueris dicebat Bio, eos per ludum ranas appetere lapidibus; ranas autem non joco, ſed ſerio mori.

IX. Nimium quidem dentati erant ſæpenumero Ciceronis ſales, ex quibus ille in Caninium Revilium, qui uno tantum die conſul fuit: *Caninio conſule*, inquit, *ſcito, neminem prandiſſe. Nihil tamen, eo conſule, mali factum eſt. Fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit* (*Epiſt. famil. lib.* 7. *epiſt.* 30.) Et in Vatinium, qui paucis diebus geſſerat conſulatum: *magnum oſtentum anno Vatinii factum eſt; quod, illo conſule, nec bruma, nec ver, nec æſtas, nec autumnus fuit* (*Macrobius Saturnal. lib.*2. *cap.*3.) In Antonium vero ea uſus eſt jocandi acerbitate, atque irriſione tam acuta, tamque vehementi, ut ad medullas pervadere, & cruorem elicere videretur; cum tamen ludibrio habere ne ipſum quidem inimicum oporteat, nec verbis, nec geſtu, qui aut balbum, aut claudum, aut luſcum exprimat, nec cachinno, quo inepte dictum, aut factum notetur.

X. Quo in genere vehementer reprehendendi ſunt ii, in quibus quædam ineſt alios ridendi libido petulans, quique huic quidem illudunt velut informi, illi ut nimis longo ac gracili, alteri ut brevi & puſillo, alteri ut inornato & horrido, ita quidem, ut nemo fere eorum dicacitatem ac morſus poſſit effugere, quaſi canum rabidorum (*Vid. Jo. Caſa in Galateo num.* 88.) in multos jaciunt σκώμματα, ut Græci vocant (*a*) quæ quidem ab irriſione non differunt, niſi fine.

 Nam

(*a*) Scommata jacere eſt, quod vulgo dicitur *uccellare*. Eſt enim Scomma cavillum a σκώπτω cavillor, & definitur a Macrobio (*lib.*7. *Saturnal. cap.*3.) morſus figuratus; quia ſæpe fraude, vel urbanitate tegitur; ut aliud ſonet, aliud intelligas. Nec tamen ſemper ad amaritudinem pergit. Scommatum genera deſcribit eo in loco Macrobius.

Digitized by Google

Nam σκώμματι voluptas propoſita eſt; offenſio autem, contemptioque irriſioni: etſi in loquendo, ac ſcribendo unum promiſcue uſurpari ſolet pro altero. At ſi proprie velimus loqui, irriſio ſemper diſplicet ei, qui ridetur; σκῶμμα nonnunquam placet, eſtque cauſa ſolarii. Quod de his a me dictum eſt, idem valet in ſatyras & ironias, quæ quoddam ſunt convicii genus. At convicium cum turpe eſt ex ſeſe, tum lege vetitum [*tit. de Injuriis, ac de famoſis libellis*] In hac re peccant ii maxime, qui ſua vitia, etſi multa ſunt, non cernunt, ſed tantum aliena.

XI. Fugienda igitur eſt alios deridendi perverſitas, atque inſolentia, quæ quidem non modo turpis eſt, ut dixi, ſed etiam plena periculi. Cum enim quiſque contemni ſe, & rideri ægre ferat, aut a benevolentia erga nos animum alienat ſuum, aut excitatur ad rixas & pugnam, aut, ſi valet potentia, ad ultionem laceſſitus injuria. Ciceroni quidem juſſu Antonii, quem ille amariſſimis ſalibus, & maxima verborum aſperitate perſtrinxerat, caput amputatum eſt, & lingua acubus puncta a Fulvia Antonii uxore (*in Hiſt. Cicer. deſcripta a Franciſco Fabricio in fine*) Male etiam mulctatus eſt quidam mimus, qui, cum mortuus neſcio quis efferretur, eum clara voce compellans: perge, ait, refer Auguſto, nondum reddita eſſe legata, quæ is nimirum plebi reliquerat [hæc quidem ſolvenda erant a filio Tiberio, qui tunc gerebat imperium] ſenſit Tiberius dicti acumen ac morſum, & ſcurræ id dari juſſit, quod ei ex legato deberetur; tum vero eumdem duci ad ſupplicium, adiecto mandato, ut nunciatum iret Auguſto, jam cœptum eſſe ejus legata perſolvi (*apud Suetonium in Tiberio cap.57.*)

XII. Immo etiam in ſalibus, qui dentibus carent, ut ita dicam, prudentia & cautione opus eſt. Nam interdum jocus quamquam facetus & liberalis, accipi a quopiam poteſt pro contumelia. Ex quo iræ, odii, ac diſcordiarum ſemen exiſtat, & amicitiæ familiaritatiſque diremptio. Neque conſentaneum eſt id uſurpare, quod Ciceroni tributum eſſe ſcribit Andreas Scottus (*in Cicerone a calumniis vindicato*) *amicum potius, quam dictum perdidi*. Nam ſapiens multa potius dicta perdet, quam amicitiam.

XIII.

XIII. Licet tamen interdum vel admonendi, vel reprehendendæ inurbanitatis, vel auctoritatis defendendæ cauſa, acutiore aliquó ſale, aut joco uti: *ut illud Naſicæ*, ait Tullius (*lib.2. de Orator.*) *qui cum ad poetam Ennium veniſſet, eique ab oſtio quærenti Ennium ancilla dixiſſet, domi non eſſe; Naſica ſenſit, illam domini juſſu dixiſſe, & illum intus eſſe. Paucis poſt diebus cum ad Naſicam veniſſet Ennius, & eum a janua quæreret, exclamat Naſica, ſe domi non eſſe. Tum Ennius: quid? ego non cognoſco vocem, inquit, tuam. Hic Naſica: homo es impudens. Ego, cum te quærerem, ancillæ tuæ credidi, te domi non eſſe; tu mihi non credis ipſi?* Non multo poſt (*cit. loc.*) aliud narrat facete dictum, quo admoneretur quidam de inepta dicendi ratione. *In eodem genere*, ait, *eſt, quod Catulus dixit cuidam oratori malo, qui cum in epilogo miſericordiam ſe moviſſe putaret, poſtquam aſſedit, rogavit hunc, videretur ne miſericordiam moviſſe; ac magnam quidem, inquit. Neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua miſeranda viſa ſit.*

XIV. Fuit, qui impium jocum acerbius retorqueret in irriſorem, ſed opportune. Libanius enim ſophiſta contemptionis & contumeliæ cauſa in Chriſtum O. M. ex pædagogo probo viro quæſivit: nunc Fabri filius quid, putas, agit? at ille: non ociatur; ſed feretrum fabricatur Juliano tuo. Et brevi quidem Julianus, qui tunc Parthico bello operam dabat, vita functus in feretro advectus eſt (*Hiſt. Tripart. lib.6. cap.44.*) antequam vero efflaret animam, exclamaſſe fertur: *viciſti, Galilæe, viciſti* (*apud Maſenium lib.1. de recto uſu argutiarum cap.6.*)

XV. Mox non decet jocis uti in calamitoſos, ut in eos, qui pœna plectuntur, qui conflictantur infirmitate, qui non levem pecuniæ vim amittunt in ludo. Nam *adverſus miſeros inhumanus eſt jocus*, ait Quintilianus [*Orator. Inſtit. lib.6. cap.4.*] & Tullius (*lib.1. de Orator.*) *miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte jactant*. Similiter qui triſtes ita ſunt, & ſeveri natura, ut nullos ſales, leporem nullum ferre poſſint, cum his non eſt jocandum, ut monet Caſa (*in Galateo num.92.*) nec fere cum magnis viris, atque iis, qui ſuperiores ſunt poteſtate. Joci enim familiaritatis ſigna ſunt, non venerationis & obſervantiæ; quo fit, ut humilem & abjectum homi-

mi-

minem fere non deceant, niſi cum pari. Videre etiam oportet, ne quem unquam ſane, ſed præſertim ignotos homines rideamus, ut nonnulli temere faciunt, qui cum de equis judicent ab ephippiis, ſecum ipſi non reputant, nobilem interdum, ſolertemque mentem ſub rudi amictu occultari. Nec probatur jocus in re gravi; in ſacra autem multo minus. Non tamen nego, fieri poſſe, ut lepore quodam tempeſtivo etiam in magnis rebus id conſequare, quod velis, quemadmodum lepide & ſalſe dicto, quo utaris cum illuſtri viro, ſed ratione ac judicio.

XVI. At ſacra ad jocum adhibere nefas eſt, & multo magis facetiis Deo ac ſanctis illudere. Joannes Zwykius homo perditus, & expers religionis, Hallas oppugnante Oliverio Tampelio, auſus eſt palam dictitare, ſe, expugnato oppido, Hallenſi mulierculæ [ſic enim impudentiſſime, ſceleſtiſſimeque Deiparam noncupabat] naſum velle præcidere. Mox nefario ſcurræ propius ad urbem venienti plumbea pila naſum abſtulit. Quare eum ſocii per jocum Hallas ire ad naſum recipiendum jubebant (*Lipſius de Virgine Hallenſi cap. 7. vol. 1.*) Per ludum item, ac jocum carpere benefacta cum improbum eſt, tum ſtultum. Quid enim poteſt eſſe dementius, quam qui ferantur præcipites, ab his rideri alios proptereaquod tutam, & repertam viam ingrediantur, ac teneant.

XVII. Præterea ſales eſſe non debent frigidi, ſine lepore, per vim quaſi accerſiti, ex fæce hauſti; quippequi, ſi nihil habent acuminis, atque ſolertiæ, tædium afferunt maxime ſapientibus, non voluptatem. Hujuſmodi ſolet eſſe, quæ a latinis dicitur annominatio (*Auctor Rhetoricor. ad Herennium lib. 4.*) a Græcis *μαρήχησις*, ſeu *παρωνομασια* (*apud Tullium de Orator. lib. 2.*) a noſtris vulgo *biſticcio* ſuperiori ſæculo frequens; ut ſi dicas te velle radi; rodi, inquiunt, melius (*vide Caſam in Galateo num. 97.*) ſi roges, ubi hic, aut ille ſit, reſpondent: ubi pedes. Quæ profecto nihil aliud efficiunt, niſi ut dicentium inſulſitas rideatur.

XVIII. Salſa autem dicta accidunt gratiora, quæ improviſa ſunt, quam quæ meditata videantur, & quæ in reſpondendo adhibentur, quam quæ in laceſſendo: in illis enim majus quoddam ingenii lumen cernitur: *ſunt enim*, ait

ait Quintilianus (*lib. 6. Inſtit. Orator. cap.* 4.) *longe venuſtiora omnia in reſpondendo, quam in provocando.*

XIX. Tandem, ut uno verbo dicam, in jocis habenda eſt ratio & finis, & loci, & modi, & temporis, & rerum, & perſonarum. Finis quidem debet eſſe, ut vitæ moleſtiæ honeſta quadam hilaritate leniantur. Neceſſaria eſt loci, & temporis opportunitas (neque enim ſemper jocari licet, & ubivis) itemque dicacitatis moderatio & temperantia, rerum electio, ac perſonarum. Siquidem, niſi neceſſe eſt aliquem acriore ſale caſtigare (quod interdum faciunt ii, qui præſunt, aut parentes, aut præceptores) apud eos joci ſunt adhibendi, quibus ſint grati, & facilius inter familiares, quam ignotos.

XX. Hæc qui obſervet, jocari poteſt non modo laudabiliter, ſed & fructuoſe. Nam facetiarum lepores, præterquamquod curis animum levant, ut dixi, interdum ad magnum aliquod malum impediendum valent, ad difficile negocium perficiendum, ad admonendum. Nam quæ dura veritas non movet, contingit, ut moveat venuſtate ac ſale condita. Valent item in arte oratoria. *Eſt plane oratoris* (non tamen ſacri) *movere riſum*, ait Tullius (*lib.* 2. *de Orator.*) *vel quod ipſa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt; vel quod admirantur omnes acumen uno ſæpe in verbo poſitum maxime reſpondentis, nonnunquam etiam laceſſentis; vel quod frangit adverſarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat, vel quod ipſum oratorem politum eſſe hominem ſignificat, quod eruditum, quod urbanum, maximeque, quod triſtitiam, & ſeveritatem mitigat, & relaxat, odioſaſque res ſæpe, quas argumentis dilui non facile eſt, joco riſuque diſſolvit.* (*vide & Quintilianum Inſtit. Orator. lib.* 6. *cap.* 4.)

XXI. Itaque cum ſuavis ſit, ac ſæpe perutilis jocus, præſcribit Plato, mature pueros ad honeſtos lepores & jocos eſſe inſtituendos, ut abſtineant a turpibus: *ergo, ut a principio diximus, ſtatim a primis annis pueri honeſtis in jocis aſſuefaciendi ſunt: nam ſi jocis minus decentibus aſſueſcant, nunquam legitimi, probique viri evadere poterunt* (*lib.*4. *de Republ.*) At cum non multum valeant judicio, ac prudentia, docendi erunt præcepta, quæ huc pertinent; non modo ut faceta quæ-

Digitized by Google

quædam ſalſe & moderate dicant, ſed etiam ut ea modice ferant, quæ acerbius ab aliis dicta videantur. Cæterum qui lepida urbanitate, qui ſalibus, qui facetiis offenditur, is ineptus eſt civili ſocietati, & ad ſolitudinem ſecedat neceſſe eſt (*a*) Neque vero ulla levitatis nota inuri poteſt ei, qui comis ſit, & facetus ſervato modo. *Non enim vereor*, ait Tullius (*lib. 2. de Orator.*) *nequis me in iſto genere leviorem jam putet: quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores, & Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protuliſti.*

XXII. Comitas extrema habet ſcurrilitatem, quæ nimium eſt, & ruſticitatem, quæ parum. Scurrilitas eſt inſulſa & moleſta dicacitas, & ſæpe odioſa, qua ordo, modus, decorum in jocis, ludiſque pervertitur. Eſt enim ſcurræ in omnes uti ſalſe dicendi licentia, & ridiculorum cupiditate dare operam potius, ut riſum moveat, quàm ut, quæ honeſta ſunt, dicat opportuno loco ac tempore; neque illud admodum cavet, ne alios offendat. Hæc autem a ſuperbia naſcuntur, & hominum contemptione, aut inſolenti ingenii oſtentandi ſtudio. Ludis etiam ſcurra, aut ineptis quandoque, aut turpibus delectatur. Quo referuntur ludi ſcenici communes & populares; at non academici, quales ſunt comœdiæ, ac tragœdiæ cujuſque turpitudinis expertes ad honeſtam oblectationem inſtitutæ. At fere nullæ hujuſmodi ſunt hac ætate; nullæ virtuti, ac bonis moribus conſentaneæ. Ars quidem ſcurrilis ac mimica, & humilis eſt, & fœda, & periculoſa. Qui enim eam profitentur, ii ſæpius male mulctantur aut dictis, aut factis.

XXIII. Ruſticitas eſt vitium, quo qui laborat, nec feſtivitate, jocorumque ſuavitate delinitur, nec jucunditate ludorum; atque ita ab his abhorret agreſtis & ruſticus, ut nec facetum quid dicat ipſe, nec eos, qui dicunt, ferre poſſit; quod vitioſum eſt. Nam hominem natum ad ſocietatem non pati, alios ullo joco, ludove uti animi gratia, & ipſum

(*a*) Integrum librum de recto uſu familiarium argutiarum ſcripſit Jacobus Maſenius, quem legere poſſit, qui velit.

ipſum nihil dicere, aut facere ad alienam voluptatem, rationi contrarium eſt (*S. Thomas* 2.2. *q.* 168. *art.* 4.) quod ſi qui fuerunt ſanctiſſimi viri, qui quovis & ludo, & joco abſtinerent omnino, id eis vitio non datur, ſed virtuti ; quod ad res animum applicarent multo graviores, & delectationem caperent cæleſtem quamdam, atque divinam, qua & alios perfunderent, fieretque eorum congreſſio pleniſſima voluptatis.

CAPUT XXVII.

De Facilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Facilitati contraria.

I. IN eo poſita eſt facilitatis vis & natura, ut aditus quam facillime pateat venienti, nec aures alienis vocibus ac querimoniis clauſæ ſint. Itaque vides, hanc quidem virtutem a clementia, ab affabilitate, a comitate diſcrepare, quarum non eadem eſt ratio, non natura plane eadem, ut ſupra dixi. Nec facilitas cum humanitate omni ex parte conſentit. Humanitas enim hominem homini prodeſſe jubet, vetatque contraria, ex quo nomen eſt ductum; cum facilitatis ſit nemini aditum intercludere accedenti ad dicendum.

II. Hoc autem eorum maxime proprium eſt, qui præſunt communitati: debent enim curare, ut ſuos libenter & excipiant, & audiant. Quandoquidem nec videre poſſunt omnia ipſi per ſe, nec audire. Nec vero ſatis eſt, ſi aurem præbeant iis, qui acceptiores ſunt, magiſque familiares; quippequi vel imprudentia, vel malitia, animique perturbationibus, ut amore, ut odio, ut ſpe nonnunquam aut fallunt, aut certe falluntur ; nec ſinunt, cum valent potentia, alios ad eum accedere, qui gerit magiſtratum. Immo expedit a multis multa ſciſcitari, & vel ab hominibus, qui indoctiores, rudioreſque videantur : illi enim, quia ſimplices ſolent eſſe, apertiores etiam ſunt in dicendo ; & ſin minus patefaciunt ſententiam ſuam, ſaltem id referunt, quod

acceperint ex communi fama, & ſermone populari. Hoc quidem modo licet, quæ obſcura & ignota ſunt, ea diſcere, incommoda ſarcire, vitia corrigere, alienis calamitatibus providere, & adminiſtrorum negligentiam, imprudentiam, verſutiam, calliditatem, aſſentationem continere, atque compeſcere. Verebuntur enim, ne, quod ipſi occultant, alii proferant. Adde, quod facilitas eſt ad ineundam benevolentiam aptiſſima.

III. Iccirco qui præſunt, ſi laudabiliter ac ſapienter velint datam ſibi provinciam adminiſtrare, faciles erunt, ac prompti ad audiendum, qualis fuit Trajanus, cujus facilitatem ſcribit Plinius in primis ab omnibus eſſe laudatam, qui humanitatis ſtudia profiterentur. *An quiſquam*, ait (*in Panegyr. Trajani*) *ſtudia humanitatis profeſſus, non cum omnia tua, tum vel in primis laudibus ferat admiſſionum tuarum facilitatem?* Qualis item Pompejus, de quo Tullius (*pro lege Manilia*) *Jam vero ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis eſſe dicuntur, ut is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur*. Accedentes autem, ut aperte id dicant, quod ſentiunt, hilaritate alliciendi ſunt, ac deliniendi ſuavitate ſermonis. Nam affabilitatis ac benignitatis aptus & concinnus modus exprimit verba, quæ impediuntur, & quaſi ſuffocantur aſperitate & metu. Adriani lateri hæſiſſe venientem, ait Plinius, finemque ſermonis a cujuſque, qui acceſſiſſet, verecundia, non ab imperatoris ſuperbia eſſe factum. *Hæret lateri tuo*, inquit Trajanum alloquens (*in Panegyr.*) *quiſquis acceſſit, finemque ſermoni ſuus cuique pudor, non tua ſuperbia facit*.

IV. Hoc tamen in genere magna quadam cautione opus eſt, prudentia, ſolertia. Non minus enim peccat is, qui credit omnibus, ac qui nulli. Quamobrem qui præfectus eſt communitati, alia cum aliis conferat, neceſſe eſt, & attentius conſideret, quæ ſit ejus, qui loquitur, natura, quæ indoles, quod ingenium; apertum ne, ſimplex, ſincerum; an duplex, doloſum, fraudolentum; veritas ne moveat ad dicendum, an perturbatio cupiditatis. Quæ qualia ſint, cum ex aliis, tum ex verbis, ex geſtu, ex oculis, ex vultu conjici poteſt, itemque interrogando, quærendoque multa, cogno-

gnoſci quodammodo. Recte ergo Martialis (*lib.8. Epigr.15.*)

Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.

Quod ſi cauſa, quæ proponitur, dubia eſt, oportet ad conſiderandum adhibere tempus & diligentiam, ne quid temere fiat, quod deinde pœnitendum ſit, & reprehendi jure poſſit. Omnes quidem fere audiendi ſunt; ſed non annuendum, atque auſcultandum omnibus. Præſertim vero ad pœnam accedere iniquum eſt, niſi peccatum minime dubium ſit, atque injuria comperta, quam quis ſibi illatam queratur. Nam incertam culpam certo pœnarum genere puniri, jus non eſt.

V. In facilitare poteſt eſſe nimium, & parum tamquam extrema vitia, etſi carent nomine. Nimium eſt admittere plane omnes ſine delectu, ut aſſentatores etiam, ut malitioſos, ut vafros, & cum audiuntur ea, quæ leviora ſunt, interim tempus terere, ac prætermittere, negligereque graviora. Parum eſt aut paucos audire velle, aut neminem, & in eos, qui accedunt, præſeferre aſperitatem, iracundiam, ſuperbiam. Quiſquis enim ea dicit invitus, aut non dicit omnino, quæ alteri, ac præſertim præfecto ſuo, quocum loquitur, intelligat diſplicere.

CAPUT XXVIII.

De Urbanitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Urbanitati contraria.

I. QUamquam tres ſuperiores virtutes, de quibus poſtremo loco diſputavi, ad urbanitatem referantur quodammodo; tamen hanc latius patere compertum eſt. Iccirco quæ urbanitatis ſunt propria, ea leviter attingam hoc loco. Urbanitas autem dici poteſt morum quædam ſuavitas, & perpetuum ſtudium id exquiſite tenendi, quod in ſermone, in actione, atque in omni vita decorum eſt. Nomen quidem ab urbe ducitur. Nam civili congreſſu, doctorumque homi-

num conſuetudine maxime erudimur ad humanitatem, atque ad omne id, quod decet in vita communi. Decet autem id, quod modum tenet, quod verecundiæ ac pudori conſentaneum eſt, quod honeſtum. *Hoc loco*, ait Tullius, (*lib.* 1. *Offic.*) *continetur id, quod dici latine decorum poteſt. Græce enim τὸ πρέπον dicitur. Hujus vis ea eſt, ut ab honeſto non queat ſeparari. Nam & quod decet, honeſtum eſt; & quod honeſtum eſt, decet. Qualis autem differentia ſit honeſti, & decori, facilius intelligi, quam explanari poteſt. Quicquid enim eſt, quod deceat, id tum apparet, cum antegreſſa eſt honeſtas.* Alterum tamen videtur ab altero diſcrepare, quod honeſtum aut ipſa virtus ſit, aut res geſta virtute. At decori eſt quodammodo alia deſcriptio; quippequod cum duplex ſit; *nam & generale quoddam decorum intelligitur*, pergit Tullius [*cit. loc.*] *quod in omni honeſtate verſatur, & aliud huic ſubjectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis . . . illud ſuperius ſic fere definiri ſolet, decorum id eſſe, quod conſentaneum ſit hominis excellentiæ in eo, in quo natura ejus a reliquis animantibus differat: quæ autem pars ſubjecta generi eſt, eam ſic definiunt, ut id decorum eſſe velint, quod ita naturæ conſentaneum ſit, ut in eo moderatio, & temperantia appareat cum ſpecie quadam liberali.* In quo quidem habenda maxime ratio eſt & ætatis, & gradus, & perſonæ, & loci, & temporis, duce prudentia.

II. Atque hinc poteſt intelligi, a moderatione, ſeu modeſtia naſci ut decorum, ita urbanitatem. Modeſtia autem non eſt ſine chriſtiana ac laudabili humilitate, qua fit, ut demiſſe de nobis, de aliis honorifice ſentiamus. In quo hæc virtus ineſt, is facile urbanus futurus eſt, ac bene moratus. Nam offendit neminem, adhibet reverentiam adverſus omnes pro cujuſque dignitate & gradu, curat, ut moveat approbationem eorum, quibuſcum vivit, ordine, & conſtantia, & moderatione dictorum omnium, atque factorum, abeſt a contentione, alienam commoditatem anteponit ſuæ, quæ quidem omnia, aliaque generis ejuſdem facilis ſunt hominis, ſuavis, urbani.

III. Quapropter qui his dotibus caret, hoc eſt, chriſtiana humilitate ac modeſtia, expers ſit etiam neceſſe eſt veræ urbanitatis. Qui enim ſuperbus eſt, urbanus interdum videri po-

Digitized by Google

poteſt, eſſe non poteſt. Cum enim ſe magni faciat, alioſque contemnat, quamdam gloriæ inanitatem ſpectabit in tribuendis officiis, non honeſtatem; quod quidem non virtutis eſt, ſed vitii. Sæpe etiam proferet ruditatem, maxime in eos, qui inferiores ſint gradu, aut affluentia opum, & divitiarum; putabitque, ſe hoc modo conſulere auctoritati ſuæ; cum nihil facere poſſit, quod ad auctoritatem, exiſtimationemque turpius eſſe videatur. Eſt enim monſtrum quoddam homo nobilis, aut pecunioſus expers urbanitatis, quem iccirco cavent omnes, & ſi qua honoris ſignificatione proſequantur, id faciunt aut metu, aut caſu, aut moris gratia, non voluntate; ſuperbia enim animos alienat a benevolentia, quæ certe modeſtia, & laudabili humilitate conciliatur.

IV. Quo efficitur, urbanitatem non ineſſe in corporis forma, ſpecie, ac venuſtate, & apta quadam conformatione membrorum, vel oris habitu, agendive modo a natura dato, qui attrahat, atque allectet extrinſecus, ſed in animo bene conſtituto, & exculto cum philoſophiæ præceptis, tum exercitatione virtutum, in primis earum, de quibus dixi: iccirco & eum, qui deformi ſit corpore, & invenuſto, ſi valet animo, aptum eſſe ad civilem ſocietatem, & urbanitatis officia; & rurſum poſſe contingere, ut urbanis, & ſuaviſſimis moribus ſit is, qui humili, obſcuroque loco natus eſt; contra vero rudis, & impolitus, & inurbanus, qui ex clara & illuſtri familia. Neque enim urbanitas duci, atque æſtimari debet a ſtirpe, ſed a moribus, & ingenio, quod cum bene exultum eſt ac perpolitum, nihil deeſt homini, quod ad urbanitatem, & veram ipſam nobilitatem pertinet; quippequæ & doctrina & virtutibus continetur.

V. Enimvero qui principium habet in animo, unde elegantes, ornati, politique mores exiſtunt, illud ſequetur urbanitatis genus, quod eſt ſecundum naturam, neque minute ac ſubtiliter conſiderabit, quot paſſus V. C. comitari debeat abeuntem hoſpitem, quo ritu, & quaſi cæremonia excipere aut nobilem virum, aut eum, qui tenuioris fortunæ ſit, aut gradu inferior, quibus verbis uti, quave gravitate pro varietate perſonarum. Quamquam enim & ſuperioris, & inferioris, & paris habenda eſt ratio; tamen minuti eſt animi, & conciſi certa quadam quaſi regula, ut architecti ſolent, officia metiri. VI.

VI. Verum non iccirco negligenda ſunt, quæ decent in actione & ſermone, cum in civili ſocietate verſamur, & ipſæ etiam, quæ peregrino nomine, & a ſacris accepto, cærimoniæ nuncupantur, prætermitti non debent, illæ quidem, quæ ad officium pertinent; dum tamen modum teneas. Niſi enim adhibeantur pro more in loquendo, in ſcribendo, in agendo, injuria affici videtur is, cui debeantur. Quoniam quidem hoc officiorum genus, quod verbis, ac geſtu potiſſimum continetur, argumentum cum ſit, & ſignum noſtræ erga alios caritatis, & obſervantiæ ex conſenſione populorum, videri poteſt in contemptionem, & contumeliam deſeri ea honoris, & benevolentiæ ſignificatio.

VII. Ex quo conſequens eſt, minus opus eſſe cæremoniis (utar enim hoc verbo jam apud noſtrates uſitato) cum pari, cum amico, atque cum iis, qui noſtram in ſe optimam, ac benevolam voluntatem perſpectam habent, modo officium, urbanitatemque tueamur, amota ruditate. Cum pari quidem, præſertim amico ac noto grata eſt, & ſecundum naturam familiaris quædam agendi, loquendique ratio, modeſta tamen, & verecunda, & quæ commoda potius quærat ſociorum, quam ſua. Quin & in eum, qui ſuperior eſt poteſtate & gradu, quamquam urbanitas debet eſſe cum obſervantia, cultuque conjuncta; tamen ſit oportet naturalis ac libera, qualis ingenuum virum decet, metu ſublato, qui humilis & rudis indolis ſæpe indicium eſt, non pudoris & verecundiæ: neque enim puſillum animum admittit urbanitas; etſi quoddam iniicit quaſi frenum audaciæ.

VIII. Cæterum judicium ac prudentiam adhibere oportet in eo, de quo quærimus, officiorum genere, ac videndum eſt, quid uſus ferat, quem quidem non tam invexit communis conſenſio ſapientum, qui iidem urbani ſint, ac moribus expoliti, quam decorum ipſum, de quo primæ præceptiones ac regulæ ſunt a natura datæ. Uſus enim, cum rectus eſt & laudabilis, naturam ſequitur ut ducem, & normam eorum, quæ decent, aut ſecus. Quod ſi naturam ſequamur, nunquam aberrabimus, ut ait Tullius [*lib.* I. *Offic.*) Hæc præſcribit, quænam eſſe debeat urbane agendi ratio inter domeſticos & alienos, ignotos ac notos, juvenes

nes

Digitized by Google

nes ac ſenes, nobiles ac plebejos, indoctos ac literatos; & pro locorum varietate, ac temporum varium eſſe urbanitatis modum cognoſcimus, ipſa magiſtra ratione, atque natura. Quin & ipſa præcepta, quæ dantur ad mores expoliendos, omnino ac nimium religioſe ſervare, decoro atque urbanis moribus poteſt eſſe contrarium; ut ſi quem cogas ad dexteram ire, cui ſit id incommodum aut propter pluviam, aut propter viarum difficultatem. Videndum igitur eſt, quid cuique placere poſſit, aut eſſe utile. Neque enim urbanitas eſt, quæ ingrata, aut perniciosa; quale eſt hominem negociis occupatiſſimum vario officiorum genere detinere. At ſingula quidem, quæ urbanitatis ſunt propria, non arbitror explicanda; tum quod fere infinita cum ſint, longiorem orationem poſtulant, quam ferat inſtituti noſtri ratio; tum quod hic locus diligenter a multis tractatus eſt, & uberrime in primis a Joanne Cala [*in Galateo*] a Stephano Guatio (*de Civili Familiaritate*) & ab Auctore libelli de urbanitate, quæ apud Gallos eſt uſitata (*nouveu traité de la civilité qui ſe pratique en France.*)

IX. Hoc cuique perſuaſum velim, præſertim vero adoleſcentibus, fungi urbanitatis muneribus, & animum habere ſuavioribus moribus limatum ac expolitum, cum utile eſſe, tum etiam ſummopere neceſſarium non iis modo, qui vitam degunt in aula, aut ſæpe in nobilium, atque illuſtrium virorum frequentia verſantur, ſed omnibus, qui nolint in deſertiſſima ſolitudine ætatem omnem conſumere. Nam urbanitatis frequens eſt uſus, immo familiaris, & quotidianus. At multo rarius incidunt cauſæ, cur in aliis virtutibus, quæ cæteroquin præſtantiores ſunt, ut in magnificentia, magnanimitate, liberalitate animum exercere neceſſe ſit. Itaque frequentia atque uſu quidem urbanitas earum æquat præſtantiam ac dignitatem; neque a vero aberit, ſi dicamus, dicendi agendive concinnitatem ac vim ſæpe eſſe gratiorem, propterea quod non ſemper magis placent, quæ pretioſiora ſunt, ſed quæ polita ac venuſta.

X. Colere autem urbanitatem, & decorum, & condecentiam in verbis, & factis (quamquam contra ſentire multi videantur) illos oportet præ reliquis, qui procurationem habent rerum ſacrarum, aut ad eas adminiſtrandas

eru-

erudiuntur; quippequi rationes, & vias inire debent, quibus amabilem reddant cuique virtutem, teneram, ut ita dicam, atque tractabilem, iccircoque ut ſibi populorum exiſtimationem, benevolentiamque concilient, perquam facile, ſuaviterque, ac jucunde eos attrahant, alliciantque ad honeſte vivendum, atque ad res præclare gerendas. Quoniam compertum eſt in moribus, qui rudes ſint, & agreſtes, & inſuaves, magnam vim ineſſe ad alienandos animos. Quiſque enim, ut hominem, qui aſpera & inurbana natura ſit, ita ejus conſilia, adhortationeſque odit & aſpernatur, declinatque maxime ſocietatem. Itaque ſit oportet ſanctimoniæ, quæ ſacros viros decet, & urbanitatis ſumma neceſſitudo, atque conjunctio. Equidem ſemper animadverti, ut quiſque ſanctior eſt, eumdem eſſe politiorem moribus, & oratione. Nam laudabilis humilitas, & moderatio nullo modo poteſt ſine urbanitate conſiſtere; cum contra animus male affectus, ut reliquis virtutibus, ita caret actionum, & morum concinnitate, quæ ſi quando videatur eſſe, ficta & ſimulata eſt, cujus quidem turpis aſſentatio, aut ſuperbia parens & procreatrix ſit, non ſtudium honeſtatis.

XI. Qui hoc in genere deeſt a modo, inurbanus dicitur; qui modum ſuperat, is caret nomine; ſed hunc potes nimium officioſum dicere, venuſtolum, politulum, & ſi fabricari nomen velis, affectatum. Cum enim ſtudioſius affectet urbanitatem, ab ea diſcedit. Inurbani quidem ita deſcribuntur a Patritio Senenſi (*lib. 5. de Rep. tit. 1.*) *male morati homines, quique in verbis, aut geſtu minus apti ſunt . . . . . quippequi ruri potius educati, quam in urbibus eſſe videantur*. Hujuſmodi ſunt, qui aut facto, aut dicto ſenſum aliquem, appetitum, vim illam, quæ φαντασία nominatur a Græcis, vel intelligentiam offendunt. Horum vero, quæ late patent, multa recenſentur a Caſa (*in Galateo*) Similiter contra bonos mores peccant ii, qui ea faciunt, aut dicunt, qui aliorum contemptionem, irriſionem, animi abalienationem, malevolentiamque præſeferunt, ac generatim quæcumque hominibus, quibuſcum verſantur, ingrata ſunt, vel quæ inania & futilia. In quoſdam etiam incides inurbanos iccirco, quod nimio urbanitatis, & officiorum, quæ ab aliis exigant, amore teneantur, delicatuli, molli-

cu-

culi, fragiles, moroſi, ut a Caſa dicuntur, qui cum ſe nimium ament, cauſam putant eſſe magnam querimoniarum, ſi in ſalutando fueris, in viſendo, in reſpondendo, in honorifice tractando negligentior; cum urbani ſit quædam ferre, ac diſſimulare præſertim leviora.

XII. In urbanitate nimius eſt is, qui non tenet in ea modum, ut dixi, ac profuſe urbanus eſt fere in omnes, & ubique, ac ſemper, non habita ratione & loci, & temporis, & perſonarum, nec ſenis, nec juvenis, nec indocti, nec literati, & viros interdum graviſſimis occupationibus impeditos detinet officioſa inanitate verborum, ut judices, ut patronos, ut eos, qui in ſtudiis malint, quam in his næniis audiendis tempus conſumere. Hic quidem in notam incidit imprudentiæ, & levitatis; vel ſi officia ad utilitatem & quæſtum refert, aſſentator eſt ac mendax, cum iis, quibus male velit eſſe, fauſta precatur omnia, inanes coram, fictaſque laudes attribuit, & operam pollicetur ſuam. Quo in genere multo iniquiores ſunt ii, qui verba humanitatis, officiique plena dant iis, quibus pecunia, aut merces aliqua debeatur, ut mercatori, ut artifici, ut famulo, aliiſque operariis generis ejuſdem. Sunt enim plures, qui verborum redundantia factorum inopiam tegant, & naturæ perverſitatem; quorum arte, dolo & calliditate ſimplices capiuntur, non ſapientes.

Digitized by Google

PARS IV.

De Fortitudine.

I. TErtius honeſtatis fons, officiorumque eſt fortitudo viri maxime propria. Quocirca eam Græci ἀνδρέιαν vocant ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς; hoc eſt, a viro, & Latini ſæpe virtutem, quæ item a viro ducitur. *Vide*, inquit Tullius (*lib.2. Tuſc. qq.*) *ne cum omnes recte animi affectiones virtutes appellentur, non ſit hoc proprium nomen omnium: ſed ab ea una, quæ cæteris excellat, omnes nominatæ ſint. Appellata eſt enim a viro virtus: viri autem propria maxime eſt fortitudo:* quoniam eſt ejus, qui fortis ſit, decora & honorifica commendatio; cum ſummopere quidem laudabile ſit invicta quadam animi contentione id ſequi, quod pulchrum, quod præclarum, quod honeſtum eſt, ac dura quæque tolerare, moleſtias, labores, cruciatus, ac necem honeſtatis cauſa. Contra vero ſumma eſt abjecti, & formidoloſi animi, maximeque indecora vituperatio. In quam rem rurſus Tullius [*lib.1. Offic.*] *Intelligendum eſt autem, cum propoſita ſint genera quatuor, e quibus honeſtas, officiumque manaret, ſplendidiſſimum videri, quod animo magno, elatoque, humanaſque res deſpiciente factum ſit. Itaque in probris maxime in promptu eſt, ſi quid tale dici poteſt* (ex Ennio)

Vos etenim juvenes animum geritis muliebrem,
Illa virago viri. . . . .

Et ſi quid eſt ejuſmodi:

Salmacida ſpolia ſine ſanguine, & ſudore.

Contraque in laudibus, quæ magno animo, & fortiter, excellenterque geſta ſunt, ea, neſcio quomodo, quaſi pleniore ore laudamus. Itaque ut forti animo ſimus, quæ hic locus poſtulat, explicabo.

CA-

CAPUT I.

Quid ſit Fortitudo.

I. Fortitudo tam late patet interdum, ut ea fere complectatur omnia, quæ propria ſunt virtutum reliquarum; iccircoque adverſus vitiorum omnium vim, impetum, inſidias, pravarumque affectionum temeritatem ſumma contentione decertet, & virtutum, quæcumque illæ ſint, ornamenta tueatur, videatque, ne quid detrimenti capiat animi dignitas ac præſtantia. Ut vero præcipua eſt virtus, definitur a Tullio (*de Invent. lib.2.*) *conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio*. Conſiderata, inquam; quæ nimirum inter extrema conſiſtat cuſtos mediocritatis, & prudentiæ, rationis, judicii retinens ſit, itemque juſtitiæ, ſine qua ut prudentiæ, & rationi nullus eſt locus; ita nec fortitudini. Quapropter qui alienas ditiones invadunt, urbeſque diripiunt, & bello injuſto gerendo fundunt hoſtium copias, qui alios per injuriam male mulctant, vulnerant, occidunt, non fortes illi quidem, ſed iniqui ſunt, latrones, immanes ac barbari. *Ea animi elatio*, ait Tullius (*lib. I. Offic.*) *quæ cernitur in periculis, & laboribus, ſi juſtitia vacat . . . . in vitio eſt. Non enim modo id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis. Itaque probe definitur a Stoicis fortitudo, cum eam virtutem eſſe dicunt propugnantem pro æquitate.*

II. Quo efficitur, a fortitudine, ut conſideratum ſit id, quod geritur, abeſſe oportere iracundiam; quippequæ eſt inimica conſilio, perturbatrixque rationis; ex quo extat illud (*apud Virgilium lib.2. Æneid. v.316.*)

. . . . . . *Furor, iraque mentem*
Præcipitant . . . .

& affectio quædam ferina eſt carens judicio, ſimiliſque dementiæ. *An eſt quiſquam*, ait Tullius (*Tuſcul. qq. lib.4.*)

 ſimi-

ſimilius inſaniæ, quam ira? quam bene Ennius initium dixit inſaniæ . . . . Non igitur deſiderat fortitudo advocatam iracundiam. Satis eſt inſtructa, armata, parata per ſeſe; nec ſtomacho eget, quo quaſi tenebræ offundantur rationi; cum definiatur etiam fortitudo apud Tullium (*ibid.*) *conſervatio ſtabilis judicii in eis rebus, quæ formidoloſæ videntur, ſubeundis, & repellendis.* Fere autem male convenit judicium cum iracundia. In eamdem ſententiam ſcribit Ariſtoteles (*lib. 3. Ethic. cap. 8.*) *fortes quidem honeſtatis cauſa gerunt omnia, eiſque animus ſubſidio eſt: belluæ autem ægritudine, ac dolore incitatæ, quod vel vulnus acceperint, vel ne accipiant, extimeſcunt . . . . Non igitur fortitudo eſt dolore, ac ira incitatum adire pericula, nihil eorum, quæ moleſta, & aſpera interveniunt, providentem. Nam iſto modo quidem licet dicere fortes aſinos, cum eſuriunt, quod ne verberibus quidem deterrentur a paſtu.* Quamobrem Ariſtoteles eorum ſententiam non probat [*cit. loc.*] qui iram ad fortitudinem transferunt; *propterea quod fortes videntur ii etiam, qui ira incitati tamquam belluæ toto impetu in eos feruntur, qui vulnerarint: quoniam fortes etiam ira excandeſcunt: eſt enim maximus ad ſubeunda pericula aculeus iracundia. Hinc Homerus: furor arma miniſtrat; & animumque citavit: & ingens per nares vis: & ſanguis efferbuit:* non probat, inquam: hæc enim omnia vix poſſunt cum honeſtate, & ratione conſiſtere. Quamquam non id quidem volumus, torpere fortem virum, & lentum eſſe; ſed iram, ſi qua eſt, ejuſmodi eſſe, quæ rationem non impediat, ſed juvet. Iccirco ſcribit Ariſtoteles ipſe (*eod. loc.*) *videtur autem naturam attingere ea maxime* (fortitudo) *quæ ab ira ducitur: quæ ſi judicium, finemque adhibuerit, veræ fortitudinis nomen poſſit, laudemque obtinere.*

III. Debet ſimiliter a fortitudine abeſſe ſuperbia, quæ cum turpis eſt per ſeſe, tum impellit ad ſcelera, atque inconſiderata eſt. Fortitudo autem nulla eſt ſine honeſtate, & ratione. Bene Tullius: *illud odioſum eſt*, inquit (*lib. 1. Offic.*) *quod in hac elatione, & magnitudine animi facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Ut enim apud Platonem eſt, omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi; ſicut quiſque animi magnitudine*

ma-

Digitized by Google

maxime excellit; ita maxime vult princeps omnium eſſe, vel potius ſolus eſſe. Tum paullo poſt: *vera autem, & ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat, principemque ſe eſſe mavult, quam videri. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus.*

IV. Neque deſperatio in fortitudinis præſidium advocanda eſt: quoniam conſilium non adhibet ad agendum, ſed cœco modo id arripit, quod poteſt, ad evadendum, gerendumve nogocium. Nulla eſt item fortitudinis, & inſanæ ejus cupiditatis, quæ propriæ commoditati, & avaritiæ ſtudeat, conſociatio. *Animus paratus ad periculum*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *ſi ſua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis*. Poſtremo a fallacia, & malitia abhorret ſummopere fortitudo: *nemo*, ut Tullius ſcribit (*eod. loc.*) *qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidiis, & malitia laudem eſt adeptus . . . . itaque viros fortes, & magnanimos, eoſdem bonos, & ſimplices veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe volumus.*

V. Hæc quidem omnia, aliaque generis ejuſdem vitia vir fortis caveat, neceſſe eſt, ſi prudens velit eſſe, & cautus, &, quod facit, id meditato, ſapienterque facere. Ex quo conſequens eſt, ut reliquis virtutibus, ita fortitudini eſſe propoſitam honeſtatem; quemadmodum etiam eſt apud Ariſtotelem (*lib.3. Ethic. cap.7.*) *honeſtatis ergo cauſa magno, fortique animo vir fert, facitque ea, quæ ſubjecta ſunt fortitudini;* hoc vel ut incolumis ſit, ac ſalva reſpublica, vel ut animo ſuo ornamenta tueatur, aut paret, vel ne ab honeſto diſcedat. Nam decoro, ac præclaro fine ſublato, fortitudo non conſiderata eſt, ſed imprudens, iccircoque nulla; quemadmodum etiam cum naſcitur ex inſcitia earum rerum, quæ periculis, laboribuſque adjunctæ ſunt. Ubi enim inſcitia eſt, prudentia eſſe non poteſt. Sed neque ſi naſcatur a fiducia victoriis parta. Hac enim homines freti impelluntur in pericula; *quia ſe ſperant*, ait Ariſtoteles [*lib.3. Ethic. cap.8.*] *fore ſuperiores, nihilque viciſſim eſſe paſſuros. Atque tale quippiam etiam ebrii faciunt; quod ſint fidenti animo præditi. Quod ſi, quæ ſibi propoſuerunt, non adipiſcantur, tum fugiunt.* Itaque & hi, cum non ſequantur honeſtatem,

nec

nec omnia provideant, minus conſiderati, & ſapientes habentur; iccircoque nec fortes. Huc eos adde, qui in adeundis periculis aut ſpe ducuntur honoris, ac præmii viris fortibus conſtituti, aut infamiæ, & pœnarum metu. Nam qui vere fortis eſt, non præmio, aut pœna movetur, ſed honeſtate, quæ ipſa per ſe expetenda eſt, & jure laudabilis. Deinde animus, qui ſic affectus eſt, non firmus & conſtans eſt, nec paratus ad ea facienda, & toleranda omnia, quæ dura ſunt. Nam ſpe, & timore ſublatis, fortis eſſe deſinit: caret ergo fortitudine, quæ habitu conſtante ac perpetuo continetur.

VI. Ex quo poteſt intelligi, plures, qui vere non ſint, fortes videri. Sunt enim proxima vitia virtutibus; ac deinde homines facta cernunt quidem, quæ virtutis ſpeciem præſeferunt, ſed non animum, in quo ut virtus omnis ineſt, ita fortitudo, quæ certe non corporis viribus, ac lacertis metienda eſt, ſed mentis robore, ac præcellenti virtute. Quamquam enim & optima conſtitutio membrorum, firmitas, & vis corporis, & ſanguinis pars illa, quæ fluit in venis, ac nervis, cum tenuior eſt, atque uberior, & maxime viget, ad animi fortitudinem, ac nervos valet, ideoque ad dura toleranda, & ad ea cum ſuſcipienda, tum ſtrenue perficienda, quæ præclara ſunt; tamen & in debili, atque infirmo corpore quædam poteſt eſſe animi excelſi, atque invicti magnitudo; & ratio ſupplere id poteſt, quod non eſt a natura datum. Si enim amor, aut alia animi affectio vehementior vel imbelles, timidaſque feminas ad dura compellit nonnunquam, eiſque eripit metum; cur idem ratio non poſſit in adeundis periculis, & rebus aſperis perferendis?

VII. Quemadmodum vero quidam videntur fortes, qui non ſunt: impelluntur enim ad dura imprudentia, injuſtitia, iracundia, avaritia, ſpe, aut metu, aliave cupiditate, non honeſtatis ſtudio; ita quidam ſunt, etſi minime videantur. Quoniam magno & excelſo animo cum ſint, quominus aperta dent fortitudinis argumenta, obſtat & impedit aut adverſa fortuna, qua premuntur, aut humile vitæ genus, aut mala valetudo; multis etiam deeſt opportunitas idoneorum ad agendum temporum; iccircoque ejus, quæ in animo eſt, magnitudinis explicandæ. Quantus vir eſſet, quam ſtre-

nuus,

Digitized by Google

nuus, quam invictus Sixtus V. tum maxime compertum eſt, cum ſummum geſſit pontificatum, univerſamque chriſtianam rempublicam adminiſtravit. Qualis debeat eſſe fortitudo, dixi hactenus; reliqua mox exponam.

CAPUT II.

Quæ ſint munera Fortitudinis.

I. QUoniam fortitudo definita eſt periculorum ſuſceptio, laborumque perpeſſio, conſtat, duo eſſe ejus munera. Alterum eſt adire pericula, atque ardua ſuſcipere, alterum labores pati; ſeu brevius: alterum eſt aggredi, alterum ſuſtinere. Ex quo extat illud: agere & pati fortia Romanum eſt. Vides igitur, fortitudinis materiam, & quemdam quaſi campum eſſe ea, quæ non modo præclara & honeſta ſunt, ſed etiam ardua, difficilia, dura, aſpera aut aditu, aut toleratu: in his enim virtus cernitur; cum quæ levia ſunt, & facilia, ea quiſque poſſit facere, aut ſuſtinere etiam ſine animi magnitudine, ac firmitate. Verumtamen & hæc quædam ſunt fortitudinis initia, ac rudimenta, quæ nemo negligat, niſi qui ſibi viam fere omnem velit ad habitum comparandum præcludere. Quoniam ardua quidem cum raro incidant, oportet ad ea iter ſternere per frequentia, & quotidiana, quæ ſint ex eodem genere, quamquam multo leviora. Sed ad fortitudinis officia redeamus.

II. Primum itaque vir fortis cum tempeſtatem quamdam proſpicit impendentium malorum, quæ repelli poſſint, aut mitigari, ea magno animo adoritur, ac, ſibi rei honeſtate propoſita, periculum adit non fortunarum modo, ſed etiam ſalutis & vitæ, cum ratio poſtulat. Hoc fortitudinis genus maxime apparet in bello, quod pro patriæ ac reipublicæ incolumitate ſuſceptum ſit. Idcirco, qui virtute bellica valent, ii honores, gloriam, nominis claritatem conſequuntur, famæque perennitatem. *Hinc rhetorum campus*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *de Marathone, Salamine, Platæis, Thermopylis, Leuctris. Hinc noſter Cocles, hinc Decii, hinc Gneus, & Publius*

blius Scipiones, hinc M. Marcellus, innumerabileſque alii, maximeque ipſe populus Romanus animi magnitudine excellit. Declaratur autem ſtudium bellicæ gloriæ, quod ſtatuas quoque videmus ornatu fere militari. Hinc tantopere etiam commendantur apud poſteritatem Clœlia etſi femina, Cornelius Coſſus, T. Manlius Torquatus, Valerius Corvus, Æmilianus Scipio, Julius Cæſar, C. Attilius, M. Cæſius Scæva. Sed infinitum eſt velle ſingulos numerare (*vid. Valerium Max. lib. 3. cap. 2. Patritium Senenſem lib. 5. de Rep. tit. 2. Pontanum de Fortitud. lib. 1.*)

III. Nec minus laudatur virtus bellica hiſtoricorum, & oratorum ſcriptis, quam carminibus poetarum, ut Homeri, ut Virgilii, ut Horatii, ut Statii, ut Lucani, ut Torquati Taſſi, & habetur quaſi divina, & heroica; quod difficillima adire pericula, nulli labori ſuccumbere etſi maximo, ac moleſtiſſimo, & vitam, quæ cuique ſummopere cara eſt, pro nihilo ducere, aliquid ſupra hominem eſſe videatur. Ex quo eos, qui hoc animo ſunt præcellente ac generoſo, ἥρωας Græci nominarunt.

IV. Quamobrem mortem in prælio præſertim materiam eſſe, in qua fortitudo verſatur, putant quidam ex ſapientibus (*vid. S. Thomam 2.2. q.123. art.4. & 5. Jo. Caſum Moral. quæſt. lib.3. cap.6. Giphanium in cap.6. lib.3. Ethic. Ariſtot. & alios*) quippe Ariſtotelem ſequuntur, cujus eſt illa ſententia. *Nec vero*, inquit is, (*Ethic. lib.3 cap.6.*) *in omni genere mortis vir fortis cernitur, ut ſi quis in mari pereat, vel morbo intereat. Quo ergo in genere? an non in pulcherrimo? qualis eſt ea, quæ in bello evenit; quippequæ in maximo, pulcherrimoque periculo oppetatur. Hoc indicant honores, qui & in rebuſpublicis, & apud reges decreti ſunt iis, qui in bello fortiter pugnantes occubuerint.* Quod quidem minime improbarim, ſi pro ſalute reipublicæ, patriæ, parentum, liberorum, amicorum, pro defenſione libertatis, legum, & religionis, dum quis in hoſtes impetum facit invicto animo, accipiat vulnera, & mortem obeat. Cauſa enim honeſtiſſima eſt ob rei, pro qua decertatur, magnitudinem, atque præſtantiam. Quo ſpectat illud Virgilii (*Æneid.2. v.317.*)

. . . . pulchrumque mori ſuccurrit in armis:

Hoc

Digitized by Google

Hoc item (*Æneid.*11. *v.*646.)

> . . . . *dant funera ferro*
> *Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.*

V. Verum aut gloriæ cujuſdam inanitati, aut pecuniæ, habendique cupiditati vitam devovere, quod multi faciunt, inſanientis eſt, non fortis viri. Videmus autem ſæpe laudari eos, quos impulit in pericula, atque in aciem & pugnam, non honeſtas, ſed iracundia, crudelitas, audacia, avaritia, imprudentia, principatus, aut imperii inſolens quædam amplificandi libido, vel laudis & gloriæ; quod non in virtute ponendum eſt, ſed in vitio. Nam pugnandi cauſa turpis eſt, non honeſta; & ſæpe infertur, non propulſatur injuria. Multos vero decipit ſpecioſum honoris nomen; proptereaquod a quibus pericula adeuntur in prælio, eis oratores, ut dixi, poetæ, aliique rerum ſcriptores decus ſempiternum, atque immortale apud poſteros pollicentur, cujus, ut quiſque altiſſimo ingenio eſt, ita appetentiſſimus eſſe dicitur. Qua opinione imbuti homines famam quærunt, unde non debent, aut non eo, quo debent, modo; nec ſatis conſiderant, illum, qui vere appellari poteſt honos, naſci tantum ex recte factis, & conſtantis ſolidæque virtutis eſſe præmium, non pravæ cujuſdam cupiditatis.

VI. Verum relicta militia, in qua parum valere videntur præcepta philoſophorum, ad eam fortitudinem venio, quæ urbana, & domeſtica eſt, aditque pericula, & mala non belli, ſed domi. Nam ubique fere multa incidunt, in quibus cerni poſſit animi magnitudo, & illuſtrius interdum in re civili, quam bellica. *Cum plerique arbitrentur*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *res bellicas majores eſſe, quam urbanas, minuenda eſt hæc opinio. Multi enim bella ſæpe quæſierunt propter gloriæ cupiditatem; atque id in magnis animis, ingeniiſque plerumque contingit: eoque magis, ſi ſunt ad rem militarem apti, & cupidi bellorum gerendorum. Vere autem ſi volumus judicare, multæ res extiterunt urbanæ majores clarioreſque, quam bellicæ.* Tum multos in rebus civilibus fortes viros comparat cum ſummis, & clariſſimis imperatori-

ribus, putatque apud filium, ad quem ſcribit de officiis, ſibi licere nonnihil dicere de ſe: itaque pergit (*cit. loc.*) *illud autem optimum eſt, in quo invadi ſolere ab improbis, & invidis me audio:*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

Vt enim alios omittam, nobis rempublicam gubernantibus, nonne togæ arma ceſſere? Neque enim in republica periculum fuit gravius unquam, nec majus odium. Itaque conſiliis, diligentiaque noſtra celeriter de manibus audaciſſimorum civium delapſa arma ipſa ceciderunt. Quæ res igitur geſta eſt unquam in bello tanta? quis triumphus conferendus?

VII. Profecto in republica adminiſtranda, in regenda communitate, in gerendo magiſtratu, in parte aliqua obeunda publici officii, magno & forti animo opus eſt. Nam cum multi fere ſint improbi, imprudentes, rerum ignari, ſtudioſi commoditatis & utilitatis ſuæ, communi poſthabita, qui vel id faciant, vel petant, vel pugnent, & enitantur importunis precibus, dolo, gratia, auctoritate, minis etiam & vi, ut extorqueant, quod turpe eſt, quod iniquum, quod non decet; horum aut temeritati, aut imprudentiæ, aut malitiæ repugnandum ita eſt, ut in murum quemdam quaſi aheneum incidiſſe videantur; nec quicquam dandum omnino eſt gratiæ, auctoritati cujuſpiam, amicitiæ, cupiditati; quod fortis animi proprium eſt. Tot enim interdum, ac tam graves eam ob cauſam impendent procellæ, tam ſævi exiſtunt turbines, ut contra omnes adverſæ fortunæ caſus ſit animus ab eo muniendus, qui nolit ab æquitate diſcedere, &, quo fungi debet, deeſſe muneri; at præſertim ſi propulſet injuriam ab innocente adverſus eum, qui valet opibus, & potentia; quod ſimiliter fortem virum, ac bonum decet, maximeque præfectum communitati.

VIII. Nec vero fortitudinis officia, quæ in arduis ſuſcipiendis poſita eſt, excludit conditio hominum privatorum, quippequi ſive in familia, ſive in civili ſocietate verſantur, vel agunt quicquam, vel contrahunt cum aliis, ſæpe obſiſtant neceſſe eſt ſermoni, conſiliis, voluntati improborum, & nonnunquam pericula ſubeant vitæ, famæ, & for-

conatum, & ardua quædam ſuſcipiant ac moliantur honeſtatis tuendæ cauſa.

IX. Deinde quiſque fortiter ac ſtrenue dimicare debet contra vim, impetumque inſanientium cupiditatum. Hæc enim chriſtiana eſt fortitudo, maximeque laudabilis, & viro digna continere iracundiam, ardentem avaritiam coercere, ſuperbiam, luxuriam, audaciam, cibi ac potionis aviditatem, immoderatam linguæ diſſolutamque licentiam, corpus laboribus, vigiliis, inedia ita exercere, ut rationis pareat imperio, nullis blandæ atque umbratilis voluptatis, qua nihil eſt magis contrarium fortitudini, illecebris irretiri; nulla vi frangi, ac tandem ſibi imperare. Quoniam fortius eſt, & præclarius ſeipſum vincere, quam hoſtes, ac belluas, ut præclare Lactantius; *animum*, inquit, *vincere* (*lib. I. Divin. Inſtit. cap.* 9.) *iracundiam cohibere fortiſſimi eſt, quæ ille* (Hercules) *nec fecit unquam, nec potuit. Hæc qui faciat, non modo ego eum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico . . . . . Non enim fortior judicandus eſt, qui leonem, quam qui violentiam, & in ſeipſo incluſam feram ſuperat iracundiam; aut qui rapaciſſimas volucres dejicit, quam qui cupiditates avidiſſimas coercet; aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem . . . . . Ex quo fit, ut ille ſolus vir fortis debeat judicari, qui temperans eſt, & moderatus, & juſtus.* Hæc quidem dixi de primo munere fortitudinis.

X. Alterum, cum ſit adverſarum rerum, laborumque perpeſſio, ac malorum, quæ incidunt in vita, potius ad patientiam pertinet, de qua videbimus. Contra hæc quidem vir fortis obdurat animum ſuum, eorumque minuit moleſtiam, vim acerbitatemque fortiter tolerando; & quamquam ſentit adverſos ventos, commotaſque tempeſtates; tamen non magis movetur,

Quam ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes

(*Virgilius 6. Æneid. v.* 471.) quod quidem non niſi in generoſum animum, invictumque non cadit, qualis fuit eorum, qui ſine ullo iracundiæ, aut ultionis ſenſu, ſine lacrymis, ſine triſtitia, immo læti atque alacres omnem cruciatum ferre ma-

maluerunt intolerabili dolore, & lacerari ac diſcerpi, quam fidem prodere, & a ſanctiſſimæ religionis noſtræ inſtituto deficere, μάρτυρες iccirco nuncupati, hoc eſt, teſtes evangelicæ veritatis, quos ut fortiſſimos ἥρωας jure ſuſpicimus, & veneramur; eoque magis, quod tanta, ac tam incredibilis fortitudo non extitit tantum virorum, ſed & ſenum, & juvenum, & adoleſcentum, atque adeo puerorum, & feminarum. Quandoquidem nulla fuit ætas in chriſtiana republica, nulla vitæ conditio, quæ hoc laudis genere careret; quamquam ea eſſet ſuppliciorum acerbitas, quæ pectoris robur vel æneum frangere poſſe videretur. *Spectatæ ſunt, ſpectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inuſitata tormenta excogitata ſunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cum immanium beſtiarum ultra ipſam mortem carnificina ſæviserit. Has tamen execrabiles corporum lacerationes felix atque invicta patientia ſine ullo gemitu pertulit* (*Lactantius Divin. Inſt. lib.6. cap.*17.) Quid quod multi, carnifices ac tyrannos laceſſerent ad ſæviendum, & tormenta ac necem non ſuſtinerent ſolum toleranter & læto animo, ſed quærerent quaſi eximium munus divinitus oblatum, exoptarentque vehementius? Quamobrem omne fortitudinis genus complexi ſunt, & illud, quod in maximis periculis ſuſcipiendis cernitur, & quod in duris rebus ac graviſſimis perferendis.

XI. Hoc autem loco incidit quæſtio, cum duo ſint munera fortitudinis, utrum eorum alteri præſtet, eane aggredi, quæ ardua ac dura ſunt, an ſuſtinere? Quamquam vero illud primum ſpecioſiorem quamdam fortitudinis formam habere videatur; tamen alteram eminere cenſent ſapientes (*vide S. Thomam* 2. 2. *q.* 123. *art.* 6.) Qui enim ſuſtinet, oportet incurſionem & impetum ferat ejus, qui fortior ſit, & repelli non poſſit: qui vero adoritur, habet eum, quocum congredi velit, ut viribus inferiorem. Eſt autem præſtantius cum eo pugnare, qui fortior eſt, quam qui debilior. Deinde malo, quod toleratur, cum præſens ſit, vehementius animus permovetur, quam futuro, qualia ſunt pericula, quæ adeuntur. Tandem ſuſtinere plerumque diuturnum eſt; cum periculorum ſuſceptio una, eademque ſæpe ſubita actione contineatur. Porro fortius eſt firmum ſe, atque immobi-

lem

lem præſtare diutius in rebus arduis, quam ad eas aggredi: Icirco multi ſunt, qui periculo ſe objiciunt; at, eo cominus impendente, turpi fuga elabuntur. Hæc eſt etiam ab Ariſtotele probata ſententia: ſcribit enim [*lib.* 3. *Ethic. cap.* 9.] *fortes ex eo, ut dixi, nominantur; quod ea, quæ acerba ſunt & videntur, forti magnoque animo perferant.*

XII. Is vero præſertim fortem animum gerit, cui fortitudinis officia exequi facile, & jucundum eſt. Hoc enim argumentum eſt perfectæ, abſolutæque virtutis inhærentis penitus, atque infixæ inſtar naturæ, ut ſupra dixi (*lib.* 3. *part.* 1. *cap.* 6.) iccircoque immobilis, & confirmatæ, quæ apparet maxime in repentino, atque inopinato caſu, in quo valet natura, non ratio & conſilium. Neque enim datur ſpatium ad colligendas vires, ac deliberandum; quod non mediocri adjumento ſolet eſſe ad tolerantiam rerum humanarum, contemptionemque adverſæ acerbæque fortunæ (*vide S. Thomam* 2. 2. *q.* 123. *art.* 9.)

XIII. Verum hoc fortitudinis quaſi faſtigium attingere, arduum eſt. Nam ejus virtutis officia ſenſibus, ac naturæ maxime dura, & moleſta ſunt, quale eſt vita periclitari, cruciatus mortemque ferre; quamquam jucunda ſunt, ſi finem ſpectes, hoc eſt, honeſtatem. Triſtitia tamen, quæ ineſt in facto, acerbitas ac moleſtia vincit jucunditatem, & impedit, quominus mens fortis ac generoſa ex actione ſua voluptatem capiat, niſi fragrans quædam, & incenſa charitas in Deum, & ſpes futuræ mercedis vim doloris retundat, molliatque, aut id abſtergat, quod ſenſibus triſte eſt, animo quaſi avocato abſtractoque a corpore, ac ſublato ad cæleſtia & divina, ex quibus ea, quæ naſcitur, mirifica delectatio, pœnæ obruat acerbitatem (*vid. S. Thomam* 2. 2. *q.* 123. *art.* 9.) Semper vero id efficit fortitudo, ut ratio ſtet immobilis, nec laborum doloriſque magnitudini ſuccumbat, ac tempeſtatis æſtu abſorbeatur, & cum cæteris, tum etiam vitæ præferat honeſtatem. Hæc fere explicat Ariſtoteles (*lib.* 3. *Ethic. cap.* 9.) *itaque moleſta*, inquit, *res eſt fortitudo, eaque jure laudatur. Difficilius eſt enim res periculorum, moleſtiæque plenas ferre, quam ſe ab iis, quæ voluptatem afferunt, abſtinere. Sed tamen fortitudinis finis jucundus eſt, etſi propter eas res, quæ circumfuſæ ſunt, minus ap-*

pa-

Digitized by Google

pareat. Ut in iis ludis, qui gymnici appellantur, contingit: Nam pugilibus, quem ſibi quiſque propoſuit, finis dulcis, jucunduſque eſt, ut corona, ut honores: at plagæ, & vulnera, quoniam ipſi ex carne conſtant, omniſque labor durus eſt, ac moleſtus . . . . . . Similiter in fortitudine mors, & vulnera aſpera, & odioſa forti viro, velit, nolit, futura ſunt. Attamen ea omnia forti, magnoque animo ſubit, quia pulchrum eſt, aut certe quia non ſubire turpe ſit. Itaque moleſtia, & dolor ineſt in facto; ſed in magnitudine animi, ac fine jucunditas, & delectatio.

XIV. Quanto autem fortitudinis officia duriora ſunt, quanto labores habent, moleſtiaſque graviores, tanto eſt ea alacriter obire laudabilius. Tunc enim ita eminet mens humana, ut omnium quaſi oblivisci, nullamque earum rerum, quæ finem ſunt habituræ, & ne vitæ quidem rationem ullam habere videatur, quibus honeſtatem, & reipublicæ ſalutem, utilitatemque anteponit, æque adverſos caſus, ac proſperos tolerando. Eſt enim viri fortis neque ſecundis rebus efferri, neque frangi debilitarive contrariis.

CAPUT III.

Quæ ſint Vitia Fortitudini repugnantia.

I. FOrtitudini duo eſſe convenit inter philoſophos vitia contraria, metum, & audaciam, quorum ille parum eſt, hæc nimium. Metus quidem, ut definit Tullius (*Tuſcul. qq. lib. 4.*) *eſt opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur*. Nam quod leve eſt, id ſapiens quiſque contemnit. Cum vero mors, vitæque extinctio ducatur in malis omnium graviſſimis; iccirco fortitudini, quæ virtus quædam præcellens eſt, repugnat maxime mortis metus, ſed & aliarum etiam calamitatum, ut carceris, ut exilii, ut ſervitutis, ut morborum, ut egeſtatis. Qui enim hæc timet, cum non oportet, hoc eſt, cum præſtantioris boni ratio ſecus poſtulat, ut ſalus reipublicæ, & animorum, ineptus ille eſt ad præclara gerenda, & ad dura toleranda, quod fortitudinis proprium

prium eſt. Ex quo gravia incommoda conſequuntur, triſtitia, tarditas cum in agendo, tum in cogitando, & is ſtupor, quo animi robur omne concidiſſe videatur; præterea patriæ, reipublicæ, amicorumque derelictio. Tollit enim metus memoriam, artem, induſtriam, atque inimicus eſt tranquillitatis & pacis, quæ certe cum metu conſiſtere nullo modo poteſt.

II. Oportet igitur turpem hanc affectionem, quæ humilis, abjecti, & puſilli animi eſt, cohibere, ac repellere, erigereque ſeſe, ut monet ille (*apud Virgilium Æneid. 6. v. 95.*)

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito.

Eſt enim non modo fortunis, ſed etiam vitæ honeſtas anteferenda a bono viro; idque cum præclarum eſt, tum utile. Sed quænam optima poteſt eſſe abjiciendi timoris ratio? hæc ſcilicet, quam tradit Lactantius (*Divin. Inſtit. lib. 6. cap. 17.*) Deum, ſine quo nihil nobis accidere poteſt aut adverſi, aut proſperi, a quo munerantur cumulatiſſime benefacta, & contra malefacta puniuntur, Deum, inquam, timere unum. Nam qui *Deum metuit, illa*, inquit, *univerſa non metuit;* hoc eſt, neque dolorem, neque egeſtatem, neque exilium, neque carcerem, neque mortem; eorumque affert exemplum, qui, ne quid detrimenti caperet chriſtiana reſpublica, ſtrenue occumbere maluerunt.

III. Hoc autem loco illud tenendum eſt, non fortis animi eſſe, ſed ignavi, ac timidi, & deſperantis mortem ſibi ultro conſciſcere fugiendorum malorum & incommodorum cauſa, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib. 3. Ethic. cap. 7.*) *Mortem autem ſibi ipſe conſciſcere*, inquit, *fugientem vel inopiam, vel amorem, vel moleſtiam, fortis animi magnique non eſt, ſed anguſti potius, & timidi. Nam quæ lab rem, ſollicitudinemque deſiderant, ea fugere, ne malum habeas, mollis animi eſt, atque effeminati.* Nec vero licet unquam e vita egredi, injuſſu Dei, voluntaria morte ſuſcepta. Eſt enim vehementer contrarium rationi, vitam, cujus uſura tantum a Deo homini data eſt, ante conſtitutam diem pro libito velle profundere.

IV.

Digitized by Google

IV. Quapropter maxime vituperandi ſunt Stoici, quibus licere viſum eſt, immo laudabile eſſe, morte ultro obita, eripere ſe e vitæ calamitatibus, acerbis doloribus, ac moleſtiis, exilio, carcere, ſervitute, aut incommodis ſenectutis (*vid. Senecam Epiſt.* 58. *& Epiſt.* 70. *& lib.* 3. *de Ira cap.* 15. *& Diog. Laertium in Zenone lib.* 7. *cap.* 1.) præſertim cum multi ſibi aditum aperire arbitrarentur ad immortalitatem, ac vitam beatam, de quibus ſic Lactantius [*lib* 3. *Divin. Inſtit. cap.* 18.] *multi ergo ex iis, quia æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tamquam in Cælum migraturi eſſent, ſibi ipſis manus intulerunt, ut Cleanthes, ut Chryſippus, ut Zenon, ut Empedocles, qui ſe in ardentis Ætnæ ſpecum intempeſta nocte dejecit, ut cum repente non apparuiſſet, abiiſſe ad Deos crederetur; & ex Romanis Cato, qui fuit in omni ſua vita Socraticæ vanitatis imitator.* Quin illi quidem nefarie fecerint, non eſt dubitandum, quemadmodum & Democritus, & Peregrinus philoſophus Cynicus, & Lucretia, & Brutus, & Antonius, & Damocles, & Cleopatra, & Cornelius Gallus, & Silius Italicus, & M. Porrius Latro, & Timanthes Cleonæus, aliique. *Nam ſi homicida nefarius eſt*, pergit Lactantius dicere (*cit. loc.*) *qui hominis extinctor eſt, eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Immo vero majus eſſe id facinus exiſtimandum eſt, cujus ultio Deo ſoli ſubjacet. Nam ſicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus: ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, ejuſdem juſſu nobis recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti; & ſi vis aliqua inferatur, æqua mente id ferendum eſt; cum extincta innocentis anima inulta eſſe non poſſit, habeamuſque vindicem magnum, cui ſoli vindicta integra ſemper eſt.* De hac quæſtione (*Vid. Aguir de Virt. & Vitiis diſput.* 5. *quæſt.* 2.) Prætereo maximam quamdam injuriam Deo fieri, voluntaria morte ſuſcepta, etiam eam ob cauſam, quod ſi punire rebus adverſis hominem aut velit, aut ſinat, is quaſi manum ferulæ ſubducat diſcedendo e vita, non pareat Dei voluntati pacate ac fortiter tolerando.

V. Quæ quidem cum omnino explorata ſint, mirum eſt ea in re olim erraſſe tam multos, qui ſapientes haberentur, non modo Stoicos, ſed & ipſum Platonem in dialogo de

le-

legibus nono, quippequi putat, non ſcelerate facere inferentem ſibi manus triſti quodam fortunæ caſu, a quo declinare non liceat ullo modo, aut extremo pudore compulſum. *Sed quid de illo judicandum*, inquit, *qui proximum, atque amiciſſimum cæde perdiderit? qui, dico, ſeipſum vita, & forte fatorum vi ſcelerata privaverit, non judicio civitatis, nec triſti & inevitabili fortunæ caſu coactus, neque pudore aliquo extremo compulſus; ſed ignavia, & formidoloſi animi imbecillitate ſibi mortem conſciverit? &c.* Quamquam ſecus exiſtimaſſe alio in loco videatur (*in Phædone*) *Profecto*, inquit, *ſermo ille, qui de his arcanis habetur, in quadam cuſtodia eſſe homines, neque decere quemquam ex hac ſeipſum ſolvere, neque aufugere; magnus quidem mihi videtur, neque cognitu facilis. Verumtamen id mihi, o Cebes, recte apparet dictum, Deos quidem curam habere noſtri; nos vero homines unam quamdam ex poſſeſſionibus eſſe Deorum . . . . . . Nonne igitur & tu, ſi quod ex mancipiis tuis ſeipſum perimeret, cum tu nullo modo id permiſiſſes, iraſcereris utique illi? & ſi poteſtatem haberes, pœna quadam afficeres?* Huc adde & Plinium (*lib.2. cap.63.*) & ipſum Tullium (*lib.3. de Fin.*) cujus hæc eſt diſputatio: *cum ab his* (quæ ſecundum naturam ſunt) *omnia proficiſcantur officia, non ſine cauſa dicitur, ad ea referri omnes noſtras cogitationes: in his & exceſſum e vita, & in vita manſionem. In quo enim plura ſunt, quæ ſecundum naturam ſunt, hujus officium eſt in vita manere: in quo autem aut ſunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium eſt e vita excedere. Ex quo apparet, & ſapientis eſſe aliquando officium excedere e vita, cum beatus ſit; & ſtulti manere in vita, cum ſit miſer.* Hæc ſane a veritate abſunt longiſſime; cum officium poſtulet, ut in præſidio, ac ſtatione vitæ eatenus maneamus, quoad imperator juſſerit, ut monet Pythagoras (*apud Tullium de Senectute*) Hæc de celebri controverſia ſatis. Cæterum de metu alias.

VI. Audacia eſt inconſiderata periculorum ſuſceptio, & gladiatoria quædam laborum perpeſſio. Profecto adire pericula, cum ratio poſtulat, fortis eſt; id vero facere inconſiderate, & ſine ratione, audacis & temerarii. *Nunquam omnino*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *periculi fuga committendum eſt, ut imbelles, timidique videamur. Sed fugiendum etiam illud,*

lud, ne offeramus nos periculis ſine cauſa, quo nihil poteſt eſſe ſtultius. Quam in rem affert quoddam ſimile [*cit. loc.*] *in tranquillo*, ait, *tempeſtatem adverſam optare dementis eſt; ſubvenire autem tempeſtati quavis ratione ſapientis*. Ita, non flagitante neceſſitate, velle vita periclitari, quæ cuique debet eſſe cariſſima, cum bonum ſit maximum omnium in terris, imprudentia eſt ſingularis, immo flagitium; at in periculis, ſi qua incidant, aut adeunda ſint honeſti cauſa, forti animo eſſe, vehementer laudabile eſt. Atque eodem modo imprudentis eſt inconſulto coniicere ſeſe in diſcrimen dignitatis, & fortunarum. Hæc enim prodigere, cum non oportet, turpe eſt, indignumque ſapiente.

VII. Fit autem, ut quod in cauſa aliqua temerarium eſt, non ſemper ſit propter mutationem rerum, ac temporum. Graviora enim pericula adeunda ſunt, quo gravius eſt id, propter quod adeuntur: quod iccirco attentius conſiderandum eſt, quale ſit. Nam ſalus reipublicæ & fortunis, & gloriæ, & vitæ anteponenda eſt, quibus velle periclitari ob eam cauſam, non temerarii, confidentiſque animi eſt, ſed generoſi, atque magni. Quapropter rurſus Tullius (*lib. 1. Offic.*) *periculoſæ autem rerum actiones*, inquit, *partim iis ſunt, qui eas ſuſcipiunt, partim reipublicæ. Itemque alii de vita, alii de gloria, & benevolentia civium in diſcrimen vocantur. Promptiores igitur debemus eſſe ad noſtra pericula, quam ad communia* [hoc eſt, omne potius diſcrimen pati, quam ſinere aliquo periculo laborare rempublicam] *dimicareque paratius de honore, & gloria, quam de cæteris commodis*.

VIII. Is itaque obſervandus eſt ordo, ut in periculis ſuſcipiendis primum propoſitam nobis habeamus utilitatem reipublicæ, tum vitam noſtram, mox veram, ſolidamque famam, poſtremo bona fortunæ, quæ tamen contemnere ſæpe honeſtum eſt; cavendumque, ne levis emolumenti cauſa magnis nos periculis obiiciamus; *conſuetudo*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *imitanda medicorum eſt, qui leviter ægrotantes leviter curant: gravioribus autem morbis periculoſas, & ancipites adhibere coguntur*. At ſunt, qui bene conſtitutum ordinem a natura pervertunt non ſine temeritatis nota. *Inventi autem multi ſunt*, ait Tullius [*cit. loc.*] *qui non modo pecuniam, ſed vitam etiam profundere pro patria parati eſſent,*

iidem

iidem gloriæ jacturam ne minimam quidem facere vellent, ne republica quidem poſtulante, ut Callicratides, qui, cum Lacedæmoniorum dux fuiſſet Peloponneſiaco bello, multaque feciſſet egregie, vertit ad extremum omnia, cum conſilio non paruit eorum, qui claſſem ab Arginuſis removendam, nec cum Athenienſibus dimicandum putabant. Quibus ille reſpondit, Lacedæmonios, claſſe illa amiſſa, aliam parare poſſe; ſe fugere ſine ſuo dedecore non poſſe. (*vide Diodorum Siculum lib.*13.) Quod quidem falſum eſt. Nam fugere interdum, & vitam ſuam, atque alienam tueri decorum eſt, eamque in apertum diſcrimen committere temerarium, iccircoque vituperandum.

IX. Qua in re multo ſæpius peccant ii, qui propter verbum aliquod minus conſideratum, aut geſtum, aut alias hujus generis inanitates veniunt ad rixas, ad contentiones, ad pugnas. Nam modice vel levem injuriam ferre formidoloſi hominis putant eſſe, nec ſuſtinentis gradum dignitatis ſuæ: quibus id accidit aliquando, aut ſæpe, quod canibus ſolet, qui cum temere ſæviant latratu & dentibus, demiſſo, fractoque capite diſcedunt e pugna, mutantque audaciam in gemitum & querimoniam. Neque conſultum eſt lacertis fidere. Nam, ut ait Poeta (*apud Caſum Moral. Quæſt. lib.*3. *cap.*7.)

> *Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum.*
> *A cane non magno ſæpe tenetur aper.*

Præſertim cum exploratum non ſit, quanta animi magnitudo, aut ſagacitas, & ſolertia ſit in eo, quocum certamen ſuſceptum eſt. Quoniam uſuvenit, ut quo major in homine affluentia eſt minacium verborum, virtutiſque jactatio; eo minor ſit vis animi, & ratio debilior. Itaque qui ante periculum & calere, & furere, & geſtire videatur, ac velle montes rupeſque findere, in ipſo periculo hæret, & concidit: quod & proprium audacis eſſe ſcribit Ariſtoteles (*lib.* 3. *Ethic. cap.*7.) *atque audaces quidem*, inquit, *temeritate provecti ante cupiunt adire pericula, quam inſtent: cum adſunt, ea defugiunt:* τράσωνες hi quidem dicuntur a Græcis, a Latinis milites glorioſi, qui ſi quem videant pavere, tum ita incenduntur, ut devorare eum velle videantur: ſi vero

in durum quemdam incidant, ac generoſum, frigent, animi tumore æſtuque ſedato atque compreſſo inſtar feminarum, quæ paventi homini minantur verbis ac pugnis, obſiſtentem fugiunt. Drancem loquacem hominem, & ignavum ſic obiurgat Turnus [*apud Virgilium Æneid.*11. *v.*378.]

Larga quidem ſemper, Drance, tibi copia fandi,
Tum cum bella manus poſcunt, patribuſque vocatis,
Primus ades: ſed non replenda eſt curia verbis,
Quæ tuto tibi magna volant, dum diſtinet hoſtem
Agger murorum, nec inundant ſanguine foſſæ.
Proinde tona eloquio, ſolitum tibi . . . . .

Et paullo poſt (*ib. v.*389.)

Imus in adverſos: quid ceſſas? an tibi Mavors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit? . . . .

Contra qui vere fortis eſt, non oſtentat verbis animi magnitudinem, ſed præclare factis, timetque multa, cum incertos rerum eventus ſciat eſſe. Verum eſt illud P. Mimi (*apud Muretum v.*47.)

Animus vereri qui ſcit, ſcit tuto aggredi.

Audaci quidem, & temerario nonnunquam obſecundat fortuna; ex quo extat illud [*apud Virgilium Æneid.*10. *v.*284.]

Audentes fortuna juvat;

ſed raro, & caſu. Atqui imprudentis eſt id moliri, quod ſemel bene cadat fortuito; fere autem male, ſi res eo, quo ſolet, ordine, modoque proceſſerit. Audere ſiquidem ſit, impigrum eſſe te ad opportunitatem arripiendam idoneorum temporum, ſane bonum eſt; in quam ſententiam ait Menander (*apud Stobæum Serm.*51.)

Nul-

Nullum eſt vitæ majus, quam audacia, viaticum.

Et ruſus (*ibid.*)

Nulla præſtantior Dea eſt, quam audacia.

Verum ſi, quod geris, id temerarium eſt, in vitio ponitur, & reprehenſione nunquam caret, etiamſi felix exitus conſequatur; qui ſane qualis ſit non conſiderant ſapientes, ſed quale in facinore ſuſcipiendo conſilium, non ut vulgus, qui conſilium metiri ex eventu ſolet, audacemque hominem præſertim fortunatum habere, ut fortem.

X. Non modo in periculis, de quibus hactenus dixi, cernitur audacia, ſed etiam in laboribus, doloribuſque tolerandis inſtar gladiatorum, non honeſti cauſa, ſed duritate naturæ, quæ ſenſus expers omnino videatur. Talem fuiſſe ſcribit A. Gellius ferum quemdam in ludo Cæſaris gladiatorem, qui, cum vulnera ejus a medicis ſecarentur, ridere ſolitus erat. *Fortitudo autem non ea eſt, quæ contra naturam monſtri vice nititur, ultraque modum ejus egreditur aut ſtupore animi, aut immanitate, aut quadam miſera, & neceſſaria in perpetiendis doloribus exercitatione.* (*Noct. Atticar. lib. 12. cap. 5.*) Hæc quidem immanitas, & ſtupor animi eſt, non fortitudo.

XI. Itaque fugienda audacia eſt: quoniam cum turpis eſt, tum pernicioſa. Turpis quidem. Nam vel ab ignorantia naſcitur, vel ab imprudentia, vel ab ingenii feritate. Alii enim ita hebetes, tardique ſunt, ut nullum ſibi impendere periculum arbitrentur. Quo fit, ut ardua aggrediantur impetu quodam, ut bruta, nec animadvertant, quid poſſint. Alii etſi non carent ingenio; tamen inconſulto, ac non cogitato ſe periculis offerunt. Alii tandem ignea, atque immani natura rapiuntur in adverſarium. Multos etiam aut inanis gloriæ, aut principatus, aut pecuniarum libido impulit ad temeritatem, cui idcirco ſæpe avaritia adjuncta eſt, ac ſuperbia, quæ apparet in dictis, in geſtu, in inceſſu, in oculis, in ſupercilio.

XII.

XII. Similiter exitialis ſolet eſſe audacia cum ei, in quo ineſt, tum aliis: præſertim vero ſi imperatores, ſi duces, ſi principes viros incenderit; quippequi in maximam calamitatem ſecum trahunt aliquando non familiam modo, ſed & exercitus, & civitates, & regna, univerſamque rempublicam labefactant & perdunt; &, cum ſe fortes haberi velint, labem afferunt dignitati ſuæ, ut accidit Cleombrato, qui cum *invidiam timens*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *temere cum Epaminonda conflixiſſet, Lacedæmoniorum opes corruerunt. Quanto P. Fabius Maximus melius? de quo Ennius:*

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo poſtque, magiſque viri nunc gloria claret.

Timendum eſt, cum oportet, etiam forti viro, maxime cum non de propria tantum, verum & de communi ſalute decernitur. Bene P. Mimus (*apud Muretum v.122.*)

Citius venit periculum, cum contemnitur.

Quamobrem qui ſapiunt, ii circumſpiciunt omnia, & ſibi cavent, & cæteris, ac præſertim communitati.

CA-

CAPUT IV.

Quæ ſint Virtutes comites Fortitudinis.

I. TUllius (*lib.*2. *de Invent.*) quatuor ſcribit fortitudinis eſſe partes, magnificentiam, fidentiam, patientiam, perſeverantiam. Illi aſſentitur cum Thomas Aquinas (2. 2. *q.* 128. *art. unic.*) tum fere ejus aſſeclæ. Nobis viſum eſt magnificentiam cum liberalitate copulare, & ad juſtitiam referre. At Macrobius (*lib.* 1. *in Somnium Scipionis cap.*8.) ſeptem ſtatuit eſſe virtutes adiunctas fortitudini, magnanimitatem, fiduciam, ſecuritatem, magnificentiam, conſtantiam, tolerantiam, firmitatem. Undecim vero enumeratæ ſunt a Pontano (*lib.*1. *de Fortitud.*) ab eoque dictæ tolerantia, patientia, firmitas, animi magnitudo, fidentia, confirmatio, generoſitas, cautio, animi compoſitio, conſtantia, contentio; atque ab aliis aliæ deſcriptæ ſunt.

II. Equidem ſex arbitror adſciſcendas fortitudinis quaſi comites, & adminiſtras, fidentiam, magnanimitatem, conſtantiam, patientiam, perſeverantiam, ſecuritatem, ad quas aliæ, ſi quæ ſint, revocari poſſint. Earum quædam ad ſuſcipiendum id, quod arduum ſit, pertinent; quædam ad tolerandum; quæ duo eſſe munera fortitudinis, ſupra dixi. Si tamen velis, eas eſſe potius fortitudinis modos, quam virtutes a fortitudine diſcrepantes, nihil repugno. Videtur enim eadem fortitudo hæc omnia præſtare, quæ reliquis virtutibus tribuuntur; cum hominem faciat, in quo ineſt, fidentem, magnanimum, conſtantem, tolerantem malorum, in ſuſcepto conſilio perſeverantem, atque ſecurum. Ut ut eſt, ad mores rite formandos [quod quidem nobis propoſitum eſt, non in quæſtionum ſubtilitate verſari] expedit eas virtutes diſtinguere, & de ſingulis pauca diſputare.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Fidentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Fidentiæ contraria.

I. F*Identia*, ut definitur a Tullio (*lib.2. de Invent.*) *eſt per quam magnis & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocavit*. Quo in loco tribui videtur vis aliqua fidentiæ major, quam fiduciæ, itemque fiduciæ, quam ſpei; etſi cum parum hæc tria inter ſe differant, ac tantum gradu, non valde eſt de nomine laborandum. Nos itaque quam vocem uſurpemus ex tribus, quas dixi, nihil refert.

II. Porro fidentia primum verſetur neceſſe eſt in magnis rebus, præclaris, & arduis. Non enim, quæ levia & exigua ſunt, ea ſperamus, quæque facilia ad potiundum. Quoniam minuta contemnimus, videmurque id quaſi poſſidere, quod facile parari poteſt. Spes animum erigit ad ſublimia, & dux eſt ad egregia cum ſuſcipienda, tum perficienda facinora, fortitudinis, conſtantiæ, ac patientiæ comes, atque ea removet quæ impediunt, ac torporem qui ex dubio rerum eventu naſci ſolet, acerbiores curas, triſtitiamque depellit: & dum conflictamur calamitatibus, nos vehementer ſolatur expectatione futuri boni, confirmatque ad mala ferenda toleranter, & ad quiete, quoad fieri poteſt, pacateque vivendum; nec ſinit frangi nos fluctibus tempeſtatum, adverſoque fortunæ flatu a ſuſcepto propoſito revocari & abduci: & cum fere plura ſint in terris mala ac magis diuturna, quam bona, ea virtus nobis divinitus tributa eſt, ut quamdam tueamur vel in maximis ærumnis alacritatem, neque abſorbeamur deſperatione meliorum. Inconſtans enim cum ſit rerum humanarum conditio, quemadmodum quod proſpere cadit, ita quod ſecus improviſo præter opinionem mutatur ac vertitur; & ſi impigra quædam induſtria, ac labor acceſſerit, animique contentio, ſæpe fit, ut compotes ſimus ejus boni, quod quærimus.

III.

Digitized by Google

III. Sapiens tamen ita ſpem moderatur ſuam, ut fauſta expectet quidem, nihilque prætermittat diligentiæ & curæ, quod ad propoſitum finem conferre videatur; at ſemper intelligat, evenire poſſe contraria, & ſe ad omnem rationem paret, neque committat, ut quicquam accidat minime prævíſum & cogitatum, ac tandem, quoſcumque res exitus habeat, in Dei voluntate conquieſcat, ſecum reputans, id optimum fore, quod ſit a ſapientiſſimo Deo, noſtrique amantiſſimo conſtitutum. Quod quidem maxime valet in iis, quæ etiamſi poſſunt virtutibus inſervire; tamen plerumque ſunt irritamenta vitiorum; ut cum ſpe ducimur honoris, & gloriæ, & magiſtratus, & opum, & divitiarum, in quibus multum ineſt non periculi modo, ſed etiam moleſtiarum; propter quas fugienda potius hæc, aliaque generis ejuſdem, quam appetenda videantur. Quamobrem etſi vulgo habentur ampliſſima; tamen fere non ducuntur in magnis a ſapientibus; cum potius excelſi, erectique animi ſit divitiarum, honorumque contemptio. Verum id quidem excellens & magnum eſt egentibus ſubvenire; patriæ, & reipublicæ, & periclitantium animorum ſaluti conſulere; in eorum procuratione, quæ ad artes, ad diſciplinas, ad Dei cultum & religionem pertinent, ſtudium & operam collocare; ad quæ ſane ſpes quædam eximia & acri incitatione, & firmo præſidio eſt.

IV. Deinde fidentia, cum virtus ſit, cernatur neceſſe eſt honeſtis in rebus. Nam quæ impellit in malefacta, & affert vel animo, vel privatis, vel reipublicæ detrimentum, in vitio ponitur: *ſpes mala, ſicut malus vitæ dux ad peccata ducit* (*Socrates in Formartis Ariſtonymi apud Stobeum Serm.* 111. *tom.* 2.) Itaque cohibenda ſpes eſt, quæ naſcitur a cupiditate, & rapit in noxia. Nam præterquamquod vix e ſententia ſuccedunt iniqua conſilia, ac divina voluntate evaneſcunt; eum, qui talia molitur, facti olim pœniteat, oportet: quoniam peccare impune non licet. Contingit etiam, ut res propriæ evertantur ſpe, quam pravæ affectiones ac libidines excitarint. Quo fato, & quam miſero occiderit C. Cæſar propter nimium ſtudium, atque inſolens principatus, cuique compertum eſt; aliique quammulti ſpe inani decepti perierunt.

V. Debet itaque ſpes ſequi rationem ducem, habereque, ut finem, propoſitam honeſtatem. Tum vero confirmandus animus eſt adverſus erumpentes difficultates, quæ, quo majus negocium eſt, atque præclarius, eo ſolent eſſe graviores, enitendumque, ne ab incepto diſcedamus eatenus, quoad abſolutum ſit id, ac perfectum omnino, quod inſtitutum eſt honeſtatis cauſa; nec verendum, ne nos deſerat Deus, ac ſpes noſtras inanes eſſe patiatur, quas utile ſit & expediat ratas fore: *omnia*, ait Linus poeta (*apud Stobeum Serm.* 111. *tom.* 2.) *Deo factu facilia ſunt*; & Euripides (*ibid. Serm.* 117.) *inſperatum vero exitum Deus invenit*. Iccirco animus, quamquam omnem adhiberi curam oportet in gerendo negocio, nihil tamen fiduciæ debet in ſe, ſuiſque viribus collocare. Infirma enim ſpes eſt, niſi divina ope nitatur, qua ſublata nihil effici poteſt, quod laudabile, quod præclarum, quod decorum ſit.

VI. Hoc ipſum valet etiam in eam ſpem, quæ ad tolerationem pertinet futuræ calamitatis. Sunt enim, qui, cum ſecundis rebus utantur, iis quidem verbis extollunt virtutem, conſtantiam, fortitudinem ſuam, ut prædicent, nihil timere ſe, & invictos, atque immobiles futuros contra vim omnem, impetumque fortunæ, & quidvis potius laturos, quam a ſuſcepto ſemel conſilio diſcedant. Quam hæc ſit inanis, atque inepta jactatio, & quam ex ſeſe infirma natura, tum plane ſentiunt, cum morbo aliquo & ægritudine conflictati, dolori cedunt, & ſuccumbunt calamitati, quam paullo ante contemnerent, & vel levioribus malis debilitantur.

VII. At contra qui ſpe illa pleni ſunt, cujus ſit quaſi fulcimentum Deus, nunquam ſe efferunt inſolenter, modeſtiam tuentur ſingularem in dictis, & factis, & in metu videntur eſſe, ne forte exortis tempeſtatibus abſorbeantur. Verum, jam fluctibus concitatis, æſtuque commoto vehementius, abjiciunt metum, & pacato fidentique animo ſunt. Nam ita roborantur a Deo, ut in ejus præpotenti voluntate, quaſi in portu, tuti conſiſtere videantur. Itaque quod dictum eſt a Tullio, eſſe fidentiam in eo ſitam, ut animus multum fiduciæ collocet in ſeſe, id ita interpretor, ut ſibi confidat quidem, ſed divinitus accedente præſidio ac

tu-

tutela, qua animus ipſe, qui per ſe nihil poteſt, habeat conſtantiam & firmitatem, & ſuſcipiat abſolvatque præclara.

VIII. Hanc ſpem qui tenent, non ſibi tantum, ſed & aliis magnam pariunt utilitatem. Primum enim egregia moliuntur & opportuna reipublicæ, tum operam dant, ut id aſſequantur, quod volunt, nec difficultatibus, ſi quæ occurrant quamquam maximæ, a ſuſcepto opere deterrentur. Fiduciæ, quæ ſit ex hoc genere, plurima referuntur accepta, quibus cum civili ſocietati maximum adjumentum & decus allatum eſt, tum amplificata pietas & religio, & morum honeſtas ornatius expolita, aut reſtituta.

IX. Itaque optandum eſt, ut ad ſpem rerum maximarum animi excitentur eorum exemplo, qui ea inflammati monimenta beneficentiæ, magnanimitatis, ac virtutis ſuæ poſteris reliquerunt. Tum vero in gerendis negociis oportet uti ſagacitate ac prudentia, ita tamen, ut exitus committatur providenti Deo, cujus eſt omnia cum ad gloriam, claritatemque nominis ſui, tum ad noſtram utilitatem ſapienti conſilio moderari.

X. Vitium, quod parum eſt fidentiæ contrarium, dicitur diffidentia a Tullio (*de Invent. lib. 2.*) qua quidem animus demiſſus ac jacens de magnarum, honeſtarumque rerum eventu aut exiguam ſpem habet, aut plane nullam; quamquam ſi nullam habet, deſperatio eſt, quæ ab eodem Tullio ſic definitur (*Tuſcul. qq. lib. 4.*) *ægritudo ſine ulla rerum expectatione meliorum*. Porro naſcitur diffidentia a puſillo animo, qui, objectis impedimentis ac difficultatibus, quas non raro ſibi ipſe fabricatur, cum nullæ, aut leves ſint, aut ejuſmodi, ut virtute & induſtria ſuperari queant, viam non videt, qua poſſit evadere. Qui hoc morbo laborant, non modo nihil unquam ſuſcipiunt ipſi, quod præclarum ſit (nam quæ præclara, eadem fere ardua & impedita) ſed diſſuadendo ne ab aliis quidem ſuſcipi ſinunt, immo interdum obſtant auctoritate & potentia, ſi qua valent, ne quis natus ad altiora erigat ſeſe, atque id gerat, quod poſſit eſſe laudabile.

XI. Eſt autem tam miſeræ ægritudini fere deſperata medicina. Nam quo pacto vis animi augeatur, qua carent?

Digitized by Google

quæ paullo vehementior eſt, adhibita arte, ad mediocritatem revocari poteſt; at quæ languet torpetque natura, excitari atque augeri non poteſt. Hanc etiam ob cauſam fere ſunt illi inſanabiles, quod, quæ ſit animi humilitas & abjectio, eam habent prudentiæ ac providentiæ loco, & cenſent, alios, qui magna moliuntur, quodam naturæ impetu concitari, quem cohibere oporteat, aut uſu atque experientia carere. Equidem his hominibus committerem penſa muliebria, quæ curarent; nihil vero, quod ſit virile. Quoniam, quæ faciunt, aut cogitant, ea contracta ſunt omnia, puſilla, nimium meditata, jejuna, arida, & cum capitis exilitate congruentia. Id vero, quo multi falluntur, eſt exterior ſpecies ac forma, quæ vel ſtatura, vel canitie, aut veſte, reliquoque oris habitu præſefert conſilii maturitatem. Nec vero novum eſt tantillum animum latere poſſe in prægrandi ſtatura, & infantem in provectæ ætatis canitie, & macrum in craſſo corpore.

XII. Nonnunquam diffidentiæ fons eſt laborum fuga. Sunt enim, qui etſi valeant ſolertia & ingenio, atque ad expedienda negocia idonei ſint; malunt tamen in turpi otio tabeſcere expertes incommodorum, quam præclarum quoddam facinus cogitare; quæ profecto inertia eo turpior eſt, ac magis vituperanda, quod non naturæ eſt, ſed voluntatis. Hi quidem ſibi tantum nati videntur eſſe, non amicis, non patriæ, non reipublicæ.

XIII. Ex ſuperbia item naſcitur diffidentia. Nam qui ſibi fidunt, non Deo, ii jure dubii, atque ancipites ſunt de futurarum rerum exitu incerto & fortuito, ac de viribus ſuis, quarum imbecillitatem ſentiant neceſſe eſt. Itaque adverſus hoc vitium, quod improbamus, præſens remedium eſt, in Deo præſidium omne ponere, ejuſque opem precibus efflagitare. Sic enim & inertia, & ſuperbia, & ipſa animi exilitas repelletur, quibus ſublatis, nullus erit diffidentiæ locus. Nam tanto auxilio propoſito, atque expectato, is etiam in ſummam ſpem erigitur, qui diffidere, maximeque torpere videatur. De deſperatione videbimus ſuo loco.

XIV. Alterum vitium, quod fidentiæ repugnat, & nimium eſt, vacat nomine; niſi velis arrogantiam, audaciam, temeritatemve dicere. In hoc genere peccat is, qui nimium vi-

viribus ſuis, fortitudine, virtute fidit, prudentia, ſolertia, nec ſollicitus eſt de ope divina, cæleſtique præſidio, quod ne flagitat quidem: item is, qui expectat ac tentat ea, quæ ſunt ſupra vires, quæque nec poteſt conſequi ullo modo, aut ſaltem nulla fere probabilis ſpes eſt fore, ut conſequatur. Hoc ſane vitium late patet in ambitioſis hominibus, gloriæque percupidis; quippequi immoderato honorum ſtudio ita efferuntur, ut facilem ſibi patere aditum putent ad maximas dignitates, ad præfecturas, ad magiſtratus, quibus inhiantes ſæpe hinc migrant, exhauſtis facultatibus ſuis, valetudine, vitaque conſumpta in irrito plane, inanique conatu & labore. Eorum plures, qui in aula degunt, ac famulantur principibus viris, hac inanitate paſcuntur, & cum ſemper aperto ore fumum hauriant, nullam unquam attingere dapis partem, & guſtare poſſunt. Sunt etiam, qui cuivis muneri quamquam gravi & operoſo confidunt, ſe aptos fore; cum tamen nec prudentia, nec ſcientia, nec ingenio præditi ſint. Nam uſuvenit, ut qui minus poſſunt, ii ſe poſſe præ cæteris arbitrentur; cum neque conſiderent ſatis, neque perſpectas habeant difficultates, quæ occurrunt in ſuſtinendis muneribus cum dignitate. Qua in re cum ſpei levitas cernitur, tum imprudentia.

XV. Solent etiam nimium confidere rebus ſuis, qui inflammantur parandarum divitiarum ſtudio. Nam quamplura interdum ſuſcipiunt gerenda negocia, quæ extricari, atque expediri vix queant, & relictis præſentibus, cum futura nitantur conſequi, quæ difficillima ſint ad potiundum, certis incerta anteponunt: *qui enim*, ait Plutarchus (*de Exſulio*) *non didicerunt, neque norunt rebus præſentibus recte uti, ii ſemper a futuris pendentes, & abſentia deſiderantes ſpe tamquam rate feruntur, atque fluctuant*. Quo fit, ut cum moderato cenſu minus contenti ſint, quo poſſunt honeſte vivere, in paupertatem rediguntur eam ob cauſam, quod inani ſpe ducti velint amplius, affluentiuſque locupletari, nec prudentiam ac rationem ſequantur ducem. Quod & locum habet in quærendis honoribus. Qui enim ea ſperant quæ magna ſunt & ampliſſima, & altius ſeſe efferre ſtudent, quam par eſt, interdum eo dejiciuntur, ubi ſint miſeri. Sua oportet eſſe ſpei adminicula & fulcimenta; hoc eſt,

eſt, ſperandum eſt, & quomodo, & quando, quibuſque in rebus ratio præſcripſerit.

CAPUT VI.

De Magnanimitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Magnanimitati contraria.

I. Quæ ab Ariſtotele ſcripta ſunt de magnanimitate (*lib.*4. *Ethic. cap.*3.) itemque a Pontano duobus libris, quibus eam rem copioſius pertractat, nec non ab aliis, qui Ariſtotelem interpretantur, & nimium religioſe ſequuntur ducem, ea mihi quidem ejuſmodi videntur eſſe, quæ hominem faciant inflatum, ſuperbum, ambitioſum, ſibi, ac virtuti ſuæ præſidentem; non magnanimum. Itaque ſecus, ac illi faciunt, vim naturamque magnitudinis animi, actiones & munera ita velim exponere, ut virtuti conſentanea ſint omnia, nec potius ad vitium deflectere, atque inclinare videantur.

II. Primum igitur, quid animi magnitudo ſit, dicam. Nam rei explicata natura, inde exiſtunt cætera. Eſt autem magnanimitas firma quædam & conſtans affectio, qua promptus & paratus animus eſt ad ea facienda, quæ in unoquoque virtutum genere magna & præclara ſunt. Quamquam enim ſingularum virtutum propria ſint munera, nec una jus occupet, actioneſque ſibi aſſumat ac vindicet cæterarum; tamen quod in omni virtute excellit, id ab animi magnitudine proficiſcitur, cujus eſt in genere fortitudinis magna pericula non modo fortunarum ſuſcipere, ſed etiam vitæ, in genere liberalitatis magnos ſumptus facere, in temperantiæ genere magnas contemnere voluptates, corpuſque magna & gravi animadverſione & afflictione in officio continere: *atque etiam magni*, ait Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.* 3.) *fortiſque animi proprium videatur, quod in quaque virtute magnum, excellenſque ducitur.* Quod ſi virtutes, cum ad ſummum gradum venerint, perfecta obeunt illæ quidem & eximia munera, id a magnanimitate habent

bent quaſi adjutrice; cui iccirco eſt quaſi ſubjecta materia, quod in ſingulis virtutum officiis excelſum eſt, arduum, præcellens, eximium.

III. Ex quo conſequens eſt, jure dictam eſſe animi magnitudinem ſplendidiſſimam, & ornamentum omnium decuſque virtutum, & qui magnanimus vir ſit, eumdem optimum eſſe oportere. Neque enim tantum virtutes omnes habeat, ſed & in unaquaque excellat, neceſſe eſt: *quocirca*, ait Ariſtoteles (*cit. loc.*) *videtur magnitudo animi quaſi ſplendor quidam, & ornamentum eſſe virtutum omnium. Nam & majores eas, ſplendidioreſque facit, & cohærere ſine illis nullo modo poteſt.* Ex quo efficit Ariſtoteles, eam virtutem eſſe rariſſimam; *ob eamque cauſam*, inquit, (*lib. 4. Ethic. cap. 3.*) *vix in quoquam vera animi magnitudo reperitur. Siquidem eſſe ſine ſingulari quadam, & eximia bonitate, nullo pacto poteſt.*

IV. Si hæc ita ſunt, vides, non verſari animi magnitudinem in magnis honoribus appetendis, ut Ariſtoteli viſum eſt, & pleriſque ejus aſſeclis, ſed in magnis factis. *Vera autem*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *& ſapiens animi magnitudo honeſtum illud, quod maxime natura ſequitur, in factis poſitum, non in gloria judicat; principemque ſe eſſe mavult, quam videri.* Quo fit, vera animi magnitudine eos præſertim eſſe præditos, qui moderatoris noſtri Chriſti O. M. conſilia ſequuntur. Id enim ſibi propoſitum habent, quod eſt honeſtiſſimum, & præcellens in omni virtute, nec ad quærendam gloriam animum applicant, ſed ad præclara facinora, quæ ſint laude, atque honore digniſſima. A qua re longiſſime abſunt ii, qui magna quidem gerere videantur, ſed nulla honeſti cura; ut qui cædi, rapinis, depopulandis agris & oppidis per injuriam ac nefas, amplificandæ familiæ, ornandis domibus, immodicis ſumptibus faciendis dant operam, ſed cum alieno incommodo. Quamobrem nec magnanimi ullo modo ſunt judicandi. Nam animi magnitudo eſſe ſine virtute, atque honeſtate non poteſt, ut dixi.

V. Non modo in magnis factis cernitur animi excelſitas & magnitudo, ſed etiam in æquabiliter excipienda cum ſecunda, tum adverſa fortuna. Eſt enim erecti animi, qui nihil magni ducat præter virtutem, in rebus proſperis, &

Digitized by Google

ad voluntatem fluentibus ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque fugere, nec lætitia efferri inſolentius. *Nam*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *ut adverſas res, ſic ſecundas immoderate ferre levitatis eſt*. Magnanimus autem longe abeſt a levitate. Nec vero parum excelſum ac generoſum putandum eſt in potentia, in nobilitate, in gratia, in imperio, in honorum gradu, & copia divitiarum inſolentiam cohibere, atque humaniter, moderateque ſe gerere; cum paucorum ſit magnam aliquam ſuſtinere perſonam.

VI. Similiter animi eſt, qui ſupra res humanas eminere videatur, aſperos caſus ferre toleranter, nec ulla perturbatione concuti, & a mentis tranquillitate diſcedere, nec validiſſima ventorum vi permoveri. *Ea*, ſcribit Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *quæ videntur acerba, quæ multa & varia in hominum vita, fortunaque verſantur, ita ferre, ut nihil a ſtatu naturæ diſcedas, nihil a dignitate ſapientis; hoc robuſti animi eſt, magnæque conſtantiæ*. Itaque magnanimum virum maxime declarat hic, quem dixi, in utraque fortuna ſtatus, idem erectus & celſus. Rurſus Tullius (*ibid.*) *præclaraque eſt æquabilitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eademque frons; ut de Socrate, itemque de C. Lælio accepimus*.

VII. Quo fit, magnanimi viri eſſe rerum humanarum deſpicientiam. Neque enim non frangi adverſis, aut non efferri ſecundis rebus poteſt is, qui bona fortunæ avidius appetat, magnique faciat. Itaque ſentit Cicero, fortem animum & magnum duabus rebus cerni potiſſimum, quarum altera ſit res gerere magnas illas quidem, & maxime utiles, ſed vehementer arduas, plenaſque laborum & periculorum; qua de re dixi primo loco; alteram vero in rerum externarum deſpicientia eſſe poſitam; *cum perſuaſum ſit*, inquit, (*lib.* 1. *Offic.*) *nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere*. Tum addit, harum rerum duarum ſplendorem omnem & amplitudinem in priore; cauſam vero & rationem efficientem magnos viros eſſe in poſteriore. Qui enim contemnit humana, is quidem præſtantem animum gerit, aditque pericula, & præclare factis, & virtutum tantum muneribus delectatur. Quocirca, ut Tullius pergit ſcribere (*cit. loc.*) *ea, quæ eximia pleriſque, & præclara videntur, parva ducere,* ea-

Digitized by Google

eaque ratione ſtabili firmaque contemnere, fortis animi magnique ducendum eſt.

VIII. Atque illud rurſus hinc efficitur, mentis perturbatione vacare magnanimum; quippe idem ſit in bonis rebus ac malis, ſpernatque ea, quorum vel jactura, vel adeptione humanæ affectiones variantur, & inter ſe diſſident: *vacandum autem eſt omni animi perturbatione*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *tum cupiditate & metu, tum etiam ægritudine, & voluptate animi, & iracundia, ut tranquillitas adſit & ſecuritas, quæ afferat tum conſtantiam, tum etiam dignitatem*. Nec vero volumus, ut Stoici, affectiones ita a magnanimo abeſſe, ut nullæ ſint, quod nec utile eſt, nec fieri poteſt; ſed ratione, & conſilio gubernandas. Hoc autem facilius conſequetur is, qui provideat, quid eſſe poſſit in poſterum. Præclare Tullius (*cit. loc.*) *fortis vero animi*, inquit [confundit enim Cicero magnanimitatem cum fortitudine ex ſententia Stoicorum] *& conſtantis eſt non perturbari in rebus aſperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur, ſed præſentis animi uti conſilio, nec a ratione diſcedere. Quamquam hoc animi, illud etiam ingenii magni eſt percipere cogitatione futura, & aliquanto ante conſtituere, quid accidere poſſit in utramque partem, & quid agendum ſit, cum quid evenerit, nec committere aliquid, ut aliquando dicendum ſit: non putaram.*

IX. Apparet item animi magnitudo in honorum appetitione moderanda. Quoniam cum honeſtum ſit interdum honores appetere, interdum contemnere & repudiare, utrumque facere magnanimi eſt & quomodo, & quando ratio præſcripſerit, & tenere mediocritatem. Sed prius quam de his quæro, pauca ſunt de ipſo honore dicenda. Et primum cavere maxime oportet, ne, ut multi hominum ſolent, falſa quadam honoris ſpecie fallamur. Sunt enim, qui, honoris nomen cum ſemper habeant in ore, quid ille ſit, non intelligunt, & loco rei ſectantur umbræ cujuſdam inanitatem. Ii quidem ſunt vitiorum cœno inquinati, injuſti, iracundi, intemperantes, invidi, ambitioſi; at honorem prædicant ſibi eſſe cariſſimum, quem in eo ponunt, ut acceptam injuriam vel levem, aut quam accepiſſe ſibi videantur, impunitam atque inultam non ſinant eſſe, habendamque ra-

Digitized by Google

rationem velint ab omnibus dignitatis ſuæ, quam nemo quaſi ſacram audeat aut verbo aliquo, aut facto violare. Ex quo exiſtunt rixæ, diſſidia, ſingularia certamina, læſæ, ut putant, exiſtimationis reparandæ cauſa. Nec vero vident, nullum eſſe omnino honori locum ſine virtute, ut dicam. Horum ſimiles habentur ii, qui tum maxime claros ſe & honoratos putant, cum omnibus incutiunt metum querimoniis, minis, aut armis; ipſi vero videntur timere neminem. Hanc quidem non fortitudinem judicant præſertim ſapientes, at feritatem, quæ non honorem pariat, ſed dedecus & infamiam. Reperies etiam feminas, quæ honore gloriantur ob unam pudicitiam, cum interim litigioſæ ſint, & ad rixam concitæ, loquaces, elatæ, arrogantes, indiligentes in liberis educandis, adminiſtrandaque re familiari. Denique fere nemo eſt, qui ſe boni nominis non profiteatur, honoriſque cultorem, cum tamen plerique, quæ honori plane contraria ſunt, ea conſectentur. Illud ridiculum porro eſt quod tueri, aut parare honorem velint iis artibus, quibus nullæ ſint ad eum labefactandum aptiores; hoc eſt, contumeliis, malevolentiæ obtrectationibus, vituperatione, faſtu, ſuperbia, oppreſſione impotentium, interdum etiam cæde ac ſanguine. Hæc ne ratio eſt retinendæ, recuperandæve dignitatis? Cui unquam, qui ſaperet, venit in mentem, comparari honorem poſſe vitiis & malefactis, aut hæc cum eo unquam cohærere? cum honor a turpitudine omnino alienus ſit, atque diſiunctus?

X. Hac igitur mentita, erroriſque plena honoris ſpecie repudiata, unde multa & in animum, & in familias, & in rempublicam incommoda proficiſcuntur, venio ad notiones, quæ ſunt honori ſubiectæ. Primum autem eo nomine virtus ipſa ſignificatur, & quod honeſtum eſt, præclareque geſtum. Quod enim tale eſt, id parit honorem. In quam rem ſcriptum eſt a Platone, honorem eſſe ſectari meliora, atque ex peſſimis, ſi quæ poſſint, ſapienter ad meliora convertere: *Honor autem eſt*, inquit (*Dialog.5. de Legib. init.*) *ut totum ſimul complectar, meliora ſequi, & ex pejoribus, quæcumque meliora fieri poſſunt, ad melius quam optime reducere*: Hic profecto germanus & verus eſt honor, & ſempiternus, qui inhæret in animo, nec pendet ab opinione & ca-

caſu, & temeritate fortunæ. Is quidem magnanimi proprius eſt, & non modo divitiis, atque amplo dignitatis gradu, ſed vita ipſa debet eſſe carior, quem ut aſſequamur, omni ſtudio curandum eſt, & omnis adhibenda diligentia. Neque enim hominem dumtaxat ornat extrinſecus, ſed intus perficit, atque honeſtat, & maxime locupletat.

XI. Tum honos idem habetur ac bona apud homines exiſtimatio; hoc eſt, bona opinio in animis inſita cum obſervantia & amore conjuncta de alterius præſtanti virtute. Quo efficitur, exiſtimatione contineri amorem & caritatem. Quos enim magni facimus, eoſdem amamus plurimum. Itaque placet Flaminio Nobilio (*lib. de Honore cap.1.*) ex ſententia Vincentii Madii, verum honorem, qui virtutis eſt præmium, nihil aliud eſſe, quam poſſeſſionem voluntatum virtutis beneficio partam; hoc eſt, caritatem, qua fit, ut qui amatur, ejus poſſideat voluntatem, qui amat. Quis enim major poſſit eſſe honos, quam humanos animos poſſidere divinos atque cæleſtes? Quid cum hoc honore comparandum videatur?

XII. Deinde honos uſurpatur pro indiciis ac ſignis, quibus oſtendimus, nos de aliena virtute & excellentia bene, honorificeque ſentire. Signa autem ſunt ſtatuam erigere, imagines ponere, agri jugera e publico, aut cibaria ſtatuere, coronis aliquem, muneribuſque donare, ei caput aperire, aſſurgere, honeſtiorem locum in ſedendo cedere, deducere domo, reducere, aliaque generis ejuſdem; quæ tamen ut verus, germanuſque honor non ſunt habenda, niſi a benevolentia, obſervantia, & alienæ virtutis opinione naſcantur. Honos enim non divitiis, non gratiæ, non nobilitati tribuitur, ſed uni virtuti. Cum vero etiam dignitatum gradus, & magiſtratus ſint populi aut in republica principis judicium de virtute ejus, cui dantur, bene ſentientis, honores ſæpenumero nuncupantur: eamdemque ob cauſam merces ſatis ampla honos dicitur; quippe illa eſt cujuſdam excellentiæ teſtificatio.

XIII. Tandem magis apte ac proprie honos, ut a fama, gloriaque diſcrepat, non bona tantum opinio eſt, nec bonæ tantum opinionis de aliena excellentia ſignificatio, ſed utrumque ſimul. Quamobrem definitur: bona ſapientum ho-

minum opinio ex alterius virtute ſuſcepta, & indiciis exterioribus explicata. Primum neceſſe eſt, honorem tribui a bonis & ſapientibus viris, qui recte de rebus judicare & poſſint & velint; iccircoque eum, qui virtute præditus eſt, magni faciant, obſervent & colant, atque honore afficiant pro meritis. Laus enim, atque honos, qui defertur ab improbis, non eſt ille quidem argumentum excellentiæ, quæ ſit in aliquo; ſed interdum turpitudinis ac vitiorum; cum uſuveniat, ut flagitioſi in honore habeant ſimiles ſui; eos vero, quibuſcum non communicant ſtudiis & voluntate, vituperent.

XIV. Honorem igitur opinionem oportet eſſe in bonorum & ſapientum animis inhærentem & inſitam; tum vero eam ab alienæ virtutis ſplendore proficiſci. Honos enim, cum virtutis ſit præmium, debetur ita virtutibus, ut nihil ſit aliud, quod jure ſibi vindicare poſſit. Quapropter ridiculi illi ſunt, & ignari judicandi, qui eum velint ad ſe trahere propter divitias tantum, aut nobilitatem, aut alia generis ejuſdem. *Eſt enim virtutis merces gloria*, ait Ariſtoteles (*lib.*4. *Ethic. cap.*3.) *quæ eadem bonis viris tribuitur*. Quo fit, ut pateat ſolum per præclara facta ad honorem via: ob eamque cauſam M. Marcellus ita honori templum ſtatuit, ut in illud, niſi per virtutis ædem, quæ quaſi pro veſtibulo ei conjuncta erat, ingredi liceret nemini (*apud Patritium Senenſem de Regno lib.*7. *cap.*8.)

XV. Opinionem vero, quæ de alicujus virtute bonorum animis inſedit, debent indicia quædam, de quibus paullo ante dictum eſt, declarare. Secus non honor eſt, verum aut laus, aut gloria, aut fama. Inter hæc autem quid interſit, ſupra vidimus (*lib.*1. *cap.*13.) Quamquam hoc loco ea omnia propter cognationem, quam habent inter ſe, affinitatemque, conjungimus. Sed de honore cum elegans quidam libellus ſcriptus ſit a Flaminio, quem quiſque poſſit legere, nos in viam redeamus.

XVI. Quoniam vero dixi, magnanimi eſſe interdum honores appetere, interdum repudiare; de eo, quod primum poſui, quæramus, tum de altero. Honoris autem nomini non virtutem ſubjicio, quæ expeti debet ab omnibus; ſed cum bonam opinionem, tum indicia, quibus illa declarari ſo-

Digitized by Google

ſolet extrinſecus; quo & laus, & gloria, & fama commode referuntur, ut dixi. Conſtat autem, turpe eſſe honorem & gloriam appetere propter ſe per id, quod natura ſua honeſtum eſt, ac bene, præclareque geſtum. Eſt enim virtus excellens quoddam ac divinum bonum, ac lucis inſtar ita obruit abſconditque omnia, quæ clara atque illuſtria habentur in terris, ut vix appareant: itaque ad honorem, qui multo inferior ſit dignitate, qui virtutem referat, in vitio eſt. Deinde honos hominem non facit meliorem, cum extra ſit, neque animo adhæreſcat; non eſt igitur propter ſe expetendus. Ad hæc honeſtum ne poſſit eſſe gloriam conſectari, aucuparique, quam religionis noſtræ auctor & moderator Chriſtus facto, dictoque contempſerit, edixeritque, qui eam ſequatur, illi ſe mercedem daturum plane nullam? An non potius audax facinus habendum ſit, pernicioſum, a chriſtiana humilitate alienum gloriam velle captare?

XVII. Quamobrem video a multis eam immodicis laudibus ad Cælum uſque ſublatam eſſe, dignamque judicatam, quam quiſque, qui animo ſit & nobili in primis, ac generoſo, non divitiis modo, ſed & valetudini, & vitæ anteponat. Ex quo qui magna geſſerint honoris adipiſcendi ſtudio, iidem magni ac præſtantes habiti ſint, conſecratique ad immortalitatem ac memoriam hominum ſempiternam. Quæ laus tanta multos impulit, ut æmulatores eſſent hujus inanitatis. Nam qui gloriam ſibi proponunt quaſi finem rerum geſtarum, eos equidem non fortes, non magnanimos, non bonos viros arbitror judicandos, ſed inanes, ſed ſuperbos, ſed inflatos, ſed inſipientes etiam, qui plurimis exantlatis laboribus præter gloriæ umbram, nihil, quod ſolidum ſit, quod diuturnum, quod ſtabile, conſequantur, araneolarum ſimillimi, quæ effundunt viſcera, ut ita dicam, telæ, quæ nulli ſit uſui, texendæ gratia.

XVIII. Quæ quidem eo conſilio a me dicta ſunt, quod animadverterim, in quorumdam animis tantam inſediſſe gloriæ opinionem, ut eam maximum bonorum omnium, quæ ſunt in terris, non vereantur dicere; cum ne bonum quidem ſit ex ſeſe, nec expetendum ſui cauſa, ſed ſolum ut eſt ad honeſtatem via; & quicquid eſt, non firmum, diuturnumque ſit, ſed caducum, & fragile, & in opinione

po-

Digitized by Google

poſitum, non inhærens, incluſumque in animi domicilio: & quanquam virtutis ſit merces; parva eſt tamen, & digna quæ reſpuatur, niſi largior acceſſerit a Deo, qui virtutem uberrime, magnificentiſſimeque muneretur. Hac autem mercede poſthabita, unam illam quærere dementis eſt.

XIX. At enim honoris & gloriæ appetitio a natura eſt data; bona igitur ſit, neceſſe eſt. Ita quidem, niſi in gloria conſiſtat, quaſi fine; ſed gloria ipſa ad honeſtatem referatur. Etiam in oblectationem, in ludum, in cibum, in divitias propendet natura: in his tamen tamquam extremis hærere turpe eſt. Itaque eſt nobis a Deo tributa appetitio gloriæ, non ut ad eam benefacta dirigamus, ſed ut eam ad benefacta: quemadmodum voluptas in cibo capiendo eſt ſecundum naturam; non ita tamen, ut cibus referatur ad voluptatem, ſed voluptas ad cibum tuendæ vitæ cauſa. Etenim multa naturalia ſunt; nec tamen per ſe expetenda, ex quorum genere eſt gloria.

XX. Itaque perſpicuum puto, non verſari animi magnitudinem in magnis honoribus, ut Ariſtoteli, ejuſque affeclis viſum eſt; nec intelligo, cur adeo laborandum ſit, ut ſtet, retineaturque Ariſtotelis de magnanimitate ſententia, hoc eſt, hominis, cui nec nota laudabilis & chriſtiana humilitas fuit, nec eſſe potuit; quippequam efficit cognitio ejus infirmitatis, quæ ad id ſequendum, quod honeſtum ſit, in voluntate ineſt maxima ac tanta, ut nihil effici poſſit ſine cæleſti ope ac præſidio: *maximum ponimus id*, inquit Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 3.) *quod & Diis tribuimus, & quod maxime expetunt omnes ii, qui ſunt in magiſtratu, & quod rerum geſtarum vel præclariſſimarum quaſi mercedem omnes deſiderant, qualis gloria eſt. Eſt enim bonorum externorum maximum gloria. In honore igitur, & dedecore magnanimus ita affectus eſt, ut ratio, æquitáſque poſtulat.* Huc accedit propenſio vehemens in turpitudinem. Quo fit ut honos ob præclara facinora non homini ſit tribuendus, ſed Deo. Itaque qui gloriam ad ſe putat pertinere, id ſibi vindicat, quod alienum eſt. Si quid enim in nobis cernitur magnum & laudabile, Dei eſt. Hæc Ariſtoteles omnino non vidit, cui nec veteris culpæ contagio, qua omne vitiatum, inquinatumque eſt genus humanum, comperta fuit, nec ve-

ra

Digitized by Google

ra religio. Eamque ob cauſam Stoici, a quibus egregia videntur præcepta tradita bene vivendi, elati ſunt maxime, qui hominem velint efficere quaſi Deum, expertem perturbationum, præfidentem ſibi, nulloque egentem, & contentum bonis ſuis; nec intelligunt, hominis mentem graviſſimis tenebris circumfundi, voluntatemque in ſumma imbecillitate verſari; itaque fere ſuperbi eſſe, ſeſe attollere, & honore dignum judicare.

XXI. Sed tamen ad honores aſpirare non majores quam decet, poteſt nonnunquam eſſe cum boni viri, tum etiam magnanimi, ſi modo id ad pietàtem refertur, ad Dei cultum & religionem, ad caritatem. Homines enim facilius ac libentius ejus conſilia, atque adhortationes excipiunt, quem magni faciant, ſeque duci patiuntur viri auctoritate, qui in ore omnium, & celebri laude, famaque verſatur; eoque monitore ac magiſtro retrahuntur a vitiis, & ad virtutem, honeſtatemque inflammantur. Ex quo conſequens eſt, ut, qui bene audit in civitate, poſſit multa gerere, & præclara ad communem utilitatem, & proſit aliis non modo dictis, ſed etiam exemplo, in quo vis quædam ineſt maxima. Cum vero magnanimus egregia ac magna moliatur, nihil vetat, quin eorum cauſa honorem appetat factis, officiiſque honeſtiſſimis congruentem.

XXII. Quam ob cauſam laudabile eſt, ac nobilis & bene conſtituti animi proprium rationem habere dignitatis & famæ; quæ etſi honeſtum bonum non eſt; multas tamen opportunitates habet, quæ non modo ad alios pertinent; ſed nos etiam attingunt, vitamque noſtram. Bona enim opinio & exiſtimatio amicitias parit, benevolentiamque ſapientum, & eorum, qui gratia florent, & auctoritate, & opibus & divitiis, quibus juvare nos queant, cum opus eſt, ut etiam monitis & conſiliis, & injurias, ac pericula, ſi qua nobis impendeant, propulſare. Vere P. Mimus [*apud Muretum num. 66.*]

Bene audire alterum patrimonium eſt.

XXIII. Maximam vero curam in bona opinione paranda, retinendaque apud homines ponant ii in primis neceſſe

eſt,

Digitized by Google

eſt, qui reliquis præſunt, qui gerunt magiſtratum, adminiſtrantque rempublicam, & publico, quodcumque illud ſit, munere funguntur. Nam prudentiæ, ſapientiæ, beneficentiæ, æquitatis, aliarumque virtutum, quæ in rectore conſpiciuntur, opinione facile adducuntur homines ad parendum, atque ita natura comparati ſunt, ut præfectorum mores imitentur, quibus, cum probi ſunt, potius contineri ſolent, quam præceptis ac legibus. Contra mala eorum fama, qui ſunt in imperio, cladem, perniciemque affert communitati.

XXIV. Summopere etiam curandum eſt, ut honos, at germanus & verus, non fucatus & popularis cordi ſit adoleſcentibus, eoque tamquam acriori ſtimulo utantur ad arduum virtutis iter ingrediendum; quod deinde facilius, cum bene cœptum eſt, progrediente ætate, perficient. Quamquam enim, ſi unam gloriam ſequantur, eamque non referant ad honeſtatem, id faciant, quod dixi, ex ſeſe non eſſe laudabile; tamen expedit hanc illis permittere inanitatem fortaſſe non cogitantibus, ne aut turpi ocio, aut vitiis ſe dedant, ex quo detrimentum, ac dedecus non modo capiant ipſi, ſed & familiæ, & civitates. Iccirco videmus communi omnium conſenſione decreta præmia & honores eſſe præclara gerentibus conſtitutos, quibus velut calcaribus ad majora generoſi animi concitentur.

XXV. Verum illud intelligendum eſt, honoris aſſequendi rationem ac viam non eſſe eum quærere, captare, inſequi, quod potius ſuperbi eſt, ſed vitiis vacare, quorum vel uno honos labefactatur, ac diligentem operam dare virtutibus, ut modeſtiæ, ut continentiæ, ut juſtitiæ, & præſertim liberalitati, ac beneficentiæ, cæteriſque, quibus ſummopere nobis conciliamus hominum caritatem, quæ via eſt ad gloriam. *Hæc eſt una via*, ait Tullius (*Orat. pro Pub. Sextio*) *mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris a bonis viris, ſapientibus, & bene natura conſtitutis laudari, & diligi*. Et alio in loco (*Philipp. 1.*) Antonium compellans: *illud magis vereor*, inquit, *ne ignorans verum iter gloriæ, glorioſum putes, plus te unum poſſe, quam omnes, & metui a tuis civibus, quam diligi malis. Quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum eſſe civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi glorioſum eſt; metui ve-*

Digitized by Google

vero, & in odio eſſe, invidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum.

XXVI. Sit itaque, ſi velis, honeſta nonnunquam laudis, gloriæque appetitio, atque item magnanimi propria; at cur gloriam in ſe perſequi neceſſe ſit, non video. Quemadmodum enim ſine virtute ac benefactis eſſe non poteſt; ita his adhæret neceſſario, atque implicita eſt tamquam umbra corpori, nec diſcedit unquam etſi repellatur. Immo uſuvenit, ut ſequentem fugiat, fugientem ſequatur, ut in umbra contingit. Quapropter cura, ut juſte geras omnia, prudenter, fortiter, temperanter, & tunc ſic habe, futurum, ut honor & gloria tibi a bonis & ſapientibus, quorum judicium magni faciendum eſt, tribuatur, vel invito & repugnanti. Cæterum ipſius gloriæ ſtudium res eſt ſane lubrica. Poteſt enim & actionum honeſtatem vitiare, & facile ad turpia compellere; niſi intra certos fines, ratione quaſi duce ac magiſtra contineatur.

XXVII. An magnanimi ſit, & boni item viri honoris appetitio, & quomodo, & quæ ad eum via, dixi hactenus. An vero ejuſdem eſſe judicandum ſit appetere dignitatum gradus, & magiſtratus, quærimus hoc loco. Qua quidem in re majorem etiam cautionem arbitror adhibendam, quam in appetitione honoris & gloriæ; quippequæ nullam habet adiunctam adminiſtrationem rerum publicarum. Itaque licet viro probo ac magnanimo ad dignitates adſpirare; ſed flagitante neceſſitate; hoc eſt, cum ſecus immortalis Dei cultus atque religio, & communis ſalus periclitatur. Cum enim jus & ratio præſcribat, publica munera, quibus civium incolumitati providetur, ad digniſſimum quemque eſſe deferenda, elatus ſit, neceſſe eſt, qui prudentia, mentis acumine, rerum uſu, ac tandem virtutum ornamentis, ac ſplendore ſeſe anteponat omnibus; cum præſertim hac in re quammultos falli videamus, qui nimium & ſe amant & ſua, & aptiorem, quam ipſi ſint, ad ſuſtinendum magiſtratum cum laude cenſent eſſe neminem. Quæ fere quædam eſt hominum communis inſania; idque ex eo licet cognoſcere, quod, qui minus ſapiunt, ii prudentes viros de gubernandi ratione, ac male adminiſtrato munere ſæpe accuſant & criminantur.

XXVIII. Quamobrem ſentit Plato, ſponte accedere quempiam ad imperandum, nullaque neceſſitate compulſum, id quidem turpe judicandum videri; cogendos igitur bonos viros vel mulctæ irrogatione ad capeſſendam rempublicam; mulctarum vero eſſe maximam improborum imperio, atque adminiſtrationi ſubjici, niſi ipſi inierint magiſtratum. Eam pœnam cum extimeſcant viri ſapientes ac boni, videri magiſtratus capere, ſi quando capiant; ac tum ad eos accedere non quaſi ad id, quod bonum ſit, quod utile, quod jucundum, ſed quod neceſſarium; propterea quod neque pares ulli ſint, quibus reſpublica committatur, neque meliores. *Oportet igitur*, ſcribit Plato [*Dial.* 1. *de Rep.*] *neceſſitatem illis* (bonis viris) *imponi, & mulctam, ſi impellendi ſunt, ut velint magiſtratum accipere. Quamobrem videtur turpe haberi, ut quis ſponte ad imperandum accedat, neque expectet neceſſitatem. Maxima vero mulctarum eſt, adminiſtrationi malorum ſubiici, niſi ipſe acceperit reipublicæ gubernaculum. Hanc utique pœnam timentes magiſtratus capere probi homines mihi videntur, ſi quando capiunt; & tunc ad eos accedunt, non tamquam ad bonum aliquod, neque tamquam ex his voluptatem aliquam capientes, ſed tamquam ad rem neceſſariam, cum neque melioribus, neque ſimilibus ſe committere valeant.* Tum vero addit, ſi omnes viri boni eſſent in civitate, non ſecus refugiendi imperii cauſa pugnatum iri, quam nunc imperandi cupiditate certatur; ac tum quidem conſtaret, civitatis rectorem eorum, quibus præeſt, commoditati proſpicere velle, non ſuæ. Itaque amens ſit, qui non malit, alium ſibi prodeſſe, quam, dum aliis conſulit, ſeſe negociorum procuratione implicare, atque conſtringere: *quippe*, ait [*cit. loc.*] *ſi bonorum virorum extaret civitas, in ea, ut arbitror, haud aliter non imperandi gratia pugnaretur, quam nunc certetur imperandi cupiditate; ibique pateret, revera legitimum principem, non ſui ipſius, ſed ejus, qui ſub ipſo eſt, commoditatem reſpicere. Quare unuſquiſque, qui non amens ſit, potius eliget alium ſibi prodeſſe, quam, dum aliis ipſe conſulit, ſeſe negociis implicare.* Cum enim vir bonus, ac præſertim magnanimus neque pecunia, quod eſt avari, neque honore, quod eſt ambitioſi, ducatur ad imperandum, nihil eſt cauſæ, cur ſponte appetat magiſtratum, & alienorum malorum

emen-

emendationem aggredi velit, niſi cum nemo eſt, qui publicum munus ſuſtinere poſſit cum dignitate. *Nec vero*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *imperia expetenda, ac potius aut non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.*

XXIX. Oblatam tamen ultro provinciam, ſi ad eam judicatur idoneus a ſapientibus, & reipſa eſt, non reſpuet propter moleſtias, ut dicam. Id enim facit magnanimus, quod arduum eſt, quod incommodum, quod moleſtum. *Sed iis*, pergit Tullius ſcribere (*lib.* 1. *de Offic.*) *qui habent a natura adjumenta rerum gerendarum, abjecta omni cunctatione, adipiſcendi magiſtratus ſunt, & gerenda reſpublica eſt. Nec enim aliter aut regi civitas, aut declarari animi magnitudo poteſt.* At videndum monet, ne quid fiat temere, & majora viribus ſuſcipiantur (*cit. loc.*) *ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo conſideret, quam illa res honeſta ſit, ſed etiam ut habeat efficiendi facultatem. In quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem. In omnibus autem negotiis, priuſquam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens.* Tum vero etiam illud præſcribit Cicero, in iis, qui publicis funguntur muneribus, non minus, quam in philoſophis, ineſſe oportere & deſpicientiam rerum humanarum, & animi tranquillitatem. *Capeſſentibus autem rempublicam*, inquit (*loc. cit.*) *nihil minus, quam philoſophis, haud ſcio, an magis etiam, & magnificentia, & deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum, quam ſæpe dico, & tranquillitas animi, atque ſecuritas. Siquidem nec anxii futuri ſunt, & cum gravitate conſtantiaque victuri. Quæ eo faciliora ſunt philoſophis, quo minus patent multa in eorum vita, quæ fortuna feriat, & quo minus multis rebus egent, & quia, ſi quid adverſi eveniat, tam graviter cadere non poſſunt. Quocirca non ſine cauſa majores motus animorum concitantur, majorque cura efficiendi, rempublicam gerentibus, quam quietis: quo magis his & magnitudo animi eſt adhibenda, & vacuitas ab angoribus.*

XXX. Vides, quando ſit & viri boni, & magnanimi vel appetere, vel delatos accipere magiſtratus. Sed ejus maxime eſt honores, dignitateſque contemnere & pro nihilo ducere. Quid enim magis proprium eſt invicti animi, &

excelſi, atque eminentis ſupra communem naturam, conditionemque hominum reliquorum, quam id, quod fere ab omnibus magni fit, quod quæritur ſummo ſtudio, quod ampliſſimum, quod pulcherrimum judicatur, reſpuere? modo tamen hæc honorum ac munerum deſpicientia & fuga non ab inflato animo & glorioſo, aut prava affectione aliqua perturbato, ſed modeſto, erecto, ſedatoque proficiſcatur. Ea generoſa ac ſplendida repudiatio optimi cujuſque laudibus celebratur, nullaque oblivione deletur, aut diuturnitate temporum. Carolus ille Magnus magnam profecto apud poſteros gloriam ſibi comparavit propter res præclare geſtas belli ac domi, ac dotes animi ſingulares, ſed propter abdicatum imperium multo majorem; ob quam rem unam memoriæ conſecutus eſt immortalitatem; Carolomanus item, & Rachiſius reges & potentia, & opibus florentiſſimi, aliique. (*Vide Pontanum de Magnanim. lib.2. & Aguir. de Virtut. & Vitiis diſp.8. quæſt.3. ſect.2. a num. 12.*) Sed hoc magnanimitatis genus in chriſtiana republica frequens eſt, & maxime familiare: ſunt enim plurimi, & fuerunt, qui divitiis & honoribus repudiatis, inſtitutum ſequi voluerint pleniſſimum ſanctitatis, atque ita eminere, ut nulla humanarum rerum cupiditate tenerentur adſtricti, ſed uni ſe addicerent ac devoverent mundi moderatori Deo. Hæc eximia eſt & præcellens animi magnitudo, non quæ cernitur in appetendis honoribus. Etenim, qui honores contempſerint, laudantur ab omnibus; qui gloriæ appetentes ſint, a paucis, iiſdemque fere nec bonis, nec ſapientibus. Pueris, adoleſcentibuſque facilius datur hæc venia, ut qui rebus majoribus non moventur, gloria ſaltem excitentur ad honeſtatem. Magnanimi viri officia quæ ſint, dixi; nunc exponam, quæ ad animi magnitudinem conferre videantur.

XXXI. Ad quam rem opportunitatem habent aliquam & bona fortunæ. *Atque etiam ſecundæ res*, ait Ariſtoteles (*lib.4. Ethic. cap.3.*) *videntur ad animi pertinere magnitudinem*. Poſſunt enim adjumentum afferre magnum ad res præclaras gerendas, ut divitiæ, ut amicitia, ut auctoritas, ut gratia, ut potentia; *& majores, elatioreſque animos*, ut Ariſtoteles ſcribit (*cit. loc.*) *hæc ipſa faciunt*; cum ærumnæ contra, & tenuis fortuna, & obſcuritas generis ſæpe animum dejiciant,

atque

atque proſternant, nec ſinant, eum foras prodire. Ex his præterea ornamentis quædam exiſtit dignitas & gloria, qua muniri ac ſterni poſſit via ad munera obeunda, quæ magni animi propria ſunt. *Nam & nobiles*, pergit Ariſtoteles [*cit.loc.*] *gloria digni putantur, & ii, qui ſunt in imperio, & divites, quod excellant aliqua præſtantia. Habet autem venerationem juſtiorem quicquid excellit . . . . Quamquam autem ſi verum judicare volumus; ſolis bonis bonos debetur; tamen cum utrumque adſit, is neſcio quomodo majorem laudem ac gloriam meretur.* Nam revera virtus, cui adjuncta ſunt fortunæ decora, ſplendidior videtur eſſe ob eam etiam cauſam, quod rectus eorum uſus ſit in laude ponendus. Si vero fortunæ bona, quæ dicuntur, a virtute disjuncta ſunt, nihili æſtimantur a ſapientibus. Nihil enim laudabile eſt, & honore dignum ſine virtute. Quin etiam, in quibus hæc talia bona inſunt, ſi virtus abeſt, contemnuntur ut abiecti, ut humiles, ut ignari; quamquam ipſi ſe faciant plurimi, & reliquos aſpernentur tum propter ſuperbiam, tum propter inſcitiam. Id vero cum faciunt, ſeſe putant, quod inſaniæ eſt, & nobiles, & magnanimos.

XXXII. Poſtulat item animi magnitudo erectam indolem, & naturam, igneamque quodammodo; non tamen præcipitem ac temerariam; ſed quæ comitem habeat judicii maturitatem. Nam qui ſenſus habet hebetes, tardos, pingues; iccircoque adiumentis ac præſidiis caret a natura datis, vix aptus eſt magnis obeundis muneribus. Vix enim quicquam egregium geri poteſt, invita, ut ajunt, Minerva. Verumtamen poteſt quiſque excitare ſeſe: quoniam res gerenda animo eſt, non corpore: itaque animi dicta eſt magnitudo, non lacertorum; atque ad eam non opus eſt ſtaturæ dignitate, ac viribus; vel in puſillo corpore ineſſe poteſt excellens & ſingularis. *Omnino enim*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *illud honeſtum, quod ex animo excelſo, magnificoque quærimus, animi efficitur, non corporis viribus. Exercendum tamen corpus, & ita afficiendum eſt, ut obedire conſilio, rationique poſſit in exequendis negociis, & in labore tolerando.*

XXXIII. Tum vero ad naturam inſtitutio accedat, neceſſe eſt, quæ ſit ab educatione, & conſuetudine ſapientum, & a civitate moribus legibuſque bene conſtituta. Natura enim

enim facile deſciſcit ab honeſto, doctrina atque inſtitutione ſublata. Eam vero ſequi debet exercitatio, quæ ad virtutem quamlibet comparandam eſt maxime neceſſaria.

XXXIV. Cæterum qui cæleſti præſidio nititur, eo fultus poteſt is quidem magna gerere, ut fert vitæ ratio, & ejus, quod ſectatur, inſtituti genus, & ætas, & facultas rerum agendarum. Nam actionum, factorumque magnitudo ex his, aliiſque generis ejuſdem metienda eſt. Quod enim parvum eſt uni ac leve, idem poteſt arduum eſſe & magnum alteri. Quamobrem magnanimus judicandus eſt adoleſcens, qui a virtute, & ab optimarum artium diſciplinarumque ſtudio, nec voluptatum illecebris, nec nimia capiendi cibi cupiditate, nec ſuaſione, exemplo, atque irriſione ſociorum, nec incommodorum & laboris metu revocari poteſt; qui in rebus moleſtis & jucundis, quæ incidunt, in proſperis & adverſis ſervat mentis æquabilitatem; qui etſi ea facit, quæ ſummopere laudabilia ſunt & honeſta, non tamen appetens eſt honoris & gloriæ, quam potius quaſi inanem contemnere videatur. Feminæ item præſeferre poſſunt animi magnitudinem vel in iis rebus, quæ ad familiam pertinent, gubernationemque rerum domeſticarum, moderationemque affectionum & cupiditatum. Tandem nemo eſt, qui in eo, quod ſequitur, vitæ genere non queat eſſe magnanimus, ſi velit, & munera, quæ excelſi ſunt, ſtudeat præſtare quodammodo.

XXXV. Quamobrem volumus, eam virtutem late patere, & eſſe cuique communem; etſi non eodem modo. Nam ſplendidior apparet in iis, qui nobilitate, auctoritate, potentia clari ſunt, principatu, publiciſque muneribus. *Illud enim ſic eſt judicandum*, ait Tullius [*lib.* 1. *Offic.*] *maximas geri res, & maximi animi ab iis, qui rempublicam regant, quod eorum adminiſtratio latiſſime pateat, ad plurimoſque pertineat*. Scribit tamen etiam in vita otioſa locum eſſe magnanimitati: *eſſe autem magni animi*, ait (*cit. loc.*) *& fuiſſe multos etiam in vita otioſa, qui aut inveſtigarent, aut conarentur magna quædam, ſeque ſuarum rerum finibus continerent, aut interjecti inter philoſophos, & eos, qui rempublicam adminiſtrarent, delectarentur re ſua familiari, non eam quidem omni ratione exaggerantes, neque excludentes ab*

ejus

ejus uſu ſuos, potiuſque & amicis impertientes, & reipublicæ, ſi quando uſus eſſet. Quæ primum bene parta ſit, nullo neque turpi quæſtu, neque odioſo: tum quamplurimis modo dignis ſe utilem præbeat: deinde augeatur ratione, diligentia, parſimonia, nec libidini potius, luxuriæque, quam liberalitati, & beneficentiæ pateat.

XXXVI. Sed jam magnanimi dotes quæ ſint, accipe. Is eſt magnanimus, ut magnis ſe, gravibuſque periculis objiciat, etiam vitæ, cum oportet, nec infamiæ metu apud inſipientes & improbos a præclaro ullo & honeſto facinore deterreatur. Id enim amat, quod glorioſum eſt in ſeſe, non quod vulgo imperitorum videtur; nec plauſum captat, famamque popularem; ſed eo honore contentus eſt, qui ineſt in virtute ac benefactis: non perſequitur, nec recordatur acceptas injurias, ſed potius contemnit; cum ſciat injuriam ad eum pertinere, non qui accipit, ſed qui facit; & cum excelſa ſit mente, non permovetur hominum improbitate, immo hac utitur ad erigendum ſe altius. Nam quicquid accidit, in virtutis ſplendorem uſumque convertit. Promptus eſt ad conferenda beneficia: Hoc enim egregium eſt, & Dei proprium prodeſſe omnibus. Quare circumfertur vox illa Scipionis Africani, quo die operam ſuam in nullius commodum contuliſſet: *amici diem perdidi* (*apud Pontanum de Magnanim. lib.*I.) Accepta vero beneficia largius, cumulatiuſque remuneratur; nec patitur vinci ſe propter animi magnitudinem. Quod ſi gratiam referre non poſſit, ſaltem habet uberrime. Eſt enim gratiſſimus; cum nihil ſit ingrato animo abjectius, atque contemptius. Studet maxime veritati: Mentiri enim non magni animi eſt, ſed puſilli & timidi: ob eamque cauſam aperte loquitur, atque id libere dicit, quod ſentit; & odit, quod duplex eſt, quod fictum, quod ſimulatum. *Itaque viros fortes, & magnanimos*, ait Tullius (*lib.*I. *Offic.*) *eoſdem bonos, & ſimplices veritatis amicos, minimeque fallaces eſſe volumus*. Non tamen profert omnia; ſed tantum cum decet, & neceſſe eſt; veritatemque ipſam hominum opinioni anteponit. *Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus* (*cit. loc.*) Eademque magnanimus libertate, qua in dictis, utitur etiam in factis. Cum enim ea faciat, quæ ſunt

ho-

Digitized by Google

honeſtiſſima, timet neminem. Non erit tamen litigioſus in defendenda veritate; neque inimicitias, ſimultateſque ſuſcipiet niſi ob graviſſimas cauſas, ex quibus in primis eſt religio & pietas in Deum, ſalus animorum & reipublicæ. Nec vero queritur de iis malis, quæ accidunt, ut de inopia, de dolore, ſi quo conflictetur, de agrorum ſterilitate, cæteriſque generis ejuſdem. Muliebris enim eæ ſunt, ac mollis animi querimoniæ, non magni, cujus eſt modice & æquabiliter ferre cum adverſa, tum proſpera. Adverſus principes viros, divites, opulentos, florenteſque dignitate, ita ſe gerit, ut generoſi animi formam retineat; quippequi nihil ſperat, aut metuit: adverſus autem mediocres modeſtus eſt; at ſemper gravitatem tuetur, quæ magnanimitatis eſt comes: nemini maledicit, aut invidet; utrumque enim humile & abjectum eſt: ob eamdemque cauſam nulli facit injuriam; ſed quemque clariſſimum æmulatur, quoad poteſt; cum id magnum, præclarumque ſit, & deceat. Vix quicquam admiratur, non ædium magnificentiam, non delicias, non vim pecuniæ, comitatumve famulorum: nam præditus eſt animo ſupra res humanas eminente, & unam virtutem magni facit. Quod quidem maxime conferre ad beate vivendum ſcribit Horatius (*lib.* 1. *Epiſt.* 6. *ad Numicium data.*)

Nihil admirari, prope res eſt una, Numici,
Solaque, quæ poſſit facere, & ſervare beatum.

Neque ſe laudat magnanimus, neque res ſuas, niſi ad Dei gloriam neceſſe ſit, aut propriæ, vel alienæ utilitatis cauſa. Commendat enim ſe non prædicatione, ut miles glorioſus, ſed benefactis (*vide Plutarchum in libello. Qua quis ratione ſeipſum citra invidiam laudare poſſit*). Parce etiam, & caute prædicat aliena. Aliquid enim magnum oportet eſſe, quod ei laude dignum videatur. Si quid tamen præclare geſtum eſt, id approbat ſententia ſua, ac dat libenter, quod virtuti deberi intelligat. Eſt item in primis retinens libertatis ſuæ, neque ab ullius nutu pendet aut pecuniæ cupiditate, aut ſpe commodorum, aut metu. Iccirco nec facile ad aliorum convictum, familiaritatemque ſe accommodat, niſi amicorum. Turpe enim putat ſubeſſe earum rerum gratia, quas parvi

du-

ducit. At contra magno ac prompto animo paret Deo O. M. atque iis, qui, cum ſuperiores ſint poteſtate, Dei perſonam gerunt in terris. Hoc enim honeſtiſſimum eſt, maximeque laudabile. Rebus item delectatur potius decoris & appoſitis ad dignitatem, quam fructuoſis. *Atque etiam is eſt*, ait Ariſtoteles (*lib.4. Ethic. cap.3.*) *qui res honeſtas & præclaras, quamvis inutiles, fructuoſis anteponat*. Non implicat ſeſe multis negociis; propterea quod ſoleat ea multitudo complecti leviora. *Paucas res*, ſcribit Ariſtoteles (*cit. loc.*) *agit ille quidem, ſed magnas, & dignitatis plenas*. Tandem in inceſſu, in geſtu, in quovis motu corporis decorum tenet, & vocis atque orationis modum. Quod etſi cujuſque honeſti viri eſt proprium; at magnanimi multo magis. Qua de re hæc præcipiuntur a Tullio (*lib.1. Offic.*) *Cavendum eſt autem, ne aut tarditatibus utamur in greſſu mollioribus, ut pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur: aut feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates; quæ cum fiunt, anhelitus moventur; vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiam*. Tum vero de oratione, & voce (*cit. loc.*) *& quoniam magna vis orationis eſt, eaque duplex; altera contentionis; altera ſermonis; contentio diſceptationibus tribuatur judiciorum, concionum ſenatus: ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſetur . . . . . . Sed cum orationis indicem vocem habeamus; in voce autem duo ſequamur, ut clara ſit, ut ſuavis; utrumque omnino a natura petendum eſt: verum alterum exercitatio augebit; alterum imitatio preſſe loquentium, & leniter*.

XXXVII. Hæc eſt, quam deſcripſimus, magnitudinis animi forma quædam, eaque eximia ac ſplendida, ſed quæ raro apparet in terris. Quamquam enim una eſt; conſtat tamen ex multis virtutibus inſtar ingentium fluviorum, in quos multi fluvii delabantur & influant; immo conficitur ex eo, quod in quaque virtute excellit, ut dixi: itaque attollit animum, & inflammat ſtudio rerum maximarum, ex quibus etiam reſpublica multum capiat utilitatis.

XXXVIII. Velim autem omnes, atque in primis adoleſcentes erigant ſeſe, & ſperent fore, ut queant præclara quædam perficere, ſi velint. Enitantur igitur. Nam ſæpe magnum conatum inſperati exitus conſequuntur. Puto equi-

dem nunquam initio in mentem veniſſe aut Demoſtheni, aut Tullio, aut Socrati, aut Platoni, aut Ariſtoteli, aut aliis magnis viris, qui ſeu doctrinæ gloria, ſeu rerum præclare geſtarum deinde floruerunt, eo ſe perventuros, quo reipſa pervenerint. Contra haberemus plurimos non minus nobiles & illuſtres, ſi ad naturam addere induſtriam, diligentiamque voluiſſent. Quamobrem concludo cum Tullio (*lib.1. Offic.*) *Hæc præſcripta ſervantem licet magnifice, & graviter, animoſeque vivere; atque etiam ſimpliciter, fideliter, vitæque hominum amice*. Reſtat tandem, ut quæ ſint animi magnitudini finitima & propinqua vitia, dicamus.

XXXIX. Tria quidem ſunt genera eorum, qui hac in re nimii ſunt, præfidentes, ambitioſi, & inanis gloriæ appetentes, atque percupidi. Præfidentes nominantur ii, qui conſilia de magnis rebus gerendis non opibus & facultatibus ſuis, nec viribus metiuntur; ſed ea ſuſcipiunt, ad quæ idonei non ſunt; ſecus ac præceptum eſt ab Horatio (*de Arte Poetica*.)

. . . . *Verſate diu, quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri. . . .

Nam ratio vetat, quicquam conari, quod aſſequi nullo modo poſſis. Non tamen in vitio es, ſi paratum habes auxilium vel ab hominibus, vel a Deo. Quare videmus ab iis, qui ſanctitate florerent, plurima, & quidem magna eſſe geſta ope divina, quæ fieri non poſſe viderentur. Hæc vero non humana prudentia æſtimantur; at divina, qua ornantur ii, qui Deo ſunt pleni.

XL. Ambitioſi ſunt, qui nimio tenentur honoris ſtudio; quare ambitio definitur immoderata honorum cupiditas. In quo genere peccat is, qui honorem appetit cujuſpiam rei cauſa, ut doctrinæ, ut prudentiæ, ut nobilitatis, qua caret; aut majorem, quam mereatur; ut qui ſe excellentioribus præferat ob affluentiam divitiarum; vel qui magiſtratum ambit, munera, dignitates, quibus aut indignus eſt omnino, aut certe minus dignus, quam alii. Eos quidem non ventoſos modo, ſed etiam ſtultos judicat Ariſtoteles. *Elato animo viri*, inquit, (*Ethic. lib.4. cap.3.*) *& ſtulti ſunt, & ſe ignorant*

Digitized by Google

ſtant ipſi, *atque id aperte. Nam tamquam digni ſint, ea aggrediuntur, quibus laus & gloria propoſita eſt; deinde culpantur;* hoc eſt, ridentur & vituperantur ab omnibus; & quod ſibi gloriæ ſperabant fore, illud idem dedecori & infamiæ eſt cum odio, atque invidia populari, & ſæpe etiam jurgiis & maledictis. Nec ſibi tantum nocent, ſed etiam reipublicæ tumultu ac ſeditione, dum volunt ad honores obrepere. Nam jura cum humana, tum divina pervertunt, optimo cuique detrahunt, atque id extorquent a flagitioſis, quod a bonis viris non poſſunt conſequi. *Ex quo fit*, ait Tullius (*lib.* I. *Offic.*) *ut neque diſceptatione vinci ſe, neque ullo publico, ac legitimo jure patiantur. Exiſtuntque in republica plerumque largitores, & factioſi, ut opes quam maximas conſequantur, & ſint vi potius ſuperiores, quam juſtitia pares.*

XLI. Sed quæ ab ambitioſis, tumidis, inflatis pariantur mala, vix dici poteſt: ambitu dominante in civitate, exardeſcunt continuo rixæ, diſcordiæ, invidentia, temeritas, inſolentia, contemptio eorum, qui præſtant dignitate & gradu, ac tenuiorum multo magis. Familiaris autem eſt honorum contentio, quam miſeram eſſe ſcribit Tullius (*lib.* I. *Offic.*) *Miſerrima eſt*, ait, *omnino ambitio, honorumque contentio, de qua præclare apud eumdem eſt Platonem, ſimiliter facere eos, qui inter ſe contenderent, uter potius rempublicam adminiſtraret, ut ſi nautæ certarent, quis eorum potiſſimum gubernaret.* Cum quo illud ſæpe conjunctum eſt, ut ipſi ſoli velint gerere principatum, ſi poſſint. *Sed illud odioſum eſt, quod in hac elatione, & magnitudine animi facillime pertinacia, & nimia cupiditas principatus innaſcitur* (*cit. loc.*). Ex quo exiſtunt cædes, everſioneſque civitatum. Nulla eſt enim cum ambitione, juſtitiæ & æquitatis conſociatio. Itaque leges ſunt graviſſimæ a Romanis latæ de ambitu, ut Pœtelia, Cornelia, Bæbia, Calpurnia, Tullia, atque aliæ, quas deſcribit Paulus Manutius [*de Legibus Roman.*] & Gravina [*Orig. Jur. Civil. lib.* 3.] & fuſius Sigonius [*de Judic. lib.* 2. *cap.* 30.]

XLII. Inanis gloriæ cupidi ſunt ii primum quidem, qui in ſumma mendicitate præclare factorum gloriam captare ſtudent ex rebus, quæ non poſſint eam parere, ut ex divitiis, ex illuſtri genere; cum a virtute majorum quam lon-

longiſſime abſint, ex veſte, ex coma, ex ſalutationibus, ex iis etiam, quæ vulgo cærimoniæ nuncupantur, accepto, ut ſupra dixi, a ſacris nomine, in quibus ſi quid peccare videaris, ex ſententia hominum horum delicatiorum id facis, quod crimen eſt grave, dignumque prætore. Eos etiam audias de ſe multa prædicantes, geſtienteſque cernes lætitia, ſi forte in aſſentatorem incidant, qui plaudat. *Veſtitu*, ait Ariſtoteles (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 3.) *geſtu, aliiſque ejuſdem generis ſe comunt & ornant, ſuaſque res ſecundas notas volunt eſſe omnibus, ac de ſe ipſi prædicant, quod hæ res ſint ipſis honori futuræ, ac dignitati.* Non modo autem id non conſequuntur, quod volunt, id eſt gloriam, ſed riſum movent, & ſtomachum ſapientibus.

XLIII. Deinde inanis, & ventoſus eſt is, qui etſi in honeſtis factis, unam tamen ſibi apud homines gloriam, laudemque proponit; quippequæ nec firma, nec diuturna eſt; cum ab opinione pendeat imperitæ multitudinis, quæ & fallitur plerumque in judicando, & inconſtans eſt, atque mutabilis. Inanis gloriæ cupidum deſcribit Theophraſtus (*in Charact. cap.* 21.)

XLIV. Puſillus animus deeſt a modo in iis, quæ ſunt popria magnanimi. Itaque nihil conatur, moliturque, quod magnum ſit. Ardua enim putat omnia, factuque difficilia, ac ſuperiora viribus ſuis. Si quid ei gerendum proponas, difficultates providet, impedimenta, pericula, turbas, diſſidia, offenſiones, aliaque generis ejuſdem, timiditatemque & ignaviam ſæpe occultat prudentiæ nomine. Hoc quidem vitium, cum naturæ eſt, levius ferendum videtur; quamquam excitare oportet igniculos a natura datos exercitatione ac virtute; ſed cum eſt voluntatis, vituperatur maxime. Sunt enim, qui etſi excultum habent animum moribus & doctrina, ac poſſunt prodeſſe plurimis vel rebus præclare geſtis, vel adminiſtratione aliqua rerum publicarum; tamen quietis cauſa, & laboris ac moleſtiæ fuga, vivunt in receſſu ac latebris. Qui, ſi nihil gerant in ocio, quod nobili viro dignum ſit, jure culpantur; ſecus poſſunt eſſe nonnunquam laudabiles. Nam, ut Tullius ſcribit (*lib.* 1. *Offic.*) *multi .... & ſunt, & fuerunt, qui eam, quam dico, tranquillitatem expetentes, a negociis publicis ſe removerunt, ad*

otium-

Digitized by Google

etiumque perfugerunt. In his & nobiliſſimi philoſophi, longeque principes, & quidam homines ſeveri & graves, nec populi, nec principum mores ferre potuerunt: vixeruntque nonnulli in agris delectati re ſua familiari. His idem propoſitum fuit, quod regibus, ut ne qua re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur, cujus proprium eſt ſic vivere, ut velis.

XLV. Quibus autem convenire poſſit hoc vitæ genus, Tullius paullo poſt explicat (*lib.1. Offic.*) *Quapropter*, inquit, *& iis forſitan concedendum ſit rempublicam non capeſſentibus, qui excellenti ingenio, ocio, doctrinæque ſeſe dediderunt, & iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua graviore cauſa impediti a republica receſſerunt; cum ejus adminiſtrandæ poteſtatem aliis, laudemque concederent. Quibus autem talis nulla ſit cauſa, ſi deſpicere ſe dicant ea, quæ alii admirantur, imperia, & magiſtratus, iis non modo non laudi, verum etiam vitio dandum puto. Quorum judicium in eo, quod gloriam contemnant, & pro nihilo putent, difficile factu eſt non probare: ſed videntur tum labores, & moleſtias, tum offenſionum, & repulſarum quaſi quamdam ignominiam timere, & infamiam.*

XLVI. Arbitror tamen, fere non quærenda munera, ut ſupra dixi, ſed accipienda interdum, ſi deferantur; at nunquam repudianda ſunt, turpis ocii, & ignaviæ, & puſilli animi cauſa. Naſcimur enim ad laborem, & non nobis tantum, ſed etiam humanæ ſocietati, cui nos vel cum noſtro incommodo conſulere æquum eſt: cum incommodo, inquam: Nam adminiſtrationem ſuſcipere ad quietem, ad honorem, ad lucrum turpe eſt; ad labores autem perferendos, exantlandoſque quamplurimos, cum vires ſuppetunt, laudabile. Præclarum eſt illud Antigoni Macedonum regis ad Filium: *an ignoras, o Fili, regnum noſtrum eſſe ſplendidam ſervitutem?* (*apud Aguir. de Virt. & Vitiis diſp. 8. quæſt. 3. ſect. 4. num. 31.*)

XLVII. Eſt item fracti, humilis, abjecti ac puſilli animi proprium geſtiente lætitia, atque adeo inſolentia efferri in rebus proſperis, in adverſis deprimi. Nam tantillus animus ea magni facit, quæ ſunt minuta, hoc eſt, bona fortunæ, eaque omnia, quæ falſa ſunt, incerta, mobilia, caduca, quales ſunt res humanæ univerſæ; & cujuſque calami-

ta-

tatis ſpecie, quaſi obiecta re terribili, exalbeſcit, ut pueri ſolent, viſo ſpectro. Eſt itaque impotentis animi & puerilis, ut ita dicam, frangi cupiditate, itemque voluptate vinci, ut in ipſis puerulis videmus uſuvenire, qui cibi cujuſpiam dulcedine permoventur, & alliciuntur ad potiundum.

XLVIII. Quapropter erigamus animum, & quaſi e ſuperiori loco deſpiciamus id, quod homines humi defixi appetunt, & magnum ducunt, ut divitias, ut gloriam, ut voluptates; neque metuamus ea, quæ potius opinione mala ſunt, quam natura. Nam a cæleſti mente, & ad immortalitatem nata nihil in bonis, aut malis habendum eſt, niſi quod ſit in ſuo quoque genere ſempiternum. Qui nihil ſperant boni, niſi in terris, ii puſillo animo ſint, per nos licet.

CAPUT VII.

De Conſtantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Conſtantiæ contraria.

I. Conſtantia eſt immobile, atque invictum in conſiliis judicio ac ratione ſuſceptis animi robur adverſus ea, quæ extrinſecus impediunt & obſtant. Itaque conſtans dicitur is, qui nec minis, nec pollicitationibus, nec vituperatione, nec laude, nec oblatarum voluptatum illecebris, nec periculis, nec cruciatibus a voluntatis propoſito, quod æquitate & prudentia nititur, revocari poteſt. Ex quo conſequens eſt, conſtantem eſſe neminem, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem, qui infamiam timet, aliaque generis ejuſdem, quæ advenire poſſint extrinſecus. Quam quidem ob rem conſtantiæ non eadem, quæ perſeverantiæ, itemque patientiæ vis eſt, ac ratio. Nam harum duarum altera firmat animum contra difficultates, quæ ex actionis diuturnitate naſcuntur; altera contra calamitates, ærumnaſque, quæcumque accidant. Sed de utraque paullo poſt videbimus. Liquet autem in iis tantum conſiliis inhærere conſtantem virum, quæ prudenter, conſiderateque ſuſcepta cum ſint, honeſtum eſt & decet exequi,

aut

aut oportet omnino. Nam inanium rerum, & flagitioſarum nulla poteſt eſſe conſtantia, ut dicam. Porro etſi recenſere omnia, in quibus tenenda conſtantia ſit, neque neceſſe eſt, nec fieri poteſt hoc loco; pauca attingam tamen, quæ ad vitæ gravitatem, probitatemque utiliora videantur.

II. Itaque primum ea virtus cernitur in eo, quod ſemel delectum ſit prudenter & cogitato, vitæ genere retinendo. Sunt enim, qui obiectis quibuſdam ſalebris offendantur, & continuo a via, quam ingreſſi ſunt, ſtudeant declinare, ſi modo poſſint, progrediendi difficultate, incommoditateque perterriti. Quamobrem, quo funguntur, munere repudiato, ad aliud ſe conferunt, tum ad aliud, nec quieſcunt. Quod non modo inconſtantiæ eſt, ſed etiam inſcitiæ. Eſt enim intelligendum, in quovis vitæ inſtituto, in omni rerum adminiſtratione plura eſſe aſpera, dura, flexuoſa, in quæ quiſque incidat neceſſe eſt, præſertim ſi quod honeſtum ſit, id velit firmo ac toto pectore conſectari. Sapientis eſt, quicquid accidere poſſit, id præmeditari diligentius; tum in eo ſtare, quod ſit judicatum. Neque enim conſtantiæ & gravitatis eſt, nunc arti medicæ, nunc juriſprudentiæ, nunc militiæ, nunc mercaturæ operam dare: *Homo primum conſidera*, ſapienter ait Epictetus (*in Enchyr. cap. 26.*) *cujuſmodi ſit res. Deinde & naturam tuam inſpice, num ferre poſſis. Quinquertio eſſe vis, aut luctator? aſpice brachia tua, & femora; lumbos conſidera . . . . vigilare oportet, laborare, a familiaribus diſcedere, a ſervulo contemni, ubique inferiorem eſſe, in honore, in magiſtratu, in judicio, in omni negotiolo. Hæc vero conſidera, num pro his perturbationum vacuitatem, libertatem, tranquillitatem permutare velis. Quod ſit nolis, cave, ne puerorum inſtar, nunc philoſophus, deinde publicanus, poſtea orator, denique Cæſaris procurator fias.*

III. Audiuntur ſæpe eorum querimoniæ, qui ſuſcepto aliquo munere, dicunt ſe acerba quædam pati & propter labores & curas, quæ muneri adjunctæ ſunt, & propter improborum hominum temeritatem; quare malle ſe tam gravi provincia carere, quam diutius ſine ulla animi tranquillitate vivere: at ſi mature de re cogitaſſent, ac providenter, ventos ac procellas ita perſpicere potuiſſent, ut nihil novi, atque inopinati accidere videretur. Quocirca, ſiqui-

ſiquidem idonei ſint, habeantque adjumenta ad rem bene gerendam, ſtent in incœpto opere, enitanturque, ut animum muniant, fulciantque conſtantia, a qua, tamquam fluctus a ſaxo, rerum adverſarum impetus fracti debilitantur & concidunt.

IV. Quod dixi de vitæ genere, idem dico de inſtituto, quod tenere cœperis, pie, ſancteque vivendi. Qui enim conſtans eſt, ab eo ſe abduci non ſinit ulla irriſione, ullo metu, ulla ſpecie propoſita utilitatis & commodi: cum præſertim nihil poſſit eſſe tam utile, quam bene vivere, nihil tam formidandum, quam e virtutis via declinare; & qui primo ridetur propter inſignem probitatem, deinde moveat admirationem: *ſi philoſophiæ*, inquit Epictetus (*in Enchyr. cap.21.*) *te amor tenet, ſtatim accingere tamquam ridiculus futurus, tamquam multi te naſo ſuſpenſuri ſint, ac dicturi: repente philoſophus nobis rediit: & unde hoc nobis ſupercilium? Tu vero ne ſupercilium habe; ſed quæ tibi optima videntur, ita retine, tamquam qui a Deo in hunc ordinem ſis collocatus. Memento autem, ſi in illis perſeveres, eos, qui te antea deridebant, poſtea te admiraturos; & duplo majori riſu te exceptum iri, ſi illis vincaris.* Sed quamquam perpetua eſſet irriſio, non iccirco recta deſerenda via eſt, quod a dementibus illudaris.

V. Deinde conſtantia apparet in ſervanda fide ſemel data. Mori quidem forti animo viri, quam fidem fallere maluerunt, ut ſupra dixi: eſt enim promiſſis non ſtare inhoneſtum; niſi juſtæ cauſæ incidant, cur ea præſtare aut non poſſis, aut non debeas. *Nemo eſt igitur*, ait Tullius (*lib 5. de Finib.*) *qui non hanc affectionem animi probet, atque laudet; qua non modo utilitas nulla quæritur, ſed contra utilitatem etiam conſervatur fides.*

VI. Tum vir conſtans in eo ſpectatur maxime, quod ſtrenue, omnique conatu obſiſtat iniqua molientibus, nulla habita ratione periculorum, fortunarum, aut vitæ; cum aut innocentem aliquem, aut amicum, aut propinquos, aut religionis decus, ac reipublicæ ſalutem defendere neceſſe ſit; præſertim vero ſi eum gradum tenet, in quo qui eſt conſtitutus, is debet injuriam ab inſontibus propulſare.

VII.

Digitized by Google

VII. Tandem, ne multa commemorem, conſtantis animi robur oſtendit is, qui nulla vi induci poſſit ad legem violandam, aut faciendum aliquid, quod offendat optimum parentem Deum, ut ſcribit Lactantius (*Divin. Inſtit. lib.6. cap.17.*) *virtus*, inquit, *eſt conſtantia . . . . ut jubentibus facere nos contra Dei legem, contraque juſtitiam nullis minis, aut ſuppliciis terreamur, quominus Dei juſſionem hominis juſſioni præferamus*. Et paullo poſt: *hæc vera eſt conſtantia, in hoc tuenda & conſervanda ſolo, ut nullus nos terror, nulla vis a Deo poſſit avertere*.

VIII. Quoniam vero conſtantiam turbat & labefactat bonorum, aut malorum opinio, hæc quidem minuenda eſt, ac, ſi fieri poteſt, tollenda funditus. Itaque ſi a conſtantia diſcedimus ſpe boni, quid hoc ſit, oportet conſiderare, non quid videatur; nec quid ſenſus judicent, ſed quid ratio: *magni autem eſt ingenii*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib.1.*) *revocare mentem a ſenſibus, & cogitationem a conſuetudine abducere*. Quænam in terris bona reperiri poſſint, quibus magnus & excelſus animus, atque immortalis admodum moveatur; cum & caduca ſint omnia, & inania, & abjecta, & ad breve tempus duratura, præſertim in tanta infirmitate naturæ, ac vita pleniſſima moleſtiarum? Quam vero hæc vix apparent, ſi cum virtutis, iccircoque ipſius conſtantiæ ſplendore conferantur? Rurſus Tullius (*lib.2. Tuſc. qq.*) *hoc poſito*, inquit, *& verborum concertatione ſublata, tantum tamen excellit illud, quod recte amplexantur iſti* (Stoici) *quod honeſtum, quod rectum, quod decorum appellamus, quod idem interdum virtutis nomine amplectimur, ut omnia præterea, quæ bona corporis & fortunæ putantur, perexigua & minuta videantur*. At quid ſi ea ipſa bona cum bonis compares ſempiternis, quæ tamquam merces virtuti conſtituta ſunt?

IX. Malorum vero in diverſo quidem genere eadem eſt ratio. Nam & hæc levia ſunt, nec diuturna, & facile tolerantur honeſtatis cauſa, maxime propoſitis amplis quibuſdam emolumentis & fructibus. Ne mortis quidem metu, qui firmo eſt pectore, depellitur a ſententia: *non deterret ſapientem mors*, ſcribit Tullius (*lib.1. Tuſc. qq.*) *quæ propter incertos caſus quotidie imminet; propter brevitatem vitæ nunquam longe poteſt abeſſe*. Idque multo magis cum ſententia mu-

Digitized by Google

mutari non poteſt ſine peccato, quod ut fugias, omnes potius æquum eſt ferre cruciatus: *quid enim minus eſt dignum* (*Tullius lib.2. Tuſc. qq.*) *quam tibi quicquam pejus videri dedecore, flagitio, turpitudine? quæ ut effugias, quis eſt non modo non recuſandus, ſed ultro appetendus, ſubeundus, excipiendus dolor?*

X. Ita bonorum, ac malorum, quibus conſtantia frangitur, eſt magnitudo omnis in opinione, non in natura: immo nos ipſi ſæpe pericula fabricamur, ærumnas, calamitates, infamiam, & alia generis ejuſdem, quæ nulla ſunt; ac ſpectra pertimeſcimus, & inania viſa, quæ evaneſcunt dum contemnuntur: id monet Cicero (*Tuſc. qq. lib.5.*) *nos autem*, inquit, *omnia adverſa tum venientia metu augentes, tum mœrore præſentia, rerum naturam, quam errorem noſtrum damnare malumus.* Verum vir conſtans & ſapiens opinione non ducitur, ſed veritate: iccircoque cum bona, quæ ſunt in terris, tum mala contemnit. Liceat rurſus teſtem adhibere Ciceronem, qui ſic quidem ſcribit [*Tuſc. qq. lib.4.*] *is*; *quiſquis eſt, qui moderatione, & conſtantia quietus animo eſt . . . . is eſt ſapiens, quem quærimus, is eſt beatus, cui nihil humanarum rerum, aut intolerabile ad demittendum animum, aut minus lætabile ad efferendum videri poteſt: quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiuſque mundi nota ſit magnitudo? nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua vitæ brevitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, ut ei nihil improviſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino novum?* Quocirca ſapientia, & virtus conſtantiam parit, opinio & vitium enervat, planeque affligit.

XI. Sed firmum illud, atque indubium ſit, oportet, nullam eſſe conſtantiam, niſi cæleſti præſidio quaſi fundamento nitatur: imbecilla enim natura eſt, nec ex ſeſe ad irruentem impetum ſuſtinendum idonea; at Dei auxilio fulta, nulla vi concuti poteſt: quid enim eum terreat, quem Deus protegit ac tuetur? quamobrem qui Deum ut parentem timet, ut ſupra dixi, alium timet neminem: habet enim certiſſimum, præſentiſſimumque contra omnia, quæ obſtant, adjumentum.

XII.

Digitized by Google

XII. Omnes vero decet conſtantia, ſed in primis principes viros, atque eos, qui præſunt communitati: cum enim non poſſint cujuſque poſtulationibus ſatisfacere, quarum aliæ iniquæ ſunt, aliæ imprudentes, aliæ ineptæ; in multorum offenſionem facile incurrunt, cum optatis non annuunt, quibus eſt forti animo repugnandum, ne violetur juſtitia, ac communi bono noceatur. Quo efficitur, aptum non eſſe eum publicis obeundis muneribus, cujus animum non confirmat, roboratque conſtantia: quoniam nec auctoritatem retinebit, nec honeſtatem, & male conſulet cum privatæ, tum publicæ dignitati.

XIII. Nunc ad vitia venio conſtantiæ contraria, & primum ad illud, quod nimium eſt, & dicitur pertinacia, quæ facile in conſtantia, & animi magnitudine innaſci poteſt. Eſt autem pertinacia, quæ & pervicacia, & obſtinatio nominatur, immobilis ſententia in ſuſcepto conſilio, quod mutare honeſtum eſt, & decet, atque omnino oportet aliquando: cum enim res varientur, & quod modo bonum eſt, id contingat fieri deinde contrarium, idem ſemper conſilium, idemque propoſitum eſſe non debet; ac vitio dari poteſt, id velle perſequi, quod olim inchoaſſe laudi fuit. Verum ſunt homines, qui nullo modo deſiſtere velint ab incœpto, quicquid accidat, & vituperatum iri ſe putent, ſi ſecus faciant, quaſi cedere ac flecti nunquam non turpe ſit: eam ob rem, quam mutare voluntatem, malunt interdum jacturam facere non modo pecuniæ, reique familiaris, laboreſque perferre ac perturbate vivere, ſed etiam, quod ſtultum eſt, veram ſuſcipere infamiam apud ſapientes, ut falſam fugiant; immo eo progredi poteſt animi pervicacia, ut in diſcrimen adducatur etiam ſalus civitatis, reique publicæ. At non in factis modo poſita eſt pervicacia, ſed etiam in verbis; cum in communi colloquio id tenes, pugnaciſſimeque defendis, quod ſemel ſumpſiſti, nec pateris vinci te unquam; etſi aliquando adverſus rationem, veritatemque contendas. Nec vero prædurum ingenium ulla ratione, aut arte mollitur; præſertim cum ſuperbia, quæ obſtinationis eſt parens, miſeram quamdam menti afferat cæcitatem: qua quidem ſuperbia, inanique gloria ſublata, fere tollitur pertinacia. Itaque enitendum eſt, ut, dum conſtantiam ſequimur, modum teneamus,

& virtus quamquam firma, tamen tenera & tractabilis ſit, cum ratio præſcripſerit, eaque, qua nimium dureſcit, longe abſit elatio.

XIV. Contra pertinaciam ex adverſa quaſi parte adeſt inconſtantia modum deſerens, levitas, mobilitas, quæ quidem eſt conſilii, ſententiarumque inconſulta mutatio: naſcitur autem cum ab imprudentia, tum a cupiditate. Primum quidem ſunt, qui, cum temere ad rem aliquam aggrediantur, nec omnia provideant, quæ poſſint conſequi, nec neceſſariis præſidiis inſtructi ſint, inopinatis difficultatibus illaqueantur: quamobrem eos incepti pœnitet, atque id deſerunt, quod inſtitutum eſt. Item uſuvenit, ut qui minus periti ſunt rerum humanarum, nec edocti experientia magiſtra, animum ad ea tantum referant, quæ dura & incommoda eſſe videantur in quodam aut loco, aut munere, aut vitæ genere, nulla habita ratione commoditatum, quas interim percipiunt, aut percipere certe poſſunt, ſi velint: contra vero cernant commoda, quibus futurum putant, ut potiantur, mutatione officii, vel loci, non moleſtias, quas tunc etiam pati neceſſe ſit. Id quidem facere ſolent præſertim adoleſcentes ac juvenes, qui icirco inconſtantes ſunt, & mutationum cupidi, atque alia appetunt ſtudia, aliud collegium, aut ex eo migrationem in patriam domum, alios magiſtros ac præceptores, aut nullos aliquando, & cum domi ſunt, vellent eſſe ruri, & viciſſim, atque ex una re ad aliam tranſire.

XV. In hoc etiam vitium ſæpe incidunt ii, qui triſtitiæ ægritudine conflictantur: cum enim nuſquam quieti ſint, & perturbationis cauſam referant vel in eos, quibuſcum verſantur, vel in loca, in quibus degunt, vel in alia generis ejuſdem, ſolent eſſe mutabiles, nec ſatis attendunt ad dictum illud Horatii (*Epiſt.* 11. *lib.*1.)

Cœlum, non animum mutant, qui trans mare currunt.

XVI. Sed nulla eſt frequentior inconſtantiæ cauſa, mutandique conſilii, quam cupiditas, quippequæ animum ciet, & cum varia ſit, & multiplex, & inconſiderata, ſecumque diſcordans, huc, atque illuc impellit, ut navim ſolent venti, fluctuſque concitati; quapropter inconſtantes ſunt omnes impro-

probi: neque enim vitio & cupiditate dominante, cujus temerarius & efferatus eſt impetus, poteſt ea, quæ gravitatem auctoritatemque tueatur ſuam, teneri conſtantia, immo nec ipſa ſtat ratio, quippe quæ tot motibus concuſſa, atque fracta maxime perturbatur: *concitatus* [animus] ait Tullius (*lib.4. Tuſc. qq.*) *& abſtractus ab integra, certaque ratione non conſtantiam ſolum amittit, verum etiam ſanitatem.*

XVII. Dedecet autem omnes mobilitas & inconſtantia, ſed in primis principes viros, atque eos, qui præſunt hominum ſocietati: evertit enim id, quo maxime omnis nititur gubernatio, auctoritatem, omninoque tollit judicii, & prudentiæ, honeſtatiſque laudem, quæ ſummopere neceſſaria eſt in regenda communitate. Tamquam inſtabilis ac varius reprehenſus eſt Domitianus; nec mirum eum levem fuiſſe, qui ſoleret quotidie aliquod ſibi tempus ſumere, quo muſcas captaret, ac præacuto ſtilo configeret (*apud Suetonium in Domitiano cap.3.*)

XVIII. Principum inconſtantia ex eo oritur aliquando, quod, vel cum rerum ignari ſint, nec valeant prudentia, vel nimium faciles, & dulciores, quam oporteat, non vivunt judicio ſuo, ſed alieno nutu, qualis fuit Galba, qui, ut ſcribit Suetonius (*in Sergio Galba cap. 14.*) *regebatur trium arbitrio, quos una, & intra palatium habitantes, nec unquam non adhærentes, pædagogos vulgo vocabant . . . His diverſo vitiorum genere graſſantibus adeo ſe abutendum permiſit & tradidit, ut vix ſibi ipſi conſtaret: modo acerbior, parciorque, immo remiſſior ac negligentior, quam conveniret principi electo, atque illius ætatis.*

XIX. Medetur autem, ut cupiditati & imprudentiæ, ita levitati philoſophia præſertim chriſtiana, qua animus ſibi conſtat, & cohæret immobilis; ac tum illa quidem valet multum, *cum*, ut Tullius ſcribit (*lib. 2. Tuſc. qq.*) *eſt idoneam complexa naturam*: quoniam recta ratio quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim conſtantiæ; neque ſinit eam circumduci levitate, cujus turpitudo comperta ſane cuique eſt, ſed maxime ſapienti: nam leve caput, atque inſtabile, inſtar arundinis vento circumactæ, nullius eſt omnino pretii, nihilque eo videtur eſſe contemptius.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

De Patientia, ac de Vitiis, quæ ſunt Patientiæ contraria.

I. Patientia *eſt*, ut definit Tullius (*de Invent. lib.2.*) *honeſtatis, aut utilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*. Debet primum perpeſſio eſſe voluntaria: talis enim ſit cujuſque virtutis actio neceſſe eſt, quoniam honeſtas non in rebus ineſt, ſed in voluntate. Quapropter qui fert quidem adverſa, at invitus, & repugnanter, is patiens dici nullo modo poteſt. Ex quo conſequens eſt, eum non eſſe patientem, qui mala non tolerat ſine querimoniis, qui fortunam accuſat, aut homines, qui omnibus notas vult eſſe ærumnas ſuas, aut ſaltem amicis & familiaribus, eorum ſimilis, qui aurum ſpargunt ac diſſipant: item qui mœrorem, triſtitiamque præfert abiectione vultus, & oculorum, atque obmuteſcit graviſſima quadam triſtitiæ nube involutus, ex quo non modo ægrotatio, ſed mors ipſa aliquando conſecuta eſt; qui vitioſas affectiones non comprimit, ut odium, ut iracundiam: etenim patientia linguam regit, affectiones continet, vultumque componit, habetque comites ſilentium, hilaritatem, manſuetudinem, lenitatem: his vero qui caret in malis, ſatis indicat, ea ſe non ferre toleranter, non ſponte, non voluntate.

II. Neque tamen is ſum, qui velim ne leviter quidem ullis ærumnis, ullo morbo, ulla ægritudine commoveri ſapientem: Stoicorum hæc eſt patientia, quæ fere nuſquam reperitur in terris: nam calamitatibus, & doloribus repugnat natura: ſed dico, triſtitiam eſſe ita moderandam, ut emineat animi robur & magnitudo, & alacritas quædam, qua fluctus, tempeſtateſque contemni videantur, ſitque perpeſſio voluntaria. Neque illud vetandum omnino eſt viro patienti, ne ullo unquam gemitu paullum, & cum modo patefaciat dolorum acerbitatem; cum quippe exprimit aliquan-

quando ipſa natura; at ſemper dedecet ejulatus, & mollis ac muliebris quædam vociferatio: immo vir fortis ſe ab omni gemitu continebit: *Sed hoc quidem*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib.2.*) *in dolore maxime eſt providendum, ne quid abjecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid ſerviliter, muliebriterve faciamus . . . ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idque raro; ejulatus ne mulieri quidem, & hic nimirum eſt fletus, quem duodecim tabulæ in funeribus adhiberi vetuerunt. Nec vero unquam ne ingemiſcit quidem vir fortis ac ſapiens; niſi forte ut ſe intendat ad firmitatem, ut in ſtadio curſores exclamant quam maxime poſſunt. Faciunt idem, cum exercentur athletæ.*

III. Propter animi æquabilitatem in rebus cum proſperis, tum adverſis maxime laudatus eſt Socrates: *hic eſt enim ille vultus*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib.3.*) *ſemper idem, quem dicitur Xantippe prædicare ſolita in viro ſuo fuiſſe Socrate, eodem vultu ſemper ſe vidiſſe exeuntem illum domo, & revertentem: nec vero ea frons erat, quæ Marci Craſſi illius veteris, quem ſemel ait in omni vita riſiſſe Lucilius, ſed tranquilla, & ſerena: ſic enim accepimus.* Quod argumentum eſt etiam perpeſſiones, ærumnaſque fuiſſe Socrati voluntarias.

IV. Deinde patientia perpeſſio quædam eſt diuturna: nam habitu continetur; quem efficit uſus & conſuetudo: nec vero ad eam virtutem neceſſaria eſt, conſtans calamitatum, dolorumque continuatio, at ſatis eſt, ſi animus ſit ita comparatus, ut velit ſemper, quæ accidunt, quamquam dura, ea libenter pati, atque honeſtos labores forti pectore tolerare. Non tamen eſt dubitandum, quin patientia actione potius, & uſu confirmetur & creſcat, quam voluntate, quippequæ non ſemper habet efficacitatem.

V. Tum patientiam neceſſe eſt perpeſſionem eſſe rerum difficilium & arduarum: quoniam non magna virtute opus eſt ad minuta ac levia pacato animo perferenda. Nihilominus & in minimis eſt, ac quotidianis patientiæ locus, quæ niſi aſſueſcas ferre toleranter, nunquam futurum eſt, ut patiens poſſis evadere: nam quæ magna ſunt & gravia, ea perraro contingunt, & leviora ſingulis fere momentis: virtus autem nonniſi conſuetudine comparatur; & conſuetudo patiendi maxime efficitur ex iis, quæ frequenter & quotidie ac-

Digitized by Google

accidant, noſtra repugnante natura. Itaque eorum fugiendus eſt error, qui ſingulari quadam patientia ſe præditos putant eſſe, propterea quod res adverſas, futuras illas quidem, quas animo proſpiciunt, apud ſe ſtatuunt pro nihilo velle ducere, atque alacriter & conſtanter pati, cum interim vel muſcæ unius morſu moveantur ac perturbentur, eorum ſimiles, qui ſe hoſtium copias everſuros, arceſque minitantur, cum domi ſunt; at excitata inter paucos rixa pallent, ac fugiunt.

VI. Tandem patientia eſt voluntaria perpeſſio honeſtatis, aut utilitatis cauſa: cave tamen ne putes, hoc loco utile ab eo, quod honeſtum eſt, diſtrahi: hoc enim fieri nunquam poſſe, & nos diximus (*lib.1. cap.3.*) & Tullius ipſe luculenter, copioſeque confirmat (*lib.3. Offic.*) Quamobrem qui fert quidem adverſa, ſed lucri cupiditate, aut honoris & gloriæ, aut duritate naturæ, is non patiens eſt judicandus, ſed avarus, ſed ſuperbus, ſed durus ac ſtupidus. Ad hæc id æquabile non eſt, idcircoque nec in virtute ponendum, quod non regitur firma ratione, ſed inſtabili quodam, ac vario animi motu: itaque ſcribit Tullius [*Tuſc. qq. lib.2.*) *in primis meditemur illud, ut hæc patientia dolorum, quam ſæpe jam animi intentione dixi eſſe firmandam, in omni genere ſe æquabilem præbeat: ſæpe enim multi, qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriæ, aut etiam ut jus ſuum, & libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter, & tulerunt, iidem omiſſa contentione dolorem morbi ferre non poſſunt: neque enim illum, quem facile tulerant, ratione, aut ſapientia tulerant, ſed ſtudio potius, & gloria. Itaque barbari quidam, & immanes ferro decertare acerrime poſſunt, ægrotare viriliter non queunt. Græci autem homines non ſatis animoſi, prudentes, ut eſt captus hominum, ſatis hoſtem aſpicere non poſſunt, ſed iidem morbos toleranter, atque humane ferunt. At Cimbri, & Celtiberi in prælio exultant, lamentantur in morbo: nihil enim poteſt eſſe æquabile, quod non a certa ratione proficiſcatur.*

VII. Quid ſit patientia, dixi hactenus: quam vero neceſſaria ſit, compertum cuique eſt: quandoquidem frequentiſſimæ & quotidianæ incidunt cauſæ patiendi. Quam multæ ſint, & quam graves ægritudines corporum, & animorum, omnes intelligunt, & fere ſentiunt: *aderit enim malorum*, ait Tul-

Tullius (*Tuſc. qq. lib.5.*) *ſi mala illa dicimus, turba quædam paupertas, ignobilitas, humilitas, ſolitudo, amiſſio ſuorum, graves dolores corporis, perdita valetudo, debilitas, cæcitas, interitus patriæ, exilium, ſervitus*, quæ omnibus ſunt communia, etiam ſapienti, ut Cicero pergit ſcribere: *denique in his tot & tantis, atque etiam quæ plura poſſunt accidere, poteſt eſſe ſapiens*. Ex quo extitit fabellæ locus de malis, amplo quodam in dolio concluſis, quo aperto, Pandora eorum genus omne in terras, ac maria longe, lateque diſſeminavit ac ſparſit, ut ſcribit Heſiodus (*Opera, ac Dies lib.1. v.94.*)

At mulier digitis dum tollit opercula vaſi,
Omne malum lædens homines grave ſparſit in orbem.
Sola ibi ſe in firmis tenuit ſpes ædibus; intus
Pixidis ad labrum latitans non evolat extra.
Atque etiam citius rurſum vas tegmine clauſit,
Conſilium mentemque Jovis Pandora ſecuta.
In terram exilit reliquum genus omne malorum.
Hinc mare nunc illis eſt plenum, plenaque terra,
Nocte, dieque homines miſeros invadere nunquam
Exangues ceſſant morbi mala multa ferentes,
Et tacite adveniunt . . . . . .

Nihil tandem eſt, quod nos moleſtia afficere non poſſit in terris, æſtus, ac bruma, imbres, turbines, tempeſtates, venti, animalia, eorum mores, quibuſcum vivimus, præſertim domeſticis ac familiaribus; nobis ipſi infenſi ſumus & graves: turbat enim animum iracundia, ſuperbia, intemperantia, triſtitia, metus, cupiditas divitiarum, aliique motus, qui quo altius hærent in viſceribus, perturbationem concitant eo graviorem. Si deſunt res adverſæ, terremur umbris, & viſis inanibus. Semper igitur, & fere ad omnia præſto ſit patientia neceſſe eſt, & ubique in civitate, in ſolitudine, foris, ac domi, ſeu contrahas quicquam, ſeu præſis familiæ, ſeu magiſtratum geras, in familiaritatibus, in colloquiis, in amicitiis. Sed in quibus maxime cernatur, enodatius explicandum puto.

VIII. Primum apparet in tolerandis laboribus, qui honeſti ſint, hoc eſt, utiles, aut neceſſarii ad comparanda or-

Digitized by Google

namenta virtutum, ad ſalutem cum hominum ſingulorum, tum in primis reipublicæ. Quod iis potiſſimum cordi debet eſſe, qui publicis funguntur muneribus, ut ſuſceptam provinciam utiliter, fructuoſeque adminiſtrent, nec abjiciant animum, etſi quotidie quammulta perferenda ſint aſpera, dura, incommoda, & contraria naturæ: niſi enim in patientia obdureſcant, vel munus negligent ſuum, vel deſerent, & otioſam vitam, quæ proſit nemini, actuoſæ, operoſæque anteponent, quæ magno ſit bono communitati.

IX. Tum magna laus eſt patientiæ in modice, pacateque ferendis corruptis ac perverſis hominum moribus, ac vitiis, quæ aut naturæ ſunt, aut voluntatis. Enitendum quidem quoad fieri poteſt, ut ea corrigantur, quæ prava, ac diſtorta ſint; ſed velle, hæc nuſquam reperiri in terris, nec ferre poſſe, moroſi hominis eſt, difficilis, & ignari rerum humanarum. Quouſque erunt homines, intelligendum eſt, eorum ſemper plures fore improbos, imprudentes, præcipites, temerarios, qui ex republica, & civili ſocietate expelli & exterminari non poſſunt. Eam ob rem qui præſunt, etſi interdum utantur oportet ſeveritate, cum acriori increpatione, aut pœnis opus eſt omnino ad peccandi libidinem comprimendam maxime in perniciem aliorum; nihilominus non eſt dubitandum, quin fere homines tolerando, alliciendoque multo facilius ad obediendum adducantur, revocentur ad ſanitatem, eamque conſtantius tueantur; cum & feræ, quæ ceteroquin non adeo retinentes ſunt libertatis ſuæ, ut homines, cibo potius, & blanditiis, & familiaritate manſueſcant, quam verberibus & ſævitia.

X. Nec vero ea tantum vitia æquo animo ferenda ſunt, ex quibus noſtra aut res familiaris, aut fama nihil detrimenti capiat, aut vita, & valetudo; ſed & illa, quibus nobis noceatur, atque inferatur injuria, quam propulſare, & ulciſci, ut non fortis eſt, ita nec patientis viri. *Maledicenti*, ait Lactantius [*Divin. Inſt. lib.6. cap.18.*] *bene dicto reſpondeat* (homo juſtus) *nunquam ipſe maledicat, nec verbum malum procedat ex ore hominis, qui colit verbum bonum. Quin etiam caveat diligenter, ne quando inimicum ſui culpa faciat; & ſi quis extiterit tam protervus, qui bono, & juſto faciat injuriam, clementer ac moderate ferat, & ultionem*

ſuam

Digitized by Google

ſuam non ſibi aſſumat, ſed judicio Dei reſervet. Innocentiam ſemper, & ubique cuſtodiat. Quod præceptum non ad hoc tantum valet, ut ipſe injuriam non inferat, ſed ut illatam ſibi non vindicet: ſedet enim maximus, & æquiſſimus judex, ſpeculator, ac teſtis omnium. Hunc homini præferat, hunc malit de cauſa ſua pronunciare, cujus ſententiam nemo effugere poteſt nec defenſione cujuſquam, nec gratia. Sed de tolerandis injuriis videbimus alio loco.

XI. Non modo aliena vitia quiſque debet patienter pati, ſed etiam ſua: quæ voluntatis ſunt, ac bonis moribus, honeſtatique contraria, ea quidem oportet extirpare radicitus, & diligenter ac ſtudioſe cavere; quamquam ſi in aliquod ejus generis lapſus ſis, non iccirco debes per intolerantiam committere, ut acceptum ex eo lapſu vulnus recrudeſcat, ſed pacate, ac prompte ei mederi pœnitendo, adhibita cautione, ne quid ſimile contingat in poſterum; at ſi culpa naturæ eſt, corrigenda quidem pro viribus, quandiu tamen hæret infixa, toleranter ferenda eſt: nihil eſt enim facilius homini quam labi, & naturæ vitiis graviter confligari.

XII. Deinde cernitur patientia in morbis, ac doloribus, qui cum intimi ſint, pungunt animum, excruciantque vehementius: quare videmus, qui rebus aliis adverſis minus permoventur, eos maxime perturbari dolore, ac morbis debilitari, frangi. *Heracleotes quidem Dionyſius, cum a Zenone fortis eſſe didiciſſet*, ut eſt apud Tullium (*Tuſc. qq. lib. 2.*) *a dolore deductus eſt: nam cum ex renibus laboraret, ipſo in ejulatu clamitabat, falſa eſſe illa, quæ antea de dolore ipſe ſenſiſſet; quem cum Cleantes condiſcipulus rogaret, quænam ratio eum de ſententia deduxiſſet, reſponditt, quia cum tantum operæ philoſophiæ dediſſem, dolorem tamen ferre non poſſe, ſatis eſſet argumenti malum eſſe dolorem: plurimos autem annos in philoſophia conſumpſi, nec ferre poſſum.* Et certe Stoica præcepta dolorem homini non eripiunt, nec ad eum libenti animo ferendum juvant. Accedit, quod dolores, & morbi corporum impediunt agendi facultatem, quod cum omnibus, tum iis præſertim moleſtum eſt, qui negocioſi ſolent eſſe, & rebus plurimis occupari: privant etiam plerumque iis jucunditatibus, quibus animi plurimum delectantur. Itaque

eo laudabilior eſt in morbis & doloribus patientia, quo illi difficiliores ſunt ad tolerandum. Huc pertinent aliæ res adverſæ omnes, quarum multæ tanta moleſtia homines afficiunt ac tam gravi triſtitia, ut illis aut ægrotationem afferant, aut necem. His quidem malis occurrit, medeturque patientia.

XIII. Tandem verſatur ea virtus in affectionibus continendis ac moderandis: quamquam enim id potius fortis eſt, ac temperantis; tamen & patientia opus eſt ad earum impetum tranquille & leniter ſuſtinendum, qui paulatim facilius, quam vi, frangitur patientiâ, & ſenſim diſſipatur & evaneſcit: qui enim perturbationes, quæ innaſcuntur in animo, neſcit pati, non eas tollit, ſed auget. Quod non ita accipias, quaſi ſtrenue repugnandum non ſit turpi cuique cupiditati, verum id volo, nunquam abjiciendam eſſe quietem ac tolerantiam, in quam ſi æſtus incidat concitatæ affectionis, vim remittit ſuam, ac deferveſcit. Quid ſit patientia, quam neceſſaria, & in quibus cernatur, hactenus: ea nunc exponam, quæ ad illam comparandam, & conſervandam valent.

XIV. In primis autem neceſſaria eſt recta, ſtabilis ac firma ratio, quæ res perpendat attentius, & non modo cernat præſentia, ſed & futura, & conſequentia perſpiciat: *rationem*, ait Epictetus (*Sententia* 118.) *tamquam bonum medicum in infortunio adjutorem invocare oportet*. Hæc eſſe debet erecta, & gradum tueri ſuum, & dignitatem, atque imperii auctoritatem retinere, & partem aliam, quæ in nobis ineſt, natura mollem, demiſſam, humilem, enervatam quodammodo, & languidam ſuſtentare, &, ſi opus ſit, ejus refrenare temeritatem. *Præſto eſt*, ait Tullius [*Tuſc. qq. lib.* 2.] *domina omnium, & regina ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longius, fit perfecta virtus. Hæc ut imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum eſt viro. Quonam modo, inquies? velut ſervo dominus, velut imperator militi, velut parens filio*. Magna quidem vis eſt rationis ad mala, quæ dicuntur eſſe, non iniquo animo toleranda.

XV. Multa autem ſuggerit ratio, quibus ærumnarum ſenſus leniatur, ſi tolli non poteſt omnino propter infirmitatem naturæ; nec illud poſtremum eſt, inutile eſſe mœre-

re

Digitized by Google

re, flere, lacrymari, in ſquallore ac ſordibus contabeſcere: immo idem perniciosſum: nam dolendo exaggerantur mala, non minuuntur: adde, & *ſummam eſſe ſtultitiam*, ut Tullius ſcribit [*Tuſc. qq. lib.* 3.] *fruſtra confici mœrore, cum intelligas, nihil poſſe profici.* Contra toleratio, animique contentio moleſtiam aut abſterget, aut efficit multo leviorem: *ut enim ſit in prælio*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib.* 2.) *ut ignavus miles ac timidus, ſimul ac viderit hoſtem, abjecto ſcuto fugiat, quantum poſſit, ob eamque cauſam pereat nonnunquam, etiam integro corpore, cum ei, qui ſteterit, nihil tale evenerit: ſic qui doloris ſpeciem ferre non poſſunt, abjiciunt ſe, atque ita afflicti & exanimati jacent: qui autem reſtiterunt, diſcedunt ſæpiſſime ſuperiores: ſunt enim quædam animi ſimilitudines cum corpore, ut onera contentis corporibus facilius feruntur, remiſſis opprimunt: ſimillime animus intentione ſua depellit preſſum omnem ponderum; remiſſione autem ſic urgetur, ut ſe nequeat extollere.* Ex quo extat illud Horatii (*lib.* 1. *Od.* 20.)

Durum; ſed levius ſit patientia
Quicquid corrigere eſt nefas.

Non imitandi pueri, qui parti læſæ manum admoventes vociferantur, ſed adhibenda medicina eſt, quæ ad ſanationem opportuna videatur (*vid. Plutarchum de Conſolatione ad Apollonium*)

XVI. Itaque imprudentis eſt, ne dicam, ſtulti adverſus neceſſitatem velle pugnare; ei oportet non intolerantiam objicere, non deſperationem, non rabiem, non triſtitiæ quaſi nubem, non iracundiam, ſed eniti, ut emineas animi magnitudine, qua nihil eſt, quod vinci & ſuperari non poſſit: animus enim eſt quidpiam excelſum, & deſpicit, ſi velit ac ſe noverit, quæ infra ſunt omnia, non fortunas modo, ſed & cruciatus, & mortem, propoſita ſibi honeſtate, cujus forma perſpecta, eam omni ſtudio conatur attingere ad potiundum, nec minis, nec ærumnis, nec cruciatibus, nec morte a propoſito deterretur. *Ad ferendum igitur dolorem* (adde moleſtias, calamitates, adverſas res omnes) *placide, & ſedate,* ait Tullius [*Tuſc. qq. lib.*2.] *plurimum proficit, toto pe-*
cto-

Etre, ut dicitur, cogitare, quam id boneſtum ſit: ſumus enim natura, ut ante dixi [dicendum eſt enim ſæpius] ſtudioſiſſimi, appetentiſſimique boneſtatis; cujus ſi quaſi lumen aliquod aſpexerimus, nibil eſt, quod, ut eo potiamur, non parati ſimus & ferre, & perpeti. Tum profert eorum exempla, quorum in duris rebus, atque aſperis magna fuit alacritas, & patientia: ſcribit enim (*cit. loco*) *ex hoc curſu, atque impetu animorum ad veram laudem, atque boneſtatem illa pericula adeuntur in præliis. Non ſentiunt viri fortes in acie vulnera, vel ſentiunt, ſed mori malunt, quam tantillum modo de dignitatis gradu dimoveri. Fulgentes gladios hoſtium videbant Decii, cum in aciem eorum irruebant. His levabat omnem vulnerum metum nobilitas mortis, & gloria. Num tum ingemuiſſe Epaminondam putas, cum una cum ſanguine vitam effluere ſentiret? imperantem enim patriam Lacedæmoniis relinquebat, quam acceperat ſervientem. Hæc ſunt ſolatia, bæc fomenta ſummorum dolorum.*

XVII. Quod ſi tam multi aut pudore, aut gloria, aut habendi cupiditate inducuntur ad patiendum, id non faciet ſapiens ſtudio honeſtatis, qua nihil eſt, quod magis velit, appetatque natura? Quin vero, quæ dura ſunt, ea ferre toleranter, ſit honeſtiſſimum, nullo modo eſt dubitandum: rurſus Cicero (*Tuſc. qq. lib. 2.*) *Inter omnes igitur hoc conſtat, nec doctos homines ſolum, ſed etiam indoctos, virorum eſſe fortium, magnanimorum, & patientium, & humana vincentium toleranter dolorem pati. Nec vero quiſquam fuit, qui eum, qui ita pateretur, non laudandum putaret. Quod ergo & poſtulatur a fortibus, & laudatur, cum ſit, id aut extimeſcere veniens, aut non ferre præſens, nonne turpe eſt?* Hanc etiam turpitudinem ac labem, quam ſuſcipit is, qui ſuccumbit, ut repellat animus, ſibi imperat, erigit ſe, ſuſcitat, confirmat hoc fere intimo quodam ſermone (*apud Tullium Tuſc. qq. lib. 2.*) *cave turpe quicquam, languidum, non virile.* Tum vero hinc honeſtas & gloria, inde turpitudo & vituperatio ad patientiam firmitatemque roborat ſapientem.

XVIII. Confert item plurimum ad patientiam, nihil rerum humanarum magni ducere, non fortunas, non opes, non famam, non dignitates, & putare, nihil ad nos pertinere eorum, quæ in noſtra non ſint poteſtate; ex quo conſe-

quens

Digitized by Google

quens erit, ut his amiſſis aut nihil doleamus, aut parum. *Quod ſi*, ait Epictetus (*Enchir. cap. 1. num. 4.*) *in aliquo eorum verſetur* [aſperum viſum, ſeu quod dicitur infortunium] *quæ in noſtra poteſtate non ſunt, promptum hoc eſto: nihil ad te*. Nihil eſt autem in nobis ſitum præter opera, quæ ſolum noſtra ſunt; cætera vero non ita. *In noſtra ſunt poteſtate*, ait Epictetus (*cit. loc.*) *opinio, impetus, appetitio, declinatio, atque uno verbo quæcumque noſtra ſunt opera: in noſtra poteſtate non ſunt, corpus, poſſeſſio, gloria, magiſtratus, atque uno verbo quæcumque noſtra opera non exiſtunt*; & ea quidem, quæ prioris ſunt generis, ait eſſe libera, & impediri non poſſe; ſecus quæ poſterioris. Tum hoc tradit egregium monitum (*cap. 1. num. 2.*) *Memento igitur, ſi quæ natura ſerva ſunt, libera putâris, & aliena, propria; fore, ut impediaris, lugeas, turberis, Deos, atque homines incuſes; ſin id, quod tuum eſt, ſolum tuum eſſe putâris, & quod alienum, uti revera eſt, alienum, nemo te coget unquam, nemo te impediet, non incuſabis quemquam, nec culpabis, invitus nihil ages, nemo te lædet, inimicum non habebis: neque enim quicquam, quod lædat, patieris*. Efficit autem ex his (*cap. 2.*) nihil appetendum eſſe, aut formidandum, quod non eſt in nobis ſitum; aliter nos infortunatos fore; nam triſtari neceſſe eſt eum, qui conſequi id non poſſit, quod appetit, aut qui in id incidit, quod formidat. Quapropter & ſcribit Tullius (*Tuſc. qq. lib. 5.*) *inducant animum, illa, quorum ſplendore capiuntur, vires, valetudinem, pulchritudinem, divitias, honores, opes contemnere, eaque, quæ his contraria ſint, pro nihilo ducere. Tum poterunt clariſſima voce profiteri, ſe neque fortunæ impetu, nec multitudinis opinione, nec dolore, nec paupertate terreri*. Verum hoc patientiæ & ſolatii genus non in vulgares homines cadit, minutos, demiſſos, ſed in erectos, ſed in fortes, ſed in magnanimos, quales omnes eſſe æquum eſt, qui Chriſtum ſequuntur ducem, a quo edocti ſunt contemptionem rerum humanarum, quæcumque illæ ſint, aut proſperæ, aut adverſæ: nam reipſa nihil habent, quod magni faciendum, aut valde metuendum videatur.

XIX. Quo efficitur, nos ſæpe non rebus, ſed rerum opinionibus perturbari: ſapienter Epictetus (*Enchir. cap. 5.*) *Per-*

Perturbant homines, inquit, *non res ipſæ, ſed de rebus opiniones. Ut mors nihil terribile eſt, alioquin & Socrati hoc viſum fuiſſet; ſed opinio de morte, quod terribile aliquid ſit, hoc eſt illud terribile. Cum igitur impedimur, aut perturbamur, aut triſtamur, nunquam alium incuſemus, ſed nos ipſos, hoc eſt, noſtras opiniones*. Locum fere habet opinio in malis externis, in amiſſione fortunarum, liberorum, munerum, aliorumque generis ejuſdem, ſine quibus tranquille, pacateque licet vivere; & quod ad fortunas attinet, ſatis eſt naturæ parum, & tenujorum hominum conditio vacat moleſtiis & curis, quæ ſolent comites eſſe divitiarum ac dignitatum: quo fit, ut ſæpe pauperes læti ſint, & vulgari cibo quaſi exquiſitiſſimis dapibus delectentur; eſt enim optimum obſonium, & condimentum fames: quamobrem multi, divitiis, opibuſque contemptis, ad paupertatis ſinum ſe conferunt. Sunt etiam quibus & patriam, & ſanguine, & amicitia conjunctos deſerere non ſit moleſtum & grave, etſi nunquam redituris. Rurſus illi iidem, quibus hæc, & ejuſmodi alia initio non ferenda videbantur, progrediente tempore triſtitiam abjiciunt plane omnem, nimirum cum fuerit diſcuſſa opinio, ac forma deleta illa triſtis, qua primum objecta perculſa mens & afflicta eſt; & cœperit ratio excitari, nubemque diſcutere circumfuſam, & videre, quæ erepta ſint aut injuria hominum, aut caſu, & temeritate fortunæ, aliave cauſa, ea tandem neceſſaria non eſſe ad tranquille ac bene vivendum. *Senſim enim*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib. 3.*) *& pedetentim progrediens extenuatur dolor: non quo ipſa res immutari ſoleat, aut poſſit; ſed id, quod ratio debuerat, uſus docet, minora eſſe ea, quæ ſint viſa majora*. Quod autem vel in vulgaribus hominibus facit procedens dies, cur ratio non faciat in ſapiente, ſi quærat conſolationis argumenta, compreſſis, quoad fieri poteſt, motibus, qui ſubito concitantur? & ſecum reputet, malum eſſe voluntarium, & in opinione poſitum, non in natura, quod, etſi manet idem, tamen progrediente ætate aut nullo modo animum pungit, aut valde parum. Deinde vel ita animatus es, ut velis ſtatuere aliquando triſtitiæ modum, aut nunquam; ſi poſtremum hoc; igitur vis miſer eſſe in omne poſterum tempus, quod ſtulti eſt; ſi primum illud; cur id, quod malum eſt [eſt autem tri-

Digitized by Google

triſtitia, & ægritudo mala] non ſtatim abjicis ac repellis, adhibita medicina, quam allatura eſt dies? (*vide Plutarchum de Conſolat. ad Apollonium*)

XX. Ad mitigandum futuræ calamitatis ſenſum valet ètiam præmeditatio: *etenim*, ſcribit Tullius (*Tuſc. qq. lib.3.*) *mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis, quibus medetur dies: niſi quod ratio quædam ſanat illos, hos ipſa natura, intellecto eo, quod remedium illud continet, malum, quod opinatum ſit eſſe maximum, nequaquam eſſe tantum, ut vitam beatam poſſit evertere.* Ac ſubita quidem videntur eſſe majora *ob duas cauſas*, ait Tullius (*ibid.*) *primum, quod quanta ſint, quæ accidunt, conſiderandi ſpatium non datur: deinde cum videtur præcaveri potuiſſe, ſi proviſum eſſet, quaſi culpa contractum malum ægritudinem acriorem facit.*

XXI. Providendum eſt, igitur ne quid accidat inopinato, & quamquam nihil vetat ſperare meliora, tamen ſapientis eſt animum præparare ad omnia, quæ humana ſunt, ad morbos, ad dolores, ad inopiam, ad carcerem, ad exilium, ad mortem: *nimirum hæc eſt illa præſtans, & divina ſapientia*, ut rurſus ſcripum eſt a Tullio (*lib. 3. Tuſc. qq.*) *perceptas penitus, & pertractatas humanas res habere, nihil admirari cum acciderit, nihil, antequam evenerit, non evenire poſſe arbitrari.* Tum affert Terentiana illa, quæ e philoſophiæ fontibus hauſta dixit eſſe:

Quamobrem omnes, cum ſecundæ res ſunt maxime,
Meditari ſecum oportet, quo pacto adverſam ærumnam ferant
Pericla, damna, exilia; peregre rediens ſemper cogitet,
Aut filii peccatum, aut uxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc, fieri poſſe: ut ne quid animo ſit novum:
Quicquid præter ſpem eveniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Et paullo ante [*lib.3. Tuſc. qq.*] refert dictum Anaxagoræ, *quem ferunt*, inquit, *nunciata morte filii, dixiſſe: ſciebam, me genuiſſe mortalem. Quæ vox declarat, iis eſſe hæc acer-*

 ba,

ba, a quibus non fuerint cogitata. Ergo id quidem non eſt dubium, quin omnia, quæ mala putantur, ſint improviſa graviora.

XXII. Itaque errat Epicurus, qui cenſet (*apud Tullium lib.3. Tuſc. qq.*) ægritudines non modo non levari ante meditando, ſed effici ſempiternas; ſatis eſſe odioſum malum omne, cum venerit; illud autem prævenire cogitatione, ſtultum. Non ita quidem: nam qui futuras cogitat res adverſas, tunc non mœret, cum cogitat, ſed potius eo delectatur, quo fungitur, munere ſapientis; & præterea contra ea, quæ forte accidant, ſe armat ac tegit, quaſi inſtructiſſimis copiis, apparatu, præſidioque virtutum, prudentiæ, magnanimitatis, patientiæ, fortitudinis, temperantiæ, ac cæterarum, quæ ſunt hujuſmodi, ut cum fortem animum complexæ ſunt, malum omne diſturbent ac diſſipent.

XXIII. Ex quo conſequens eſt, ut ad patientiam ſit virtutum exercitatio neceſſaria, & ſedatio cupiditatum; ſi enim virtus nulla eſt, niſi cum aliis omnibus colligata ſit, multo minus patientia, quæ ad ſua obeunda munera multas alias adjutrices & quaſi miniſtras habeat neceſſe eſt, modeſtiam, manſuetudinem, obedientiam, temperantiam, robur animi, ex quo exiſtat rerum humanarum deſpicientia, atque contemptio; hanc vero conſequitur vacuitas a perturbationibus, ut compertum eſt. *Mors, & exilium,* ait Epictetus (*in Enchir. cap.20.*) *quæ terribilia videntur, ante oculos tibi quotidie ſunt. Maxime vero omnium mors: neque quicquam unquam humile cogitabis, neque quicquam nimis cupies.*

XXIV. Quapropter nemo patiens poteſt eſſe, qui ſibi non imperet, qui ſe non vincat, nullamque rem in terris non habeat honeſtate potiorem, qua ſecum ipſe delectetur, etiam ſine teſte; hoc qui facit, vincit omnes, & omnia. *Hoc igitur tibi propone,* ait Tullius (*lib.2. Tuſc. qq.*) *amplitudinem, & quaſi quamdam exaggerationem quam altiſſimam animi, quæ maxima eminet contemnendis, & deſpiciendis doloribus, unam eſſe omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, ſi vacet populo, neque plauſum captans, ſe tantum ipſa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quæ ſine venditatione, & ſine populo teſte fiunt: non quo fugiendus ſit (omnia enim benefacta in luce ſe collocari volunt)*

ſed

ſed tamen nullum theatrum virtuti conſcientia majus eſt. Hoc autem loco & illud meditandum eſt, nullam eſſe aliam triſtitiæ cauſam, niſi peccatum, quo ſublato, etſi cætera, quæ videntur, mala, mordere poſſunt quodammodo; non tamen aculeos penitus immittunt in animum, ſed quaſi adhæreſcunt cuti corpora fodicando. Porro hæc plaga facile ſanari poteſt, cum ratio valet, quæ ipſi opportune medeatur.

XXV. Non levem etiam afferet levationem calamitati ab acerbis cogitationibus mentis avocatio; tum vero revocatio ad contemplanda meliora; ex quo fit, ut formæ illæ triſtes paulatim tollantur & evaneſcant, atque earum loco ſuccedant lætiores. Interim vero verſari oportet non cum hominibus, qui timido & puſillo ſint animo, ſed qui generoſo ac magno: illi enim timorem & triſtitiam augent, hi detrahunt.

XXVI. Non deſunt, qui ſe ipſi conſolentur, propterea, quod intelligant, accidere potuiſſe graviora, ut qui vi tempeſtatis quaſdam in mare compulſi ſunt merces jacere, ſed alias ſervarunt incolumes, & eas fortaſſe, quæ pluris æſtimandæ ſint, & in primis vitam: his quidem gratulamur, quod levius detrimentum acceperint, quam pati potuiſſent. Iidem ſimiliter, cum alios naufragos vident, lætantur, quod ſalvi ſint, quanquam amiſſis mercibus. Habemus autem paſſim ante oculos imaginem acerbiſſimam ærumnarum, quibus plerique fere mortalium premuntur in terris: immo ſæpenumero, etiamſi graviſſimæ illæ ſunt, non apparent. Solet item uſuvenire, ut maxime omnium aſperum quiſque id putet eſſe, quod patitur, ſed non ita eſt; ut verum dixiſſe Socrates videatur (*apud Stanlejum tom.1. in Vit. Socrat.*) ſi res adverſas omnes in unum congeramus locum ea conditione, ut æqualem inde unuſquiſque partem auferat, pleroſque libenter, receptis, quas attuliſſent, abituros: quoniam aliæ quidem alios calamitates premunt, ſed tamen ſingulos afficiunt ac pungunt peculiares, & ſuæ; & ſæpe pro rata portione; niſi ſapientia, cæteræque virtutes earum elevent, & obtuncant aſperitatem: nunquam enim vacare incommodis ac moleſtiis poteſt humana conditio: *qui meminerit*, ait Epictetus (*Sent.*121.) *quid ſit homo, nullam rem quæcumque acciderit, ægre feret.*

XXVII. Sed nihil eſt quod patientiam magis confirmet ac roboret, quam in Dei voluntate conquieſcere; & id tantum velle, quod velit Deus, ut Epictetus monet (*Enchir. cap.16.*) *Memento, te actorem eſſe, cujuſcumque magiſter velit, fabulæ: ſi brevis eſt, brevis; ſi longa, longæ: ſi pauperem agere te velit, ut & hanc perſonam ingenioſe agas; ſi claudum, ſi magiſtratum, ſi plebejum. Hoc quippe tuum eſt, datam perſonam bene agere; ſed illam eligere, alterius.* Dei autem, cujus nutu accidere res adverſas compertum eſt, obſequi voluntati, cum pium & honeſtum eſt, tum ſalutare ac jucundum. Honeſtum, inquam, ac pium; cum omnium ipſe arbiter ſit, rector, ac gubernator, cui iccirco ſubeſſe, æquitati atque adeo religioni eſt omnino conſentaneum; impium vero, ac ſacrilegum repugnare. Epictetus quidem ſic ſcribit (*Enchir. cap.28.*) *pietatis erga Deos id præcipuum eſſe ſcito, rectas opiniones de illis habere, tamquam qui exiſtant, & univerſa bene ac juſte adminiſtrent; & ad hoc te ordinatum eſſe, ut illis pareas, & cedas in omnibus, quæ fiunt, eaque voluntarius ſequaris, ut quæ optimo conſilio perficiantur.* Addit autem alio in loco (*Enchyr. cap.50.*) te improbum quidem fore, niſi acquieſcas; at non iccirco id immutatum iri, quod ſit divinitus conſtitutum: *in quovis negocio*, inquit, *hæc in promptu ſunt habenda*:

Duc me, o Jupiter, atque tu Fatum,
Quocumque a vobis ſum deſtinatus:
Qui ſequar impiger. Nam ſi nolim,
Improbus factus, nihilominus ſequar.
Qui autem neceſſitati bene paruit,
Sapiens apud nos habetur, & ſcit divina.

Sed & tertium, o Crito: ſi Diis hoc modo viſum fuerit, hoc modo fiat.

XXVIII. Ad honeſtatem accedit utilitas in rebus adverſis æquo animo tolerandis: eſt enim intelligendum, eas a Deo eſſe parente optimo, qui aſpera, quæ contingunt, non huc refert, ut noceat, ſed ut proſit; hoc eſt, ut ægrotantem animum revocet ad ſanitatem, faciatque inveteratæ ægritudini medicinam, ſuperbiæ, avaritiæ, intemperantiæ, at-

atque aliis morborum generibus, quos conſtat eſſe multo graviores; quam corporum. Nos item erudit calamitatibus ac dolore, & monet, quid ſimus ipſi, quam infirmi, quam imbecilli; & quid ſit corpus, quod ſtudemus blanditiis & illecebris delinire, & pluris videmur æſtimare, quam animum; quid ſimiliter locus ſit is, & qualis, ac quam ærumnarum plenus, in quo percupimus diu vivere, & forte ſemper, nihil de patria cogitantes, in quam ex hoc hoſpitio, immo exilio immigrandum eſt. Tunc vero, cum malis affligimur, facilius eſt aures præbere monitis ac præceptis, quæ, etſi optima ſunt, reſpuuntur tamen a pleriſque, florente fortuna.

XXIX. Alios præterea vult Deus per duros atque aſperos caſus in magnis virtutibus exerceri, ac proficere: neque enim fere virtutes eminent, & cernuntur in rebus proſperis, quippe quæ animum enervant ac molliunt. *Quid mirum*, inquit Seneca (*De Provid. cap.4.*) *ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum eſt.* Athletæ, milites, nautæ, agricolæ exercitatione, uſuque dureſcunt, & majores vires capiunt; ita virtus adverſis caſibus confirmatur, eoque magis, quo ſunt illi graviores, & ſæpius accidunt. Itaque ſcribit Ovidius [*Triſt. lib.4. Eleg.3.*]

Hectora quis noſſet, felix ſi Troja fuiſſet?
Publica virtutis per mala facta via eſt.
Ars tua, Tiphy, jacet, ſi non ſit in æquore fluctus.
Si valeant homines, ars tua, Phœbe, jacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturque malis.

XXX. Enimvero rerum adverſarum toleratione auctæ virtuti, & confirmatæ merces a Deo uberrima conſtituta eſt, nec ullo modo cum anteactæ vitæ ærumnis, ac doloribus comparanda. Quæ quidem res debet ſapientis animum excitare non modo ad dura perferenda toleranter, ſed etiam ſtudioſe, ac libenter, ſummaque cum voluptate: quis enim exiguum ac brevem laborem fugiat, quo ſibi maximum, paret, & diuturnum, immo ſempiternum bonum?

XXXI.

Digitized by Google

XXXI. Tandem Deo parere, ejuſque ſeſe ſubmittere voluntati, ea, quæ adverſa accidant, non repugnanter tolerando, jucundum eſt: ſi enim delectat id facere, quod velis; cum id velis tantum, quod Deus; te delectent omnia, neceſſe eſt: præſertim cum intelligas, nihil Deum velle, niſi quod ſit tibi maxime fructuoſum. Ex quo fit, ut Deo non iraſcaris unquam, ſed ei gratias agas tamquam ſecanti medico. Æſchylus tragicus ſic quidem ſcribit (*apud Plutarchum de Conſol. ad Apollonium.*)

Virtute præditorum eſt, & ſapientium
Non ſuccenſere in rebus adverſis Deo.

At multi ſecus faciunt. *Plerique*, ait Plutarchus [*cit. loc.*] *omnia vituperant, & quicquid eis præter ſpem evenit, exiſtimant malignitate fortunæ & geniorum accidere: itaque ad omnes caſus ejulant & ingemiſcunt, & de ſua queruntur adverſitate fortunæ, quibus hoc dicto occurrere non inepte liceat:*

Non tibi Deus nocet, ſed ipſe tu tibi.

XXXII. Præter ea, quæ dixi, luctum & triſtitiam levat enumeratio exemplorum, *ut ille, qui mæret,* ait Tullius [*Tuſc. qq. lib. 3.*] *ferendum ſibi id cenſeat, quod videat, multos moderate & tranquille tuliſſe: omnibus enim modis fulciendi ſunt, qui ruunt, nec cohærere poſſunt propter magnitudinem ægritudinis: ex quo ipſam ægritudinem λύπην Chryſippus quaſi λύσιν, ideſt ſolutionem totius hominis, appellatam putat.* Nullum eſt autem malorum genus, quod non ſit a plurimis toleratum patienter. *De paupertate agitur?* ſcribit Tullius (*cit. loc.*) *multi patientes pauperes commemorantur: de contemnendo honore? multi inhonorati proferuntur, & quidem propter id ipſum beatiores: eorumque, qui privatum otium negotiis publicis antetulerunt, nominatim vita laudatur. Nec ſiletur illud potentiſſimi regis Anapæſtum, qui laudat ſenem, & fortunatum eſſe dicit, quod inglorius ſit, atque ignobilis ad ſupremum diem perventurus. Similiter commemorandis exemplis orbitates quoque liberorum prædicantur, eorumque qui gravius ferunt luctus, aliorum exemplis leniuntur. Sic perpeſ-*

peſſio cæterorum facit, ut ea, quæ acciderint, multo minora, quam quanta ſint exiſtimata, videantur.

XXXIII. Quantam vero ad nos conſolandum vim habent exempla moderatoris noſtri Chriſti, eorumque, qui ſingulari ſanctitate, eximiaque floruerunt! Hi quidem res proſperas repudiarunt, quaſi noxias & exitiales, ut gloriam, ut divitias, ut voluptates, & ſumma quadam alacritate ea complexi ſunt omnia, quæ naturæ, & corpori contraria viderentur, infamiam, egeſtatem, ægrotationem, dolores, cruciatus, ipſamque mortem. Cum vero eos ſapienter feciſſe fateamur, cur eorum facta imitari nolumus, & res adverſas pacate, libenter, jucundeque ferre? præſertim cum nulla ſit alia, quam laborum, ac perpeſſionum ad felicitatem via? oportet enim, qui ſalvus velit eſſe, eum Chriſti vitam, ac virtutes ſequi.

XXXIV. Sed illud conſtat, nullum eſſe veræ patientiæ locum ſine charitate adverſus cum Deum, tum homines, quæ quo erit vehementior, eo patientia major, atque conſtantior futura eſt: Deum enim qui amat ac veneratur, is moderate fert omnia, quæ Deum ſciat velle, nec ſuccenſet hominibus, qui inſtrumenta ſunt, & quaſi adminiſtri pœnarum, non cauſa; immo eos diligit Dei gratia, qui exorandus in primis eſt, ut opem afferat ad patiendum, qua ſublata, irriti erunt conatus, ac natura ſuccumbet.

XXXV. Hæc generatim dicta ſatis eſſe arbitror ad triſtitiam ex rebus adverſis aut tollendam penitus, aut valde leniendam: nam ſingulis ærumnis ſingula adhiberi remedia, non patitur noſtri inſtituti ratio: *ſunt enim,* ait Tullius (*lib.3. Tuſc. qq.*) *certa, quæ de paupertate, certa quæ de vita inhonorata & ingloria dici ſoleant. Separatim autem certæ ſcholæ ſunt de exilio, de interitu patriæ, de ſervitute, de debilitate, de cæcitate, & de omni caſu, in quo nomen poni ſolet calamitatis . . . . Ut medici toto corpore curando, minimæ etiam parti, ſi condoluit, medentur: ſic philoſophia cum univerſam ægritudinem ſuſtulit, tamen ſi quis error aliunde extitit, ſi paupertas momordit, ſi ignominia pupugit, ſi quid tenebrarum effudit exilium, aut eorum, quæ modo dixi, ſi quid extitit.* Suam cuique calamitati medicinam facit Petrarcha (*in libris de Rem. utriuſque fortunæ*) morti Tullius (*lib.1. Tuſc. qq.*) tum do-

ad inanem luctum. Similiter eſt ſuſtentanda religio, quoad fieri poteſt, ſi ruere videatur, at dejici animo, & ſupra modum mœrere non decet: eſt enim ſemper tranquillitas, & mentis retinenda placatio. Ipſæ eadem peccata lugenda ſunt, & deteſtanda quam maxime, ita tamen ut luctus non deſperationem, non perturbationem afferat, ſed quietem, ac voluptatem.

XXXVII. Ex iis, quæ dixi, compertum eſt, quæ ex patientia, bona & commoda proficiſcantur. Omnium primum ac præcipuum eſt id, quod omnes appetunt, hoc eſt, animi quies, qua certe nihil in terris poteſt eſſe præſtantius; quæque nec opibus & divitiis, nec honoribus & gloria, nec dignitatibus, nec voluptatibus comparari poteſt. Eam vero efficit patientia ſedatione perturbationum, ac mœroris, & ægritudinum, & opere virtutum reliquarum, quarum ipſa eſt quaſi cuſtos: quoniam quæ impedimento ſunt, quominus virtutes acquirantur, & conſerventur, ea arcet ac repellit (*D. Thomas 2. 2. q. 136. art. 2.*) Tum dat animo excelſitatem ſupra res adverſas, immo humanas omnes, & injurias, quæcumque illæ ſint, eminentem: quare nihil eſt, quod concutiat patientem virum, non inopia, non morbi, doloreſque corporum, non arma, non clades, non exilia, non carceres. Solent etiam res difficillimæ perfici patientia: unde exiſtunt ſana conſilia rerum agendarum: nam pacatus animus, & expers perturbationum valet ad recte judicandum. Itaque qui velit honeſte, & beate vivere, is muniat ſeſe patientia cujus triplex eſt gradus; ſummus, tanti facere res adverſas, ut his te indignum putes, quaſi maximo beneficio; medius, iiſdem gaudere; infimus, ferre toleranter.

XXXVIII. Hæc quidem virtus, præſertim numeris omnibus abſoluta, rara eſt, ſed chriſtiano viro digniſſima. Nec alii tantum ad patientiam adhortandi ſunt; ſed quiſque debet retinere eam ſibi: nam plerumque qui afflictos erigit & conſolatur, ipſe frangitur ærumnis ſuis, & quam aliis præbet, renuit in pari morbo ſumere medicinam.

XXXIX. Vitium, quod parum eſt patientiæ contrarium, Græcis dicitur ἀτλησία, Latinis intolerantia, barbaris impatientia. Eſt autem animi quædam teneritas, & mollities inepti ad res adverſas, quæ accidunt, tolerandas, ac ſuperan-

tis juſtum dolendi modum. Eſt igitur imbecilli hominis, levis, abjecti, atque inconſtantis propria, feminis plerumque familiaris; & apparet in vultu, in oculis, in lingua, in geſtu, ubique proferens fœditatem ſuam, cuique moleſta, & inviſa, & vel ipſius corporis valetudini maxime perniciosa; adjunctam vero cum habet, ut fere ſolet, improbitatem, graviſſimas ac periculoſas tempeſtates concitat, atque impellit ad omne flagitii genus, ad furtum, ad injuſtitiam, ad odia, ad rixas, ad homicidia, ad incontinentiam, ad contumeliam: qui enim minime patiens eſt, mavult peccare, quam ærumnas pati, moleſtamque vim continere cupiditatis; & cum dolorem, ac triſtitiam ſolari non poſſit conſcientia benefactorum, ſi improbus eſt, ex omni parte cruciatur, ſtudetque eximere ſeſe malis etiam facinore, vel libidine; ſi honeſte non poteſt.

XL. Illud vero cum turpe, & ſtultum, tum pernicioſum, quietem, quæ maximum eſt bonorum, malo cuique, ærumnæ, calamitati eripiendam permittere & ſemper, & facile: *ſi quis*, ait Epictetus (*Enchir. cap.26.*) *corpus tuum obvio concederet, indignareris: at quod mentem tuam cuivis concedis, ut cum convitiatur tibi, hæc turbetur, ac confundatur, non te pudet?* Equidem velim, a nullo ut rem familiarem, ut pecuniam, ut veſtes, ita multo minus mihi eripi animi tranquillitatem pro libito: illa enim extra ſunt, ac bona fortunæ; hæc intus, & animi bonum quoddam reliquorum longe pulcherrimum. Quamobrem hoc ſtudioſe retinendum eſt contra omnem impetum rerum adverſarum: eſt enim inſipientis propter ea, quæ minoris æſtimantur, id velle amittere, quod ſit multo præſtantius. Nec vero parum efficit homini minus patienti divinæ obſiſtere voluntati, ex qua ut bona proficiſcuntur omnia, ſi pareas; ita mala, ſi repugnes. Ad hæc, ut patientia difficillima quæque perfici, ſupra diximus; ita vitium, quod illi contrarium eſt, & gravia negocia, & multas bonas actiones ac laudabiles ſæpe pervertit. Aſſueſcant itaque cum omnes, tum in primis adoleſcentes, ea non gravate ferre, quæ accidere aliquanto duriora videantur: hoc enim pacto paulatim ſe comparabunt ad patientiam rerum graviſſimarum, iccircoque ad præclara gerenda, & bene beateque vivendum, & erunt cum ſibi amici, tum gratiſſimi ſocietati.

XLI.

XLI. Vitium, quod nimium eſt repugnans patientiæ, vacat nomine, niſi illud velis indolentiam dicere, aut ſtupiditatem, græce ἀναισθησίαν, quæ affectio quædam eſt ejus propria, qui ſenſus expers eſſe videatur in malis. Profecto nullis tangi omnino calamitatibus, nec alienis, nec ſuis, non eſt rationi conſentaneum, neque in laude ponendum: neque enim patientia hæc eſt, & conſtantia, ſed ſtolidum quiddam, aut durum & inhumanum, ab amicitia alienum, & a vita communi: truncus enim & ſtipes ſit oportet, non homo, qui nullis vel privatis ærumnis, vel publicis moveatur; ex quo facile conſequetur, ut vix inducat animum ad ferendum auxilium periclitantibus, & calamitoſis hominibus. Natura quidem humana tenera eſt, non qualis in feris ineſt, ſylveſtris, & dura, & expers humanitatis.

CAPUT IX.

De Perſeverantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Perſeverantiæ contraria.

I. PErſeverantia definitur a Tullio (*lib. 2. de Invent.*) *in ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio*. Oportet igitur primum ſtatuere quid velis, & ad conſiderandum, ſit ne id honeſtum & laudabile, adhibere tempus & diligentiam, videre præſentia, atque opera comparare cum viribus & facultate, cum loco, cum tempore, & aliis generis ejuſdem, itemque futura proſpicere; tum vel poſt diuturnam ætatem id tenere, quod olim electum eſt, atque ita ſervare æquabilitatem in iis, quæ mutari non decet, ut quemadmodum in vultu, ſic in moribus idem ſis, eamdemque formam præ te feras prudentiæ, & honeſtatis, ſed tamen in dies multo pulchriorem: quoniam virtutum ornamenta, & decora ſimul cum ætate non augeri, turpe eſt. Cernitur autem perſeverantia cum in bonis uſque ad exitum perducendis, tum in malis tolerandis patien-

tienter, ſpectatque in utriſque operis ac ærumnæ diuturnitatem, in quo differt a conſtantia, & patientia, ut ſupra vidimus (*bujus libri cap.7.*) in aliis autem fere convenit: quamobrem de hac virtute pauca dicam: nam eadem & ſcribere, & audire, inutile & moleſtum eſt. Illud tamen neceſſarium puto, ea breviter, ſtrictimque præſcribere hoc loco, quæ ad perſeverantiam conferre poſſe videantur.

II. Primum ab ineunte ætate jacienda ſunt quaſi fundamenta virtutum, religionis, obedientiæ, pietatis, fidei, obſervantiæ, continentiæ, modeſtiæ, quæ ſi hærere cœperint in molli adhuc animo, & nondum vitiis contaminato, facilius ſtabiles ac firmæ conſtant & permanent; ac paulatim augentur conſuetudine, quæ magnam vim habet in utramque partem, hoc eſt, cum rerum turpium, tum honeſtarum. Multa quidem quæ initio ardua ſunt, & odioſa, uſus efficit grata, ac facilia & ad agendum, & ad patiendum. Quam inſuave, ac ſalebroſum eſt pueris literarum ſtudio operam dare, a quo tamen aliquandiu deguſtato abſtrahi nullo modo poſſunt, cum adoleverint, & quam in eo ceſſare, ſæpe carere malunt ſomno, & voluptatibus, atque interdum cibo; & valetudine periclitari.

III. Tum vero curandum eſt, ut idem diebus ſingulis retineatur mentis ardor ad honeſtatem, nec remittatur unquam: nam eum ſervare multo facilius eſt, quam amiſſum, atque extinctum recuperare: ut ferrum, cum candens eſt adhuc, retinet mollitiem ſuam, ſi circum remiſſiori flamma foveatur, at eget multo acriore, cum plane deferbuit. Sic videmus, ſtudia quælibet negligentia, & intermiſſione debilitari, aut penitus interire, cum quotidiano uſu floreſcant, & perficiantur in dies: altas enim radices agit, quicquid excolit perpetua cura, & exercitatio diuturna; ex quo ſuaves fructus, uberrimique capiuntur. Nec vero confirmatur virtus, leni quaſi aſpirante aura fortunæ, ſed valida quadam ventorum vi impellente vehementius: contingit enim aliquando, ut ſecundis rebus virtutes videantur eſſe, quæ nullæ ſunt, & radicibus cum careant, facile divelluntur; quare roborari eas, ac ſuſtentari oportet exaggeratione, & quaſi vallo honeſtarum actionum, durarumque rerum toleratione quotidiana.

IV.

IV. Deinde, ut hæreas, atque conſiſtas in eo, quod laudabile eſt, cogita, ad honeſtatem te eſſe conditum, non ad divitias & opes, non ad dignitates & gloriam, non ad voluptates: eſſe autem ſtulti ab eo fine diſcedere, quem ſtatuit, præſcribitque natura, & ratio, quæ nobis data eſt tamquam dux, & magiſtra vitæ; & ea ſequi, quæ vel noxia ſunt, vel inania. *Ad finem itaque feſtina*, ait M. Antoninus Romanorum imperator, ac philoſophus (*eorum, quæ ad ſeipſum lib. 3. num. 14.*) *& ſpes vanas mittens, ſi rationem tui ullam habes, tibi conſule*. Et alio in loco (*lib. 4. num. 24.*) *oportet itaque ad ſingula ſibi ſuggerere, an non iſtud ex eorum numero eſt, quæ non ſunt neceſſaria. Nec actiones tantum, ſed cogitationes etiam minus neceſſariæ ſunt recidendæ*. Nihil autem neceſſarium eſt, niſi quod ad finem conferat a natura, hoc eſt, a Deo conſtitutum. Ut vero & ob oculos habere, & tenere id poſſis, quod ſit honeſtum, ſpectandi ſunt diligenter boni ac ſapientes viri, ex quibus exempla ſumas bene vivendi, ut obedientiæ, ut conſtantiæ, ut fortitudinis, ut juſtitiæ, ut patientiæ. In quam rem opportuna eſt maxime hiſtoria rerum præclare geſtarum. Contra vero neceſſe eſt exempla vitare, quæ prava ſint, & improborum familiaritates, & nefariis conſiliis aurem non præbere, quibus ab honeſtate abduci poſſis quodammodo.

V. Tandem ad tenenda, & excolenda ſtudia virtutum uſque in ultimum vitæ tempus valere poteſt plurimum, ſi non longam ætatem tibi proponas, qua dura quædam tolerare neceſſe ſit, ſed unam diem: quis enim adeo delicatus, & mollis eſt, qui non facile tam brevi tempore laborem in ſectanda honeſtate patiatur? qui una die abnuat fortiter, prudenter, juſte, temperateque facere? (*vid. Antoninum lib. 8. num. 36.*) Et revera fieri poteſt, ita eſſe, ut animo fingis: nam forte parum ſupereſt vitæ, quam putabas fore diuturnam; præterquamquod ætas quælibet brevis eſt: *pauca iſta*, ait Antoninus philoſophus (*eorum, quæ ad ſeipſum lib. 3. num. 10.*) *apud te habeas, memineriſque inſuper, unumquemque præſens tantummodo ætatis ſpatium, quod puncti inſtar obtinet, vivere: reliquum tempus, vel jam exactum, vel in incerto plane ſitum: exiguum eſt itaque, quod vivit quiſque*. Quapropter monet (*lib. 2. num. 11.*) *ita quæque facias, cogi-*

tes-

teſque oportet, *ut qui confeſtim e vita hac poſſis diſcedere*. Et rurſus (*lib.4.n.17.*) *tu ne tamquam annorum millia aliquot adhuc victurus rem geras: inſtat fatum: dum vita ſuppetit, dum datur, bonus eſto*. Quantus vero, & quam gravis futurus eſt dolor, ſi propter perbrevem repudiatum laborem, contingat, ut mercede, & corona careas in omnem æternitatem? Audi Antoninum (*lib. 4. num. 26.*) *huc ſumma redit: brevis eſt vita: quod inſtat, tempus, lucrandum eſt conſiderate, juſteque agendo*. Quæ quidem præcepta, aliaque præclara multa non modo tradidit Imperator ille, ſed etiam ſervavit, ac prætulit in vita, & moribus a prima ætate uſque ad extremum diem, æquabilis ſemper, ſuique ſimilis (*Dio Caſſius Hiſt. Rom. lib.71. ex Jo. Xiphilini epitome*) ac tantæ tranquillitatis, *ut vultum nunquam mutaverit mærore, vel gaudio* [*Jul. Capitolinus in Marco.*]

VI. Hanc in virtutibus firmitatem imitentur adoleſcentes, qui volubili quodam ingenio ſolent eſſe, & cum ſibi longam annorum ſeriem polliceantur, moleſtum putant incommoda, quæ virtuti adjuncta ſunt, eadem, qua cœptum eſt, conſtantia diutiſſime tolerare. Sed quid opus eſt longe in poſterum proſpicere? fortaſſe abſolutum eſt iter, quod longiſſimum arbitrantur fore. Eſt tamen magnanimi, ſe ita ad virtutem comparare, ut etiamſi vita maxime diuturna futura ſit, ſecum ſtatuat nullo unquam tempore ab honeſtate diſcedere, & a moleſtiarum cogitatione mentem non avocet, ſed illis objiciat, quaſi arma, contentionem, fortitudinem, temperantiam, patientiam, aliaſque virtutes, quæ excitandæ ſunt, ſi forte dormiant.

VII. Perſeverantiæ contraria eſt mollities, quæ modum deſerit; & affectio quædam eſt muliebris, & infirmi animi ſuccumbentis difficultati; quæ ex actionis diuturnitate naſcitur: molle enim dicitur id, quod facile cedit, cum tangitur. Nihil eſt autem ineptius homine delicato tum ad comparandam virtutem, tum ad retinendam: nam diu non obſiſtit impellenti cupiditati, non infamiæ, non paupertati, non dolori, non morbo, non laboribus, cæteriſque incommoditatibus, quibus virtus carere omnino non poteſt. Præterea hæc teneritas, ut ita dicam, præterquamquod muliebris eſt, ac plane puerilis, inſcitia etiam eſt, ac dementia

no-

Digitized by Google

nominanda: nam qui in vitium & peccatum incidit a virtute deficiens, moleſtias exantler neceſſe eſt multo graviores, quæ etſi non corpus, quamquam & corpus plerumque, certe animum exedunt acerrimo quodam, perpetuoque morſu, atque conſumunt, ut ſupra dixi [*lib.3. part.1. cap.23.*] Quam ærumnam, periculum eſt, ne alia conſequatur, cujus acerbitati nullum ſit finem temporum longinquitas allatura. Quo ergo mollior ac delicatior eſt animus, eo magis curandum eſt, ut firmus hæreat in bono, ne cum apis aculeum declinare ſtudet, immaniſſimarum ferarum laniatibus diſcindatur, ſublata evadendi ſpe.

VIII. De alio vitio, quod nimium eſt, repugnans perſeverantiæ nihil dico: nam idem videtur eſſe, quod & conſtantiæ contrarium eſt, hoc eſt, pertinacia. Dictus eſt autem pertinax quaſi valde tenens, ut ex Plauto poteſt intelligi (*Capteivei act.2. ſc.2.*)

Heg. *Quid tu ais? tenax ne pater ejus eſt?*
Phil. *Imo edepol pertinax.*

Quæ quidem vox etſi quandoque ad virtutem pertinet (*vid. Voſſium Etymolog. v. Pertinax.*) nam tenere propoſitum in benefacto laudabile eſt; nihilominus fere in vitio ponitur, eamque affectionem ſignificat, qua voluntas firmiter inhæret conſilio etiam contra rationem [*vid. D. Thomam* 2. 2. *q.* 138. *art.* 2.]

CA-

CAPUT X.

De Securitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Securitati contraria.

I. SEcuritas eſt vacuitas ab ægritudine & metu: ea vero magni animi indicium eſt, excelſi ac fortis, & contemnentis humana, qui cum ea providit, quæ debuit, ope prudentiæ, tum non anxio & ſolicito animo eſt, ſed quieto ac pacato, & cætera permittit rerum omnium moderatori Deo, paratus interim, quicquid acciderit, vel proſperum, vel adverſum, æquanimiter ferre. Sed hoc ejus eſt proprium, qui compreſſas habeat cupiditates, qui, quod honeſtum eſt, id tantum ducat in bonis, qui ſibi nihil mali putet evenire poſſe præter peccatum, qui tandem inſigni quadam ſit vitæ ſanctitate, & re qualibet humana eminentior.

II. Ad hunc quidem gradum extulerunt ſapientem ſuum Stoici, quem iccirco indolentia præditum eſſe voluerunt; ſed eorum dogmata ſemper mihi viſa ſunt plena ſuperbiæ: hominem enim faciunt quaſi Deum, ſeipſo contentum, expertem affectionum, nihil cupientem, aut metuentem, & idoneum vi ſua, qui poſſit beate vivere. Stoicorum autem credo ſic affectum unquam fuiſſe neminem. E noſtris quidem plurimi & ſunt, & fuerunt ſemper, qui præceptis edocti chriſtianæ philoſophiæ non modo bona contemnerent omnia, quæ magna habentur in terris, ſed & malis gauderent, ipſoque corporis dolore, cujus eſt morſus acerrimus; ex quo conſequens eſſet, ut quieti & ſecuri viverent, ac beati, ut fert hujus vitæ conditio, quæ vacua ab omni calamitate eſſe nunquam poteſt, ut diximus (*lib.1. cap.18.*) & cum ea feciſſent, quæ per prudentiam effici potuiſſent, tunc quieſcerent, de futuro rerum eventu cura omni, ac perturbatione poſthabita.

III. Hanc animi ſecuritatem quiſque imitari & poteſt, & debet, & quod Stoici fortaſſe oratione tantum, id conſenta-

taneum eſt, nos, qui chriſtiani ſumus, & ad ſanctitatem informati, factis, & vita, & moribus comprobare: quod nobis quidem perfacile eſt, quibus in Dei præſidio collocatis, & bona conſcientia circumſeptis, roboratiſque ſpe rerum meliorum quaſi arce firmiſſima, munitiſſimoque vallo nocere nihil poteſt niſi volentibus; immo, quæ videntur mala, poſſunt prodeſſe plurimum, cum ſint inſtrumenta virtutum, quibus ornatur animus, fitque tandem beatus.

IV. Itaque cur ſecuri non ſimus in eo conſtituti loco, ad quem nullæ tempeſtates ac procellæ, nullus hoſtium impetus, aut adverſæ fortunæ pertingere unquam poteſt? niſi inde velimus egredi, & nos ultro periculis objectare? Erunt quidem acerba quædam toleranda; ſed hæc eadem afferent forti, & felicitatis expectatione confirmato animo voluptatem, ut multis Chriſti inſtitutorum aſſeclis contigiſſe compertum eſt. Vide quo pacto alloquatur ipſe ſe M. Antoninus, & adhortetur ad animi ſecuritatem: *ecquando*, inquit, (*eorum, quæ ad ſeipſum lib. 10. num. 1.*) *futura es, o anima, bona, ſimplex, una, nuda . . . ? ecquando futura es plena, rei nullius indiga, nihil deſiderans ulterius, nihil expetens vel animatum, vel inanime, quo frui tibi volupe ſit, neque tempus, in quo diutius fruaris, neque locum, aut regionem, aut Cæli blandam temperiem, aut hominum amicam ſocietatem? Sed ſtatu præſenti acquieſces, & præſentibus oblectabere quibuſque, & perſuaſum habitura es, cuncta tibi adeſſe, cuncta tibi bene ſe habere; ſed & a Diis provenire, beneque habitura, quæcumque ipſis concedere viſum eſt, & quæcumque conceſſuri ſunt, utpote quæ ad ſalutem faciant animantis perfecti, probi, juſti, honeſti.*

V. Hæc autem affectio, de qua nunc quærimus, & virtus quidem eſt, & fructus virtutum reliquarum, quæ cum altius hærent in animo, pariunt ſecuritatem, cujus proprium eſt hominem ita componere, ut pacate vivat cum ipſe ſecum, tum cum aliis, lætus ſit, æquabilis, modeſtus, alacer, & hilari vultu, atque attente in id incumbat, quod habet in manibus: non ut quidam ſolent, qui de rei alicujus futuræ exitu ſolliciti ſunt, ut alias omnes aut prætermittant, aut negligant, & interdum vix cibum ac ſomnum capere poſſint, tanta eſt in illud unum curarum omnium, cogitatio-

Ttt num-

Digitized by Google

numque concurſio propter metum, ne quid triſte, aut minus fortunatum accidat.

VI. Securitati repugnat hinc ſollicitudo, quæ nimium eſt, inde incuria, quæ parum. Sollicitudo *eſt ægritudo cum cogitatione*, ait Tullius (*lib.4. Tuſc. qq.*) ſeu anxia cura de re aliqua, puſillo, ac triſti animo familiaris, qui cum difficultates cernat, eaſque etiam ſæpe comminiſcatur, quæ nunquam futuræ ſunt, tempus, quod adhiberi oporteret in providendo, & repellendis omnibus, quæ obſtant, in anxietate conſumit, cui ut liberius vacet, interdum ſe confert ad ſolitudinem, vitatque hominum colloquia, & familiaritates amicorum, & cum præterita, tum conſequentia meditatur ad firmandam, augendamque moleſtiam; aliis certe gravis, at ſibi maxime, quippe qui abſorbeat neceſſe eſt gurgitem innumerabilium curarum, quarum aliæ etſi leves ſunt ex ſeſe, tamen minuto illi animo magni momenti ac ponderis videntur eſſe, ut tritici granum formicæ, quod cum illa geſtare non poſſit, conatu ac vi trahit.

VII. Diligentia quidem in negociis poteſt eſſe laudabilis; at ſollicitudo, & moleſtia vituperanda eſt, quæ plane tollitur, ſi parvi, aut nihili facias, ut debes, & divitias, & gloriam, & voluptates, nec ea formides, quæ animo nocere non poſſunt; quæ autem nocent, ea declinare in tua eſt poteſtate. *Iſta omnia*, ait M. Antoninus (*eorum, quæ ad ſeipſum lib. 12. num.1.*) *quæ per ambages adſequi contendis, jam conſequi potes, ni tibi ipſe invideas. Hoc autem fiet, ſi præteritum omne miſſum feceris, futurum omne providentiæ divinæ permiſeris, & quod præſens eſt, tantum ad pietatis, ac juſtitiæ normam direxeris.* Et alio in loco (*lib.9. num. 32.*) *ſupervacanea multa, quæ moleſtiam tibi pariunt, præcidere, cum in opinione tua tota ſita ſint, animumque anguſtiis exemptum plurimum dilatare poteris, ſi mundum totum, & ſæculum, in quo degis, mente complexus fueris, & rei cujuſque ſigillatim tranſmutationem celerem conſideraveris, quamque exiguum temporis ſpatium inter ortum ejuſdem, & interitum intercedat.* Neque vero ex ea humanarum rerum contemptione, ſublata ſolicitudine, conſequens erit, ut negocia negligantur; immo & attentius gerentur, & melius: nam compertum eſt, ea impediri animi perturbatione & cura, non perfici.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Itaque anxietas quidem repellenda eſt, quæ animum corrodit & ſauciat, ſed tamen vitanda incuria, hoc eſt, prætermiſſio ejus diligentiæ, quam a prudente adhiberi pro rerum varietate & decet, & neceſſe eſt. Qua in re videmus ſane peccare plurimos, quippe qui ſtudioſe curant, diligentiſſimeque leviora, qualia ſunt omnia, quæ brevi tempore dilabuntur, quæque inſerviunt corporis commoditati; quæ vero animum attingunt, ornant, meliorem ac beatum faciunt, iccircoque infiniti ſunt pretii, ea vel plane negligunt, vel agunt multo remiſſius, quam oportet, quaſi ſecuri ſint, & putent, eadem ſe poſſe ſine labore & contentione conſequi. Quæ inſania, quoniam fere communis eſt, non ſolet a pleriſque vituperari; immo laudatur a multis, quippe qui nolint eos damnare, quibuſcum ſtudiorum ſimilitudine conjuncti ſunt. Alit autem hanc judicii perverſitatem, augetque educatio: nam pueri & adoleſcentes id magno in pretio habent, quod paſſim vident etiam a ſenibus, quos judicant ſapientes, & emi & vendi plurimo, & ſinunt eo trahi ſe, quo inveteratæ conſuetudinis quaſi torrens impulerit: in parvis igitur diligentes ſunt, deſidioſi in magnis, ex quo maximum detrimentum capiunt.

P A R S V.

De Temperantia.

QUoniam tres ſunt honeſtatis partes hactenus explicatæ, ſequitur, ut de reliqua una dicendum ſit, in qua cernitur Temperantia. Hæc quidem etſi ordine poſtrema eſt, & inferior objectæ rei dignitate, quam ſint aliæ: nam prudentiæ campus latius patet, & juſtitia, ac fortitudo ad communem utilitatem referuntur (*vid. S. Thomam* 2. 2. *q.* 141. *art.* 8.) in eo tamen omnibus antecellit, quod maxime neceſſaria eſt, quod uſu familiaris & quotidiana, quod ardua maxime: nam adverſus intimum hoſtem decertet neceſſe eſt, improbum, verſutum, interdum quidem vi, at ſæpe illecebris oppugnantem, & tunc ſummopere formidandum, cum amicitiæ ſpeciem quamdam præſeferre videatur. Eas vero virtutes habet quaſi comites temperantia, quæ propriæ ſint omnium temporum & locorum, ætatum ac perſonarum, moderatrices animi, & actionum in omni vita: neque enim ſæpe incidunt cauſæ, cur argumenta proferas aut juſtitiæ, aut liberalitatis, aut fortitudinis, magnanimitatis, conſtantiæ, magnificentiæ; at temperate, moderate, caſte, verecunde, ſobrie, modeſte facere, ſemper & decet, & neceſſe eſt; nec quiſquam eſt, qui ſecus poſſit honeſte, & beate vivere. Itaque hic locus ad omnes pertinet, ad eos autem maxime, qui tenera adhuc, & molli ætate ſunt, & ſi ſemel temperantiæ frænos mordere cœperint, nunquam fortaſſe ferent ac libenter excipient inpoſterum.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

Quid ſit Temperantia, & quæ Vitia ipſi contraria.

I. TEmperantiæ ſubjectam vim fere video patere latius: id enim omne, quod decorum eſt, quod decet, quod affectiones continet intra fines a natura, & ratione conſtitutos, comprimitque perturbationum omnium temeritatem, quod tandem in ſingulis actionibus tuetur modum, atque illud Solonis inculcat (*apud Patritium de Reip. Inſtit. lib.3. tit.1. & apud Platonem in Philebo*) *ne quid nimium*; aut *nihil nimis* [*apud Tullium lib. 3. de Fin.*] ad temperantiam dicitur pertinere; in qua iccirco, ut Tullius ſcribit (*lib. 1. Offic.*) quaſi quidam ornatus vitæ, omniſque ſedatio perturbationum animi, & rerum modus cernitur, & id quod dici latine decorum poteſt: eamdemque ob cauſam definita ab eo eſt temperantia (*de Invent. lib.2.*) *rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus, animi firma & moderata dominatio*; & ſcriptum eſt a Platone (*Dial. 4. de Rep.*) *ornatus quidam eſt temperantia, & a voluptatibus cupiditatibuſque quibuſdam, ut perhibent, abſtinentia*; & rurſus (*cit. loc.*) *quapropter rectiſſime poſſumus temperantiam hanc appellare concordiam, deterioris videlicet & potioris ſecundum naturam conſenſionem, quæ doceat, quem vel in civitate, vel in unoquoque conveniat dominari*: quamobrem paullo ante dixerat, harmoniæ cuidam eſſe ſimilem temperantiam; quod item explicat non multo poſt (*cit. loc.*) *temperantem rurſus aliquem appellamus horum ipſorum amicitia atque concordia, quando & quod præſidet, & quod ſubeſt, in ſententiam eamdem conveniunt, rationem ſcilicet imperare decere, neque ab illa deſciſcendum eſſe*: quoniam duo quædam in animo putat eſſe Plato, alterum melius, cujus eſt dominari, alterum deterius, quod ſubeſſe conſentaneum ſit; ex quorum quaſi fœdere & conſenſione naſcitur temperantia; duo autem illa ſunt appetitus, &

ra-

ratio, quorum alter ut pareat alteri, obſequaturque, fontem totius eſſe temperantiæ, eſt a Cicerone traditum: *duplex eſt enim*, ait (*lib.1. Offic.*) *vis animorum, atque naturæ. Una pars in appetitu poſita eſt, quæ eſt* ὁρμὴ *græce, quæ hominem huc, & illuc rapit. Altera in ratione, quæ docet & explanat, quid faciendum, fugiendumve ſit. Ita ſit, ut ratio præſit, appetitus vero obtemperet . . . . Efficiendum autem eſt, ut appetitus rationi obediant, eamque neque præcurrant propter temeritatem, nec propter pigritiam, aut ignaviam deſerant, ſintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis conſtantia, omniſque moderatio.* Quæ quidem vis continendarum affectionum omnium tributa eſt temperantiæ ſimiliter a Plutarcho, a quo ea dicitur (*in Gryllo*) *contractio quædam cupiditatum, & ordo perimens ſupervacaneas, & adſcititias; tempeſtive autem, & mediocriter cum decori ratione obſequens neceſſariis.* Nec quicquam aliud indicat temperantiæ latinum nomen, quippequæ idem eſt, ac mediocritas, moderatio, modus, itemque græcum σωφροσύνη, quaſi σαοφροσύνη, hoc eſt, conſervatrix prudentiæ, quæ facit, ut in ſingulis ſequendis, ac fugiendis retineamus modum.

II. Itaque ſic uſurpata temperantia cernitur in continenda & voluptatis, & gloriæ, & opum, divitiarumque cupiditate; & temperans is eſt, qui appetitus regit, ne longius evagentur, & tamquam exultantes ſive cupiendo, ſive fugiendo. Eam ob cauſam dicta eſt temperantia a Pythagora ῥώμη ψυχῆς robur animæ (*apud Stobeum tom. 1. Serm. 5. de Temperantia*) a Socrate κρηπὶς ἀρετῆς fundamentum virtutis, a Platone κόσμος ἀγαθῶν πάντιον ornamentum bonorum omnium, a Jamblico ἀσφάλεια τῶν καλλίστων ἕξων tutela habituum pulcherrimorum (*apud Gaſſendum tom. 2. Ethic. lib. 2. cap. 4 & apud Stobeum cit. loc.*)

III. Verum quæ tam late patet temperantia præcellens quidem virtus eſt, ſed non una quædam ab aliis vi ſua, & natura diſcrepans. Quamobrem hæc virtus anguſtiores fines habet & ſuos, atque id ſibi tantum ſumit, ut eas comprimat refrenetque voluptates, quæ guſtu, tactuque capiuntur; quæ quidem cum accerrimæ ſint, & importuniſſimæ, atque animum ab honeſtate longius abducant, quoniam ſunt communes cum belluis, iccircoque maxime ſerviles actur-

turpes, peculiari quadam, & propria virtute opus eſt, ut intra mediocritatem contineantur: eſt itaque temperantia conſtans ac firma in eas voluptates, quas guſtus, & tactus efficit, dominatio: neque enim, quæ ſunt animi, ut diſcendi cupiditas, ut gloria, ut ambitio, ex quibus delectatio capitur, quæque ſunt aliorum ſenſuum propriæ, & naſcuntur ex colore V. C. figura, pictura, hiſtrionum motu, ſpectaculis, odoribus, & fragrantia, ad temperantiam pertinent: nec qui his delectantur, vel ut ratio præſcribit, vel nimium, vel parum, eos temperantes, aut intemperantes dicimus niſi ob ſimilitudinem quamdam; ut Ariſtoteles docet (*lib.* 3. *Ethic. cap.* 10.)

IV. Quo efficitur, munus eſſe temperantiæ modum adhibere voluptatibus, de quibus dixi, cum in appetendis, tum in capiendis, hoc eſt, & quibus, & quantum, & ubi, & quando, & quomodo oportet: quod enim non licet facere, id appetere nefas eſt. Itaque temperans *nec concupiſcit*, ut Ariſtoteles ſcribit [*Ethic. lib.* 3. *cap.* 11.] *niſi moderate: quod ſi concupiſcat, nullam magis, quam decet, concupiſcit, nec quando dedecet, nec ullam omnino ardentius deſiderat ejus generis voluptatem;* ac non modo re, ſed cogitatione etiam abeſt a turpitudine; quod facere non poteſt niſi is, qui corpus contemnat, abſtrahatque mentem a ſenſibus, vivatque quaſi in ſinu complexuque philoſophiæ; ut Platoni eſt viſum [*in Phædone*] *Nonne & temperantia*, inquit, *cujus plerique ajunt officium eſſe, nequaquam proſternere ſe libidinibus, ſed parvipendere illas, modeſtiamque ſervare, his dumtaxat convenit, qui corpus deſpiciunt maxime, atque in philoſophia vivunt?*

V. Cum vero voluptatum harum ardenti quodam ſtudio adoleſcentes ac juvenes maxime teneantur, ideo his enitendum eſt, ut mature in temperantia præſidium collocent ſalutis & felicitatis ſuæ, & ex ejus præſcriptione vivant, compreſſa ſedataque concupiſcendi vi, ut ex nutu ac voluntate pædagogi puer; atque in id curam conferant neceſſe eſt eo majorem, quo eſt temperantiam comparare, tuerique difficilius; cum ex ipſo corporis commercio ad voluptatem proclives ſimus, in eaque ab infantia nutriamur. Quamobrem niſi impetus ille citius, quoad fieri poteſt, reprimatur, reſtinguaturque ardor quodammodo, adeo ingraveſcit in dies, ut ſuſtineri deinceps, tollique vix poſſit. VI.

VI. Sunt autem temperantiæ fructus uberrimi, quippe quæ parit animo tranquillitatem, & idoneum facit ad contemplationem rerum cum humanarum, tum divinarum, ex quo virtutes naſcuntur fere omnes, cum earum quædam ſit quaſi parens accurata & diligens meditatio. Confert item plurimum non modo ad mentis, ſed etiam corporis ſanitatem, quæ eximium quoddam munus eſt, a Deo hominibus datum, & magnum in terris bonum; quod cum juvenes bene valentes robore ac viribus parvi faciant, aut non intelligant ad diuturnam valetudinem opus eſſe temperantia, illud facile amittunt: tum vero ſentiunt calamitatem ſuam, cum ſuſceperint graviores morbos, quos depellere nullo modo poſſint, & aut miſere vivendum ſit, aut intempeſtive moriendum propter contemptum viaticum ſenectutis, quod ipſo ætatis flore quærendum erat a temperantia; quam iccirco adhibere oportet comitem ac ducem viæ, eamque audire ſimiliter in parvis & magnis, juſtam quoque licentiam moderatamque metuendo: quod quidem ſacrificium quoddam eſt initio durius aliquanto, ſed tum ſuave, & Deo certe gratiſſimum: *ſacrificium mihi maximum videtur*, ait Iſæus [*apud Stobeum Serm.*5., *qui eſt de Temperantia*] *vitam quotidie modeſtam & temperantem præſtare*. Hac autem re nihil eſt, quod magis ornet ac decoret juventutem: *ne tabulis, & picturis*, ait Epictetus (*apud Stobeum cit. loc.*) *domum tuam circumda, ſed temperantia ipſam depinge: illud enim alienum eſt, & oculorum modo jucunda præſtigiatio. Hoc vero indelebilis, æternuſque domui ornatus exiſtit.*

VII. Temperantiæ repugnat intemperantia, quæ nimium eſt, & ſtupor ſeu vacuitas ſenſus, quæ parum. In ea quidem peccatur a multis, & ſæpe; in hac a paucis, & raro, aut fere nunquam. Intemperantia eſt immoderatus amor voluptatum, de quibus dixi, quas ſerviles & belluinas eſſe ſcribit Ariſtoteles [*lib.*3. *Ethic. cap.*10.] quoniam belluæ his tantum capiuntur: *neque enim*, inquit (*cit. loc.*) *aut canes leporum delectantur odore, ſed paſtu; ſiquidem ſenſum odor fecit, & efficit: aut leo voce bovis, ſed eſu, quod eum in propinquo eſſe ſenſit ex voce: itaque eo ipſo lætus eſt: itemque nec quod cernat, aut invenerit cervum, vel capram feram, ex eo gaudet, ſed quia paſtum nactus ſit.*

VIII.

VIII. Itaque cum verſetur in iis voluptatibus intemperantia, quarum participes ſunt animantes, earumque ſenſus ſit in nobis, non ut homines ſumus, ſed ut animalia, his talibus delectari, eaque adamare, belluarum eſt; ideoque flagitioſum, fœdumque maxime, quemadmodum ſemper viſum eſt ſapientibus. *In pecudum*, ſcribit ſimiliter Macrobius (*Saturnal. lib.2. cap 8.*) *ferorumque animalium numero habetur quiſquis eſt his ferarum voluptatibus occupatus*; quam ſententiam accepit is ex A. Gellio (*Noct. Attic. lib.19. cap.2.*) quorum uterque deſcribit verba Ariſtotelis, ut a turpiſſimis his voluptatibus tanti viri auctoritate deterreat.

IX. Ad hæc maxime acerba intemperantis vita eſt; quippe qui cum plura cupiat, nec poſſit conſequi, triſtitia ac dolore afficiatur neceſſe eſt (*vid. Ariſtotelem lib.3. Ethic. cap. 11.*) Verum aliæ ſunt dolendi, miſereque vivendi cauſæ: *quemadmodum igitur*, ait Tullius [*Tuſcul. qq. lib.4.*] *temperantia ſedat appetitiones, & efficit, ut hæ rectæ rationi pareant, conſervatque conſiderata judicia mentis: ſic huic inimica intemperantia omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. Itaque & ægritudines, & metus, & reliquæ perturbationes omnes gignuntur ex ea*; quæ quo eſt vehementior, eo magis mentem e ſua ſede dimovet, ut Ariſtoteles ſcribit (*lib. 3. Ethic. cap.12.*)

X. Valet autem ad hanc affectionem, quæ teterrima eſt & fœdiſſima, repellendam etiam conſideratio ejus præſtantiæ, quæ ineſt in humana natura præ belluis. *Pertinet ad omnem officii quæſtionem*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquiſque beſtiis antecedat: illæ enim nihil ſentiunt, niſi voluptatem, ad eamque feruntur toto impetu. Hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique, & audiendi delectatione ducitur.*

XI. De ſtupore & vacuitate ſenſus, quæ immoderatum quoddam odium eſt voluptatum, non opus eſt multa dicere: nam qui hoc vitio laboret, fere reperies neminem: *qui autem parum*, ait Ariſtoteles (*lib.3. Ethic. cap. 11.*) *aut minus, quam æquum ſit, voluptate afficiantur, pauci admodum reperiuntur: non enim propria eſt hominis hujuſmodi ſenſus vacuitas: etenim cætera animalia paſtum diſcernunt a paſtu, alio-*

Vvv que

Digitized by Google

que delectantur, alio non item. Sed ſi quis eſt hujuſmodi, cui nihil voluptatem afferat, quique nihil putet intereſſe inter aliam rem, atque aliam; is profecto procul abſit a natura hominis, hominemque ex homine exuerit neceſſe eſt.

XII. Verum fieri poteſt, mentem aliquando adeo ſapientiæ, & rerum divinarum contemplatione occupari, eaque tam vehementer affici, ut nullæ fere ſentiantur corporis voluptates, & cibus ipſe nequaquam ſapere videatur; quod quidem ſanctiſſimis viris accepimus contigiſſe: hic autem ſtupor, quem efficit pulcherrimarum rerum diuturna meditatio, exercitatioque virtutum, non in vituperatione, at ſumma in laude ponitur: nam eo animus præſtantior eſt, quo longius diſcedit a ſenſibus, contemnitque eas voluptates, quæ propriæ ſunt pecudum & belluarum.

XIII. Cæterum ſit capiendarum voluptatum regula, prima quidem ſumma felicitas, ad quam omnia ſunt referenda; ex quo conſequens erit, ut, quæ turpes ſunt, rejiciantur omnino: altera vero bona corporis valetudo, & conſervatio, inſtauratioque virium, quæ ad præclara facinora dirigantur; tandemque vitæ neceſſitas, atque id, quod decorum ſit pro modo fortunarum, divitiarum, ac munerum: *quæ autem*, ait Ariſtoteles (*lib. 3. Ethic. cap. 11.*) *ad valetudinem pertinent voluptates, vel firmam corporis conſtitutionem, eas modice, & ut decet, concupiſcit* (temperans) *cæteraſque res omnes voluptatum effectrices, quæ his non ſint impedimento, dummodo nec honeſtati repugnent, nec facultates exhauriant.* (*Vid. S. Thomam 2.2. q.141. art.6.*) Uno verbo ſtatuo, fas eſſe capere voluptates, ut ſit mens ſana in corpore ſano.

XIV. Quo efficitur non eſſe voluptatem ex genere eorum bonorum, quæ propter ſe ſunt expetenda, ut monet etiam Seneca (*Epiſt. 88.*) *temperantia voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit; alias diſpenſat, & ad ſanum modum redigit, nec unquam ad illas propter ipſas venit;* & Tullius (*Offic. lib.1.*) *victus, cultuſque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem.* Quæ cum ita ſint, apparet, paucos eſſe temperantes, eoſdemque & forti & magno animo, qui imperent & obſiſtant cupiditati, cujus vis major eſt, quam hoſtium: illa enim intrinſecus eſt, & animo tantum oppugnari poteſt; hi extra, qui conjunctis viribus cum animi, tum corporis repelluntur. CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Quæ ſint Virtutes comites Temperantiæ.

VIrtutes comites temperantiæ, ſeu partes numerantur a multis, ut a Tullio (*lib. 2. de Invent.*) ab Ariſtotele (*libel. de Virt. tom. 5.*) a Macrobio (*in Somn. Scipionis lib. 1. cap. 8.*) a Gaſſendo (*Ethic. lib. 2. cap. 4.*) a Franciſco Patritio [*de Regno lib. 6. tit. 18.*] a Thoma Aquinate (2. 2. q. 143. *art. unic.*) aliiſque philoſophis, qui verſantur in moribus, ſed a quibuſdam plures, a quibuſdam pauciores, nec eædem nominentur ab omnibus. Mihi quidem videntur ad temperantiam pertinere continentia, modeſtia, manſuetudo, chriſtiana humilitas, abſtinentia, ſobrietas, parſimonia, taciturnitas; quarum aliæ ſunt temperantiæ modi, aliæ quaſi adminiſtræ, vel partes, ſine quibus ea virtus integra, atque abſoluta eſſe non poteſt.

II. Hæ profecto virtutes ſunt quaſi remotæ a ſtrepitu, plauſuque populari, nec magnam vulgi admirationem movent, nec erumpunt in forum, ſed morantur domi, ut ita dicam, animumque mirifice exornant, & decorant, & beatum faciunt in terris. Neminem autem magis decent, quam adoleſcentes, in quorum animis ſi innaſci cœperint vitia contraria, occidit honeſtas omnis, & vitæ decus, & tanta ſuſcipitur plerumque labes, ut elui, abſtergique nequeat in omne poſterum tempus, immo longe lateque fundatur in perniciem exitiumque plurimorum.

CAPUT III.

De Continentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Continentiæ contraria.

I. Continentia, cum late patet, virtus eſt, qua coercetur vis pravæ cujuſque cupiditatis, & animus intra rationis fines ita concluditur, ut nunquam erumpat foras perturbatione aliqua concitatus, ut ſuperbia, ut avaritia, ut libidine, ut iracundia: quod ſignificat Tullius, cum ait (*lib.2. de Invent.*) *continentia eſt, per quam cupiditas conſilii gubernatione regitur*. Verum hoc non unius virtutis eſt: cum enim plures ſint ipſæ ſecum diſcrepanres cupiditates, ſingulis comprimendis virtus præeſt peculiaris & ſua. Itaque ut in continentia unius ſit ratio virtutis, vis ei ſubjecta reſtricte præfiniatur neceſſe eſt.

II. Nec vero id placet, quod hac de re diſputat Ariſtoteles [*Ethic. lib.7.*] quippequi ita ſcribit, ut præterquamquod nec perſpicuitatem ſervet, nec ordinem, quod facere in multis ſolet, nihil fere inde utilitatis capi poſſe videatur. Quod continentiam ſecernat a temperantia, nihil repugno; hæc enim latius patet; at illa in uno tantum cernitur munere temperantiæ, ut paullo poſt dicam: non tamen probandum eſt diſcrimen, quod inter utramque collocat; quoniam putat eum eſſe continentem, qui non cedit cupiditatibus, quibus conſtrictus ſit, & firmis, & malis; cum temperans nullas habeat vehementes, graveſque cupiditates (*ibid. cap.2.*) quod quidem futile videtur eſſe: nam uterque poteſt gravi quadam, & prava cupiditate concitari. Ariſtotelis vero interpretes ſubtilius faciunt, qui cum continentiam dividant a caſtitate, volunt continentem eſſe eum, qui magnis cupiditatibus obſiſtit ac repugnat impellentibus ad obſcenas voluptates; caſtum vero, qui ſtatuit ab iiſdem voluptatibus abſtinere: ſed cur hæ virtutes diſcrepent inter ſe, non intelligo; quoniam virtus eadem & abſtinere jubet a voluptatibus, & earum cupiditati repugnare. Sed hæc parvi momen-

menti cum ſint, & ad morum honeſtatem nihil conferant, ad alia pergamus.

III. Porro continentia eſt firmum quoddam propoſitum ab impuris, libidinoſiſque voluptatibus abſtinendi; iccirco non diſcrepat a caſtitate; quæ quidem alia eſt conjugum, alia viduarum, alia virginum; quæ poſtrema omnium eſt præſtantiſſima, & virginitas appellatur, hoc eſt, voluntas nullo unquam tempore violandæ caſtitatis, omni etiam repudiato conjugio; & tanta eſt virtus, ut hominem ſimillimum faciat mentium beatarum, conjungatque cum Deo, qui, cum puriſſimus ſit, eos adamat maxime, qui ſunt addicti virginitati. Eſt autem referenda ad contemplationem rerum cæleſtium ac divinarum, atque ad eximia officia pietatis, et religionis, quibus facilius licet vacare virgini, cura qualibet, cupiditateque ſublata, & proſtrato hoſte, quo acerrime conflictamur: tunc enim mens ſeſe quaſi abducit a corpore, ſuoque munere fungi poteſt.

IV. Quamobrem continentia ac virginitas non modo ſummis laudibus celebratur a noſtris, ſed etiam a veteribus, quorum cæteroquin animi ſuperſtitione occuparentur; magno in pretio habita eſt, & ampliſſimis honoribus decorata. Virgines quidem, quæ ſacerdotes Veſtæ conſtitutæ ſunt a Numa Pompilio, cum prodirent, deducebantur cum faſcibus, nec licebat necari eum, in quem caſu inciderent, cum traheretur ad necem (*Plutarchus in Numa Pompilio*) vehebantur Carpento, quod nobiliſſimum erat currus, & lecticæ genus, & inſigne ſacerdotum, quo uſa eſt Agrippina conciliandæ ſibi venerationis gratia, ut Tacitus ſcribit (*Ann. lib. 12.*) *Suum quoque faſtigium Agrippina extollere altius, Carpento Capitolium ingredi, qui mos ſacerdotibus, & ſacris antiquitus conceſſus venerationem augebat feminæ* (*vid. Lipſium in comm. ad hunc locum, & Syntagm. de Veſtal. cap. 11. tom. 3.*) In veſtitu, quo virgines utebantur, eximium cernebatur decus: nam veſtes albæ cum eſſent quaſi nivei candoris indicium, earum extremam partem ambiebat circumducta purpura [*vid. Lipſium cit. loc. cap. 12.*] Vitta cingebat caput ad dignitatem, ut Prudentius ſcribit (*lib. 2. contra Symmachum*)

Se-

. . . . Sedet illa verendis
Vittarum inſignis phaleris . . . . .

Veſtalium auctoritas erat maxima, ac ſacra, ac preces ſummi ponderis (*vid. Svetonium in Julio cap. 1., & in Tiberio cap. 2.*) tanta eis habebatur fides, ut ad jusjurandum non cogerentur [*in edicto Prætoris perpetuo apud A. Gellium lib. 10. cap. 25.*] *ſacerdotem Veſtalem, & Flaminem dialem in omni mea juriſdictione jurare non cogam.* Fuit item earum eligendarum ritus pleniſſimus majeſtatis, quo ſatis declarabatur, rem agi graviſſimam, plurimique æſtimari virginitatem: nam prima omnium capta eſt [ita enim dicitur] a Numa Pompilio (*A. Gellius Noct. Attic. lib. 1. cap. 12.*) tum jus eligendi fuit apud reges [*Dionyſius Halicarn. lib. 2.*] & poſtremo penes pontifices maximos per Papiam legem (*A. Gellius cit. loc.*) Cavebatur autem, ne qua labes, aut linguæ, aut ſenſuum, aut corporis vitium ineſſet in virgine. (*A. Gellius ib.*) At pœna conſtituta violanti caſtitatem ſatis indicat, quanti ea virtus facienda putaretur: nocens quidem viva ſepeliebatur tam diro, funeſtoque ritu, ut nullum eſſet ſpectaculum horribilius, nec dies ulla triſtior civitati [*Plutarchus in Numa Pompilio, & Lipſius de Veſt. cap. 13.*] Quamquam vero elapſo trigenta annorum ſpatio poſt ſuſceptum ſacerdotium cuique liceret, ſi vellet, nubere; tamen auctor eſt Dionyſius [*lib. 2.*] & Plutarchus (*in Numa*) quæ id facerent, eas fuiſſe pauciſſimas, quibus etiam ita adverſæ, parumque fortunatæ res acciderunt, ut earum calamitates reliquis eſſent exemplo ad retinendam virginitatem. Sybillæ etiam celebrantur propter hoc eximium decus, quibus ut caſtitatis præmium data creditur divinatio (*Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum tom. 4.*) Eamdemque ob cauſam Camilla Volſcorum regina laudatur a Turno (*Æneid. 11. v. 503.*)

O decus Italiæ Virgo, quas dicere grates?
Quaſve referre parem?

Muſis ſimiliter tributa virginitas eſt a poetis quaſi ornamentum maximum.

V.

V. Quæ cum ita ſint, mirum eſt, quoſdam e chriſtianis quidem hominibus, ſed a Chriſti doctrina alienos (*Lutherus in Epithalam.*, & *Calvinus lib.4. Inſt. cap.13. §.17. 18. 19.*) non modo conjugium præferre virginitati, ſed qui hanc ſervet quaſi Deo gratiorem, eum ſuperſtitioſum eſſe dicere: quæ ſententia impia eſt, & abſurda, & majorum auctoritati ac religioni contraria. Sed homines libidine concitati ea, quæ pulcherrima ſunt, non vident. Itaque res eſt eximia, & magna virginitas; ſed quoniam ardua eſt propter vim inflammatæ cupiditatis, atque ita hæret in lubrico loco, ut caſu lædi facile poſſit, & nullo pacto, cum ſemel vel cogitatione violata eſt, reparari, ut ſcribit Poeta (*Ovidius Epiſt. 5.*)

. . . . *nulla reparabilis arte*
Læſa pudicitia eſt; deperit illa ſemel.

Icciro ſummo ſtudio enitendum eſt, ut pura, integraque ſervetur, & nihil prætermittatur eorum, quæ conferre eam in rem poſſe videantur.

VI. Atque in primis ea fugienda ſunt omnia, quæ incendere poſſint, inflammareque cupiditatem, ut lectio librorum, in quibus aliquid ſit turpitudinis, & amatoriarum inanitatum, quales eſſe poetæ ſolent, ut familiaritas & conſuetudo præſertim feminarum, improborumque ſociorum, qui maximam perniciem afferunt caſtitati aut dictis, aut factis; ut ſermo omnis minus honeſtus ac verecundus (eſt enim caſtitatis cuſtos quædam verecundia) ut actio multo magis ejuſdem generis, etſi joci gratia, ut ſcenæ ac theatra: quamobrem ſunt ita continendi ſenſus, ut ex his quoad fieri poteſt nihil illabatur in mentem, quod labem aſpergat pudicitiæ: neque enim facile eſt inhoneſtam formam, quæ inhæſerit in animo, delere ac repellere.

VII. Icciro laudatur Alexander Macedo, qui victi Darii regis uxorem, quam eſſe acceperat egregia præſtantique ſpecie, ne videre quidem voluit; quod ſignum fuit continentiæ ſingularis. Quærit autem A. Gellius (*Noct. Attic. lib. 6. cap.8.*) uter continentior ſit judicandus, Alexander ne, an P. Scipio Africanus ſuperior, qui expugnata Carthagine, am-

Digitized by Google

ampla in Hiſpania civitate, captam virginem nobilis Hiſpani viri filiam, patri inviolatam reddidit. Cautior certe Alexander, qui mallet fugere, quam pugnare: vincitur enim incontinentia non dimicatione, ſed fuga; & hæc quidem prudentis eſt, illa confidentis & temerarii.

VIII. Quamobrem valet plurimum ad tuendam virginitatem a quavis minus honeſta cogitatione mentem cito, ac diligentiſſime removere, & in alia ſtudia diſtrahere, & nunquam in otio eſſe, ac deſidia, quæ parens eſt procreatrixque vitioſitatis; ſed exercere oportet animum in virtutibus, eumque ita utilium curarum honeſtate complere, ut omnis intercludatur turpitudini ac flagitio via; præſertim cum, ſi qua virtus alia, certe virginitas comitatu egeat, & clientelâ virtutum omnium, quibus ſæpiatur: delicata enim cum ſit, ac tenerrima, facile lædi & inquinari poteſt, niſi quaſi vallo muniatur prudentia, fortitudine, verecundia, modeſtia; maxime vero ſobrietate & abſtinentia in potu ac cibo, qua inciratio ſubtrahatur incenſæ ex ſeſe, inflammatæque cupiditati. Adhibenda ſimiliter moderatio eſt in vitæ cultu, qui cum ſumptuoſior eſt, nec tenet modum, inimicus eſt continentiæ. Hanc vero per preces a Deo petere ac flagitare in primis neceſſe eſt: neque enim eſt in nobis ſitum pure, caſteque vivere; ſed tantum, quod auctore Deo velle cœpimus, id adjutore licet aſſequi; ex quo conſequens eſt, ut nunquam fas ſit tam præclaro munere gloriari, ſed conſentaneum omnino id animo demiſſo atque humili tueri, defendere, cuſtodire, incolume atque integrum ſervare, quod datum eſt: quoniam ſolet eſſe ſuperbiæ pœna, eademque graviſſima, in libidinem incontinentiamque prolapſio. Poſtremo cavendum eſt, ne quæ minima videntur eſſe, negligantur in retinenda caſtitate, quippe quæ inſtar ſpeculi, ipſo halitu commaculari, atque infici poteſt. Vitrum quidem fragile eſt, ſed fragilior caſtitas, quam vel levis ictus labefactat, ac frangit.

IX. Ea vero maxime cordi ſit velim adoleſcentibus, quibus nihil eſt, quod plus afferat laudis, decoris, & ornamenti, quam caſtitas, continentia, pudicitia, verecundia; quamobrem ut tanto bono potiantur, ex quo etiam uberrimos fructus capient cum in terris, tum in beata vita poſt obi-

obitum, libenter decertent adverſus inſanientem perturbationum temeritatem, nec deſperent unquam ſe victores fore, ſi velint: virginitas enim nulla vi auferri poteſt ab invito; ſed manet integra, quicquid accidat in corpore, repugnante voluntate. Maxime vero, qui in ſacram militiam cooptati ſunt, ſimiles ſint oportet beatarum mentium, & ita contineant ſeſe, quaſi vacent concretione mortali, & revereantur cum ipſi ſe, & divinam mentem, qua præditi ſunt, ut omnes debent, tum perſonam, quam gerunt, ac dignitatem (*Continentiæ exempla vid. apud Valerium Max. lib.6. cap.1. & Andream Eboracenſem v. Caſtitas tom.1. & apud Ælianum Hiſt. lib.3. cap.30.*)

X. Continentiæ repugnat incontinentia, quæ modum ſuperat; eſt autem obſcenarum voluptatum vehemens quædam, & inconſiderata appetitio. Nemo eſt, qui hoc vitium non putet eſſe turpiſſimum, maximeque flagitioſum. Ejus vis eſt tanta, tamque inſolens ac malefica, ut hominem mutet in belluam: unde extitit fabellæ locus de Circe, a qua homines in impuros, luculentoſque mutarentur ſues, quod & Ulyſſis ſociis contigit. Virgilius quidem ubi Circæam terram deſcribit (*Æneid. lib.7. v.15.*) ſic ait:

Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recuſantum, & ſera ſub nocte rudentum:
Setigerique ſues, atque in præſepibus urſi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum.
Quos hominum ex facie Dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

At Ulyſſes adverſus maleficium ſe muniit ſumpto pharmaco, & arte ſimiliter eluſit Sirenum cantus, comitibus, a quibus aures occludi cera juſſit, a periculo liberatis: quamobrem ſcribit Horatius (*lib.1. Epiſt.2.*) de Ulyſſe.

Sirenum voces, & Circæ pocula noſti;
Quæ ſi cum ſociis ſtultus, cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

XI. Fabulantur autem poetæ non in ſues tantum converſos homines a Circe, ſed & in leones, in urſos, in lupos, in canes: nam qui incontinens eſt, is non una bellua eſt, ſed multiplex: videtur enim in ſe complecti naturam plurium, immo omnium ferarum: quoniam, quæ earum ſunt propria, ea præſefert omnia, ut inconſtantiam, ut temeritatem, ut imprudentiam, ut crudelitatem, ut rabiem, ut alia generis ejuſdem: cum ſit incontinentia fons quidam perturbationum, atque vitiorum: *omnium autem perturbationum, fontem*, ait Tullius (*lib.4. Tuſc. qq.*) *eſſe dicunt intemperantiam, quæ eſt a tota mente, & a recta ratione defectio, ſic averſa a præſcriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant.*

XII. Ita vero deficit a ratione is, qui incontinens eſt, ut ea carere omnino videatur inſtar belluarum: ſi enim in quopiam inhærent ſtirpes altæ ſtultitiæ, maxime in incontinente, qui cum nihil cogitet, quod ſit viro dignum, nihil ſapiat egregium, & ſublime, & decorum; nihil videat, niſi quod ſenſus afficit ac delinit; tum demum putat, ſe beatum fore, ſi in luto volutetur ut ſues; imiteturque cum vocem, tum facta pecudum, ſuas etiam omnes cogitationes abjiciens in rem tam humilem, tamque contemptam. Quid turpius eſſe, aut dici poteſt?

XIII. Deinde incontinentia malum eſt inſatiabile: expleri quidem fames epulis poteſt, & ſitis potu, immo ſanguine ac cæde tigris & leo; at libido potiundarum voluptatum nunquam poteſt: quo enim plus dederis, eo ſævit acerbius, ut ignis, cujus vis paſtu non remittitur, ſed augetur. Initio ſane modeſte, callideque petit aliquid blandiendo; cum vero acceperit, magna effertur inſolentia, duroque incautos affligit imperio, ſuperboque dominatu, cujus acerbitatem is tantum cognoſcere ſatis poteſt, qui experitur. Profectò nullus eſt tyrannus, qui tam dura imperet, ac tam varia, & quandoque contraria, quam voluptas; inſtat ſemper, urgetque, & quocumque te verteris, perſequitur, nec quieſcit, donec, ut illi morem geras, conſumas omnia; id etiam nititur extorquere, quod non potes. Et tamen ſunt plurimi adeo dementes ac ſtulti, qui teterrimum tyrannum alant domi, libenterque retineant, & iraſcantur,

ſi

ſi quis velit ab eis acerbiſſimam, qua tenentur, repellere ſervitutem.

XIV. Ex quo conſequens eſt, ut incontinentia ſit grave malum, moleſtumque maxime; quamquam inſipientibus dulce videatur: hoc enim optime natura comparatum eſt, ut hæ duæ res ſeſe ſimul comitentur invicem, voluptas & dolor, atque inhoneſtæ voluptati parata ſit comes pœnitentia: *voluptatem fuge*, ait Solon (*apud Stobeum Serm.6. de Intemperantia tom.1.*) *quæ in poſterum dolorem parit.* Et Antiphon (*ibid.*) *ubi dulce eſt, prope alicubi etiam triſte; voluptates enim non ex ſeipſis progrediuntur; ſed ſequuntur eas dolores & moleſtiæ.* Ex quo extat illud Georgii Sabini epigramma (*apud Agustr. de Virt., & Vit. diſp. 14. q. 1. ſect. 3.*)

Cum puer alveolo furatur mella Cupido;
Furanti digitum cuſpide fixit apes.
Sic etiam nobis brevis, & peritura voluptas,
Quam petimus, triſti mixta dolore nocet.

Quod & venuſte expreſſit Boetius (*lib.3. de Conſ.Philoſ. metr.7.*)

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit;
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Quiſque autem ſecum reputet, expedlatne breviſſimæ voluptatis gratia ferre animi cruciatus in omni vita, curaſque acres, & ſempiternas: *fluit igitur*, ait Tullius (*lib.1. de Fin.*) *voluptas corporis, & prima quæque avolat, ut ajebat* (Ariſtoteles) *ſæpiuſque relinquit cauſas pœnitendi, quam recordandi:* quamobrem nihil magis eſt, quam illa, inimicum felicitati.

XV. Ad hæc incontinentia ita noxia eſt, exitialis & perniciosa, ut nihil poſſit ſupra. Totum perdit hominem: nam primum vires corporis debilitat & enervat, illudque ita inficit, ut extabeſcat macie, & peſſime oleat, ac facies pallore compleatur, omni ſublata pulchritudine ac venuſta-

Digitized by Google

ſtate. Hinc dolor capitis, hinc tremor, debilitaſque membrorum, hinc ſubita cerebri offenſio, qua omnia circumagi videantur, hinc φθίσις, ut Græci vocant, hinc ſumma gracilitas, & procerum, exſuccum & tenue collum, & oſſa eminentia, & quandoque cute tantum contecta, hinc vox fracta, & moleſta, & aſperior, hinc inertia & torpor, hinc morbi alii innumerabiles, qui aut mortem afferunt, aut infirmitatibus enectam reddunt, & miſeram ſenectutem. Exempla ſunt plurima hominum incontinentium, quorum fuit infelix vita, & triſtis exitus, ut Sardanapali [*Juſtinus lib.* 1.] Eliogabali (*Lampridius in Eliogabalo apud Salmaſium*) Neronis (*Suidas v.* νέρων, *& Suetonius in Nerone*) Commodi (*Lampridius in Commodo apud Salmaſium*) Caligulæ (*Suetonius in Caligula*) Antonii (*Plutarchus in ejus vita*) Cleopatræ (*Plutarchus ib.*) Catilinæ (*Valerius Max. lib.* 9. *num.* 9.) Balthaſſaris (*Daniel.* 5.) & aliorum.

XVI. Mirum profecto videri poteſt, homines, qui tanto ſtudio tenentur valetudinis & vitæ, quæ his maxime nocent, ea ſequi velle propter perbrevem voluptatem, qua facile carere poſſunt. *Pleriquc autem*, ait Tullius [*lib.* 1. *de Fin.*] *quod tenere, atque ſervare id, quod ſtatuerunt, non poſſunt, victi & debilitati, objecta ſpecie voluptatis, tradunt ſe libidinibus conſtringendos, nec, quid eventurum ſit, provident; ob eamque cauſam propter voluptatem & parvam, & non neceſſariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere poſſent ſine dolore, tum in morbos graves, tum in damna, tum in dedecora incurrunt, ſæpe etiam legum, judiciorumque pœnis obligantur.* Equidem non puto, eſſe dementius venenum haurire, quod dulce ſit, quam obſcenas capere voluptates. Illud etiam ridiculum, quod multi in recuſandis laboribus cauſantur virium infirmitatem, quæ vero eas labefactat omnino, incontinentiam acerrime conſectantur. *Extremæ impudentiæ eſt*, ajebat Muſonius (*apud Stobeum Serm* 6. *de Intemperantia tom.* 1.) *in ſubeundis, vel ſuſtinendis quidem laboribus meminiſſe corporis imbecillitatis; erga voluptates autem obliviſci.*

XVII. Sed ea corporis mala quamquam gravia in ſeſe; tamen leviora ſunt, ſi cum morbis & calamitatibus comparentur, quibus animum conficit incontinentia: nam mentis

tis vim, atque aciem obtundit, lumenque rationis fere opprimit & extinguit, ac funditus evertit omnem prudentiam, & impedit recta conſilia: quamobrem qui laborat hoc vitio, ſtupidus evadit & quaſi inſanus, ineptiſſimus ad ſtudia literarum, atque ad gerenda negocia. Quot adoleſcentum ingenia, cum peſte tam importuna vitiantur, etſi egregia ac præclara, paulatim hebeſcunt & moriuntur; dum contra, quæ honeſtatis laude decorantur, ea vigeant & effloreſcant in dies. Exhauritur etiam propter incontinentiam rerum inventarum theſaurus, & cuſtos memoria

XVIII. Sed nihil eſt, quod inficiatur magis, quam voluntas: completur enim malitia & turpitudine, quàlibet virtute ſublata; ubi incontinentia, ibi etiam tamquam ejus comites adſunt ordinis perturbatio, impudentia, temeritas, luxus, animi diſſolutio, inobedientia, legumque contemptio, ſocordia, incuria, negligentia, ſæpe etiam odia, & rixæ, & cædes, ac tandem impuriſſimus fons omnium vitiorum: *fons & origo male vivendi*, ait Muſonius [*apud Stobeum Serm.6. qui eſt de Intemperantia tom.1.*] *non refugere obſcena*. Nihil eſt, quod non audeat incontinens, ut morem gerat concitatiſſimæ voluptati, nullo metu, nullo periculo, nulla infamia deterretur ab ſcelere: pravarum enim affectionum fluctibus cum jactetur, earum impetum ſequitur, non rationem ducem, donec tandem abſorbeatur triſtitiæ, & deſperationis gurgite, quolibet extincto religionis ſenſu, atque adeo deleta notione divinitatis. Itaque quid mirum, ſi bona contemnat & ſua, & propinquorum, & amicorum, & reipublicæ. Huc id referas, quod ſcribit Terentius (*Heautontimorumenos act.4. ſc.1.*)

Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum ſciunt,
Melius, pejus, proſit, obſit, nihil vident niſi quod lubet?

XIX. Neque vero nefaria hæc lues, quam vituperamus hoc loco, eum tantum inficit, in quo nata eſt, ſed plerumque late manat in alios:

. . . . ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Uvaque conſpecta livorem ducit ab uva;

(*Ju-*

(*Juvenalis Satyr.* 2. *v.* 80.) ſic ab uno incontinente plures contaminantur ac polluuntur, & interdum familia integra, & communitas aut factis, aut dictis: nam, ut ait Menander (*in Georgio apud Stobeum Serm.* 5. *qui eſt de Temperantia tom.* 1.) *a factis inhoneſtis non poſſunt honeſta proficiſci verba.* Eo autem magis flagitioſi homines illi fugiendi ſunt, quod fallunt, & occidunt illecebra ac ſpecie amicitiæ, ac, ſi fieri poſſet, illuc eſſent amandandi, ubi ſoli, aut cum ſuum grege lutulento in ſorde volutarentur.

XX. Illud autem miſerrimum, quod fere inſanabilis eſt iſte incontinentiæ morbus: cum enim ſit mentis quædam inſania, ut dixi, & vehemens furor, pervertatque rationem & voluntatem; quæ medicina ſanare poſſit inſipientem? Itaque nihil proſunt præcepta, conſilia, monita, adhortationes, minæ, propoſita merces, aut pœna; præſertim cum jam confirmata eſt conſuetudo, & penitus adhæſit in animo: & quamquam interdum ſi forte clarior lux oboriatur, videant incontinentes mala ſua, ac doleant & lacrymentur etiam; tamen ea amant, non deſerunt: nam corruptelæ illecebris, quaſi vinculo, tenentur irretiti, quod fortius eſt, quia intus eſt hoſtis, & in viſceribus, qui eos vel allicit, vel cogit ad ſerviendum; nec poſſunt contra niti, niſi dimidia ſui parte, hoc eſt, ratione, quæ imbecillis eſt, & fere proſtrata; cum pars alia acerrime pugnet, & inſolens ſit ob partas victorias, & malæ conſuetudinis præſidio roborata, idcircoque polleat non modo arte, ſed etiam viribus. Interdum frangi poteſt hæc inſolentia, & temeritas ferro tantum & igne, hoc eſt graviſſimo aliquo caſu, & ſubita calamitate, periculoſo morbo, diuturnoque carcere, quibus corpus ipſum affligatur & concidat. Nihilominus non eſt deſperanda ſanitas, ſed magna quædam, & vehemens adhibenda contentio.

XXI. Quæ cum ita ſint, hac in re maxime nunquam ſatis inculcari poteſt celebris illa præceptio: *principiis obſta:* quis enim depellat virus, quod jam in viſcera, venaſque pervaſerit? Sed cauti ſint præ cæteris adoleſcentes, ne capiantur illecebra voluptatis: *maxime autem*, ait Tullius (*Offic. lib.* 1.) *hæc ætas* [adoleſcentia] *a libidinibus arcenda eſt, exercendaque in labore, patientiaque & animi,*

&

& corporis: cum enim parum illi valeant rerum uſu, itemque judicio & prudentia, ultro conjiciunt ſeſe in eam ſervitutem, cujus deinde acerbitatem ſentiunt, ſed ferunt perpetuo vel inviti: quandoquidem quanta ſit incontinentiæ tyrannis, quam ſæva, quam immanis explicare ſatis, aut mente comprehendere nemo poſſit, niſi qui experitur.

XXII. Equidem in eam mentem veni, ut putem, etſi nulla eſſet pœna improbis conſtituta, ac merces bonis, & animus interiret cum corpore; tamen omni ſtudio fugiendam eſſe incontinentiam vel hinc ob cauſam, quod nihil ſit magis inimicum vitæ tranquillitati, nihil, quod ærumnas afferat graviores & animo, & corpori: quamobrem & qui providentiam ſuſtulit, & animo detraxit æternitatem, *clamat Epicurus*, ut ſcribit Cicero (*de Fin. lib.* 1.) *is, quem vos nimis voluptatibus eſſe deditum dicitis, non poſſe jucunde vivi, niſi ſapienter, honeſte, juſteque vivatur.*

XXIII. Immo qui ſapit, eas etiam reſpuit voluptates, quæ capi poſſunt honeſte: hoc enim confert plurimum ad quiete vivendum, atque ad præcludendam viam turpitudini, ac miſeræ ſervituti: *ad altiora quædam*, monet Tullius (*de Fin. lib.* 1.) *& magnificentiora, mihi crede, Torquate, nati ſumus; nec id ex animi ſolum partibus, in quibus ineſt memoria rerum innumerabilium, vitæ quidem infinita, ineſt conjectura conſequentium non multum a divinatione differens, ineſt moderator cupiditatis pudor, ineſt ad humanam ſocietatem juſtitiæ fida cuſtodia, ineſt in perpetiendis laboribus, adeundiſque periculis firma & ſtabilis doloris, mortiſque contemptio: ergo hæc in animis: tu autem etiam membra ipſa, ſenſuſque conſidera: qui tibi, ut reliquæ corporis partes, non comites ſolum virtutum, ſed miniſtri etiam videbuntur. Quid ſi in ipſo corpore multa voluptati præponenda ſunt, ut vires, valetudo, velocitas, pulchritudo?*

XXIV. Remedia non præſcribo hoc loco adverſus incontinentiam; ad hanc enim teterrimam labem repellendam valent eadem, quæ ad continentiam tuendam paullo ante tradita ſunt. Contineatur maxime neceſſe eſt vis Φανταςίας, quæ impura quædam ſolet eſſe officina turpitudinis: ex ea enim plerumque naſcitur moleſta concitatio propter ſpiritus, qui ex capite in reliquas partes illabuntur. Formæ autem

tem honeſtati contrariæ ſubeunt in cerebrum ex familiaritate, lectione, verbis, aſpectu, quæ iccirco diligenter fugienda ſunt, ut dixi, ſi quid habeant, quod minus decere videatur, & curandum eſt, ut quæ illuc influunt, ea ſint honeſtiſſima. Non omnes autem rebus objectis afficiuntur eodem modo, alii quidem aut nihil, aut remiſſius, alii vehementius: quamobrem ſinguli vitent oportet ea, quæ provident nocitura, atque erigant ſeſe ad cæleſtia, & veras ſectentur, ac liquidas voluptates. Vitium, quod parum eſt, repugnat idem continentiæ, quod temperantiæ, de quo ſupra dixi (*lib.3. part. 5. cap. 1.*)

CAPUT IV.

De Modeſtia, ac de Vitiis, quæ ſunt Modeſtiæ contraria.

I. Modeſtia, ut videtur pleriſque, & Tullio etiam (*lib. 1. Offic.*) a modo dicta eſt, intra quem humanæ actiones ſunt continendæ: ex quo a Stoicis definitur (*apud Tullium cit. loc.*) *ſcientia earum rerum, quæ aguntur, aut dicuntur loco ſuo collocandarum:* loco autem ſuo res quæque collocatur, cum ſibi præſtitutos fines tuetur, nec excedit extra. Modeſtus itaque generatim eſt is, qui intra modum ſtatus ſui, ingenii, fortunæ continet ſe cum facto, tum animo & voluntate. Verum cum nimium late pateat ſic uſurpata modeſtia, (nam virtus quælibet præſcribit tenendum modum) ut certam rem habeat, in qua verſetur, ac non communem, ſed propriam, preſſius definiatur hoc pacto: virtus, qua corporis motus, & geſtus, & humanæ actiones conſilio & ratione gubernantur decori conſervandi gratia. Modeſtiæ ergo propoſitum eſt id, quod decet in iis humanis actionibus, quæ ſubjectæ ſunt oculis, qualis eſt ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vox, riſus, itemque vultus, oculi, manuum & brachiorum motus, aliique generis ejuſdem: *quibus in rebus*, ait Tullius (*lib. 1. Offic.*) *duo ſunt maxime fugienda, ne quid ef-*

fe-

Digitized by Google

feminatum, aut molle, & ne quid durum, aut ruſticum ſit. *Nec vero hiſtrionibus, oratoribuſque concedendum eſt, ut iis hæc apta ſint, nobis diſſoluta*. Præter hoc generale præceptum, multa tradi poſſent de ſingulis, in quibus modeſtia cernitur, ut fiant omnia decore ac decenter; ſed expedit, nos pauca & ſtrictim dicere.

II. In primis magna ineſt quædam modeſtiæ dignitas in oratione, quæ vel contentionis eſt, vel ſermonis: contentio diſceptationibus tribuitur concionum; ſermo in circulis, diſputationibus, congreſſionibus familiarium verſatur, ut Tullius ſcribit (*lib.1. Offic.*) in utroque genere elucere debet modeſtia, & verecundia; & quanquam contentio, diſceptatioque acris poſſit eſſe ac vehemens; tamen ita modus tenendus eſt, ut abſit aſperitas, contumelia, & offenſio, & in dicendo ſuperbia, arrogantia, faſtidium, quæ interdum produntur oculis, & geſtu; nec valent, ſed nocent apud ſapientes, qui moventur non oratoris inſolentia, ſed rationum & argumentorum pondere. *Rectum eſt autem*, ait Tullius (*ibid.*) *etiam in illis contentionibus, quæ cum inimiciſſimis fiunt, etiamſi nobis indigna audiamus, tamen gravitatem retinere, iracundiam repellere: quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec conſtanter fieri poſſunt, nec iis, qui adſunt, approbari; & perit illa*, ut Quintilianus ſcribit (*lib.12. cap. 9. Inſt. Orat.*) *quæ plurimum oratori & auctoritatis, & fidei affert, modeſtia, ſi a viro bono in rabulam, latratoremque convertitur, compoſitus non ad animum judicis, ſed ad ſtomachum litigatoris*.

III. Oratio præſertim oratoris chriſtiani, & ſacri concionatoris plena ſit oportet cum gravitatis, tum modeſtiæ; ſed hujus rei præcepta rhetorum ſunt multa; præterquamquod publicam orationem ad populum habere cadit in paucos, & raro. At qui vivit in ſocietate, ſemper utitur ſermone familiari, qui ſi modeſte & decore cadat, & cum venuſtate, aptiſſimus eſt ad conciliandam auctoritatem ac benevolentiam eorum, quibuſcum vivimus. Sit quidem ſonus ipſe verborum verecundus & dulcis, literæ neque expreſſæ, neque oppreſſæ, ne quid aut obſcurum ſit, aut putidum. *Sit igitur*, ait Tullius (*lib.1. Offic.*) *hic ſermo* (*in quo Socratici maxime excellunt*) *lenis, minimeque pertinax: inſit in*

eo lepos. Nec vero tamquam in poſſeſſionem ſuam venerit (quod & pertinet ad modeſtiam) *excludat alios, ſed cum reliquis in rebus, tum in ſermone communi viciſſitudine nonnunquam utendum putet. Ac videat in primis, quibus de rebus loquatur*; conſtat enim non modo nihil eſſe dicendum, quod turpe ſit factu, nihil, quod inhoneſtum ſit in ſeſe, ſed vitia nonnulla ne ſuis quidem eſſe nominibus appellanda, quodque facere turpe non eſt, modo occulte, id dicere obſcœnum eſſe. *Itaque nec aperta actio*, ſcribit Tullius [*lib.1 Offic.*] *rerum illarum petulantia vacat, nec oratio obſcœnitate. Nec vero audiendi ſunt Cynici, aut ſi qui fuerunt Stoici pene Cynici, qui reprehendunt, & irrident, quod ea, quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa dicamus: illa autem, quæ turpia ſunt, nominibus appellemus ſuis . . . . . Nos autem naturam ſequamur, & ab omni, quod abhorret ab ipſa oculorum, auriumque approbatione, fugiamus.*

IV. Eſt etiam alienus a modeſto homine quilibet alius ſermo, qui vitium aliquod indicet ineſſe moribus. *Quod maxime ſolet evenire*, pergit Tullius [*loc. cit.*] *cum ſtudioſe de abſentibus detrahendi cauſa, aut per ridiculum, aut ſevere, aut maledice, contumelioſeque dicitur*: hoc enim cum iniquum eſt, tum impudens & inverecundum.

V. Præterea cum modeſtia quieta ſit, placida ac pacata, animi concitatas perturbationes excludit a familiari ſermone: rurſus Tullius [*lib.1. Offic.*] *Sed quoniam in omni vita rectiſſime præcipitur, ut perturbationes fugiamus, ideſt, motus animi nimios rationi non obtemperantes: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat: maximeque curandum eſt, ut eos, quibuſcum ſermonem conferemus, & vereri, & diligere videamur.*

VI. Non tamen conſentaneum eſt, impedimento eſſe modeſtiam, quominus aliquando, cum opus eſt, reprehenſio & gravior quædam admonitio adhibeatur cum modo. *Objurgationes etiam*, addit Tullius (*Offic. lib. 1*) *nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus utendum eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore. Id agendum etiam eſt, ut ne ea facere videamur irati; ſed ut ad urendum & ſecandum, ſic ad hoc genus caſtigandi, raro, invitique ve-*

Digitized by Google

veniamus; nec unquam, niſi neceſſario, ſi nulla reperietur alia medicina. Sed tamen ira procul abſit, cum qua nihil recte fieri, nihil conſiderate poteſt. Magna autem parte clementi caſtigatione licet uti; gravitate tamen adjuncta, ut & ſeveritas adhibeatur, & contumelia repellatur. Atque etiam illud ipſum, quod acerbitatis habet objurgatio, ſignificandum eſt, ipſius cauſa, qui objurgetur, ſuſceptum eſſe.

VII. Dedecet ſimiliter modeſtum hominem de ſe gloriatio; ut Tullius idem monet (*cit. loc.*) *deforme etiam eſt de ſeipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium imitari militem glorioſum*. Sermones autem habentur plerumque aut de domeſticis negociis, aut de republica, aut de artium ſtudiis & doctrina, aut de rebus divinis ac ſacris. *Danda igitur opera eſt* (*Tullius lib.* 1. *Offic.*) *ut etiamſi aberrare ad alia cœperit, ad hæc revocetur oratio. Sed utcumque aderunt res* (*neque enim omnes iiſdem rebus, nec in omni tempore, nec ſimiliter delectamur*) *animadvertendum eſt etiam quatenus ſermo delectationem habeat, & ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus*.

VIII. Eadem quæ in oratione, ſervari debet in ſcribendo verecundia; quod plures non faciunt etiam chriſtiani magno cum detrimento, vel alienæ famæ, vel animorum: videmus enim quibuſdam ſcriptis crudeliſſime alienam famam diſcerpi ac diſtrahi, & cum de re quæritur, notari mores adverſarii, indolem, parentes, patriam, ingenium, & interdum integram longe lateque fuſam communitatem, quæ a propoſita quæſtione tantum diſtat, quantum album a nigro, aut a terra cælum. Hac autem extra cauſam digreſſione & hinc caritas, & juſtitia, inde modeſtia violatur. Alii vero, & maxime quidam poetarum ſcribunt tam obſcene, ut turpiſſimam ſuem vehementer oleant, & modeſtiam non modo ipſi abjeciſſe omnem, ſed ab aliis etiam repellere eamdem velle videantur. Quod ſcribendi genus incredibile eſt, quam perniciem afferat cum omnibus, tum potiſſimum juventuti. Quemadmodum vero id loqui, ſcribereque tantum, quod decet, modeſti hominis eſt, ita ſilere, cum ratio ac tempus poſtulat: quamquam enim ſilentium vituperatur illud, quod ſuperbiæ, aut ſtoliditatis argumentum ſit, tamen in laude ponitur, quod naſcitur a modeſtia.

XII. Nec in greſſu negligenda modeſtia eſt, quoniam & in eo, remota qualibet levitate, & ſuperbia, & motu omni ficto ac ſimulato, ſtudioſeque compoſito, & quaſi ad numeros, gravitas quædam & auctoritas ineſſe debet modeſta ac ſimplex: *vitium*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *in geſtu, motuque caveatur: nam & palæſtrici cum ſæpe ſunt odioſiores, & biſtrionum nonnulli geſtus ineptiis non vacant, & in utroque genere quæ ſunt recta & ſimplicia laudantur*. Et paullo poſt nimiam tarditatem, celeritatemve reprehendit in gradiendo (verba Tullii ſupra deſcripſi *lib.*3. *part.* 4. *cap.*6.) Qui tamen feſtinare cogitur neceſſitate, ut periculi & incommodi impendentis vel proprii, vel alieni cauſa, caret ut vitio, ita & reprehenſione, immo poteſt eſſe laudabilis.

XIII. Ut greſſum, ſic geſtum ac motum quemque decet moderari, ratione ac natura duce: quamobrem diſſoluti riſus, & cachinni vituperantur, frontis contractiones & rugæ ſine cauſa, ſcurrilitas in movendis humeris, brachiis, manu, aliaque ejus generis, quibus offendi poſſint ii, qui adſunt: quoniam nihil gerendum eſt, quod non probetur bonis viris: probantur autem, quæ ſunt apta: *ut enim*, ait Tullius (*lib.*1. *Offic.*) *pulchritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt: ſic hoc decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibuſcum vivitur, ordine & conſtantia, moderatione dictorum omnium, atque factorum. Adhibenda eſt igitur quædam reverentia adverſus homines & optimi cujuſque, & reliquorum: nam negligere, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti. Eſt autem, quod differat in omni ratione habenda inter juſtitiam, & verecundiam. Juſtitiæ partes ſunt non violare homines, verecundiæ non offendere, in quo maxime perſpicitur vis decori.*

XIV. Eſt item præter ſuperiorem modeſtiæ ſpecies alia, quæ in veſte, cultuque corporis, atque exteriore rerum apparatu conſervat mediocritatem. Veſtis quidem neceſſaria eſt tegendi, tuendique corporis gratia, ſed carere debet, ut ſordibus, quæ offenſionem habeant, atque faſtidium, ita ornatu quodam inani, ac nimis eleganti & exquiſito, & præſertim apto ad concitandam incontinentiam: talis eſt ta-

bem

tem honeſte tegere, at ornare ſplendidius inſolentis eſt, cum potius omnis adhibenda diligentia ſit, ut animus honeſtetur virtutibus: at ſæpe contingit, ut qui de corporis pulchritudine, venuſtate, & cultu maxime ſolliciti ſunt, animi curam negligant, & cum ſplendent extrinſecus, tum intus omnino putreſcant. In primis ſunt illi vituperandi, qui in ornando corpore imitantur morem feminarum, icci rco digni, qui a virorum cœtu & conſuetudine repellantur, ut ait Poeta neſcio quis

Sint procul a nobis juvenes, ut femina, compti.

Non dico hoc loco, nitidiores veſtes, capilloſque compoſitos & delibutos maximè dedecere eos, quibus, cum ſint Deo ſacri, vitæ conditio, ſanctiſſimaque jura modeſtiam ſingularem, gravitatemque præſcribunt ab omni inanitate alienam. Ut in veſte & ornatu, in domo ſimiliter, & ſupellectili, & conviviis, ludiſque tenendus eſt modus; quæ cum ad aliam virtutem pertinere poſſint, uberius ac fuſius non perſequor.

XV. Ut vero id conſervetur, quod decet in ſingulis motibus & actionibus, ſpectanda eſt perſona duplex, & ea, quæ agit quidpiam, & ea, quacum agitur, vel qua præſente, & præterea habenda ratio & rerum, & locorum, & temporum. Rurſus qui agit, duas habet quaſi a natura perſonas; *quarum una eſt communis*, ait Tullius [*Offic. lib.* 1.] *ex eo quod omnes participes ſumus rationis, præſtantiæque ejus, qua antecellimus beſtiis; a qua omne honeſtum, decorumque traditur, & ex qua ratio inveniendi officii exquiritur:* conſtat igitur in omni actione ac ſermone id eſſe ſervandum, quod hominis, ut is ratione præditus eſt, & a belluis diſcrepat, dignitati, excellentiæque conveniat. *Altera*, pergit Tullius, *quæ proprie ſingulis eſt attributa: ut enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt (alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem) ſic & in animis exiſtunt etiam majores varietates;* qualis eſt lepos & ſeveritas, hilaritas & triſtitia, facilitas, aſperitaſve morum, diſſimulatio & ſimplicitas: ad hanc quoque perſonam conſentaneum eſt modeſtiam ac decorum accommodare: quod

enim

enim in lepido viro, aut diſſimulatore non erit contra modeſtiam, erit in ſevero, aut ſimplici: quoniam non ſingulos decent omnia: videndum igitur eſt, quid propria ferat, reſpuatve natura, modo non vitioſa, quam, conſervata natura univerſa, de qua dixi, ſequi debemus, retinendi decori gratia. Adde, quod decoro & modeſtiæ adiunctum oportet eſſe conſtantiam, quæ nulla poteſt eſſe, niſi quiſque ſua tueatur non vitioſa, ſed tamen propria: *omnino*, ait Tullius (*lib.*1. *Offic.*) *ſi quicquam eſt decorum, nihil eſt profecto magis, quam æquabilitas univerſæ vitæ; tum ſingularum actionum; quam conſervare non poſſis, ſi aliorum naturam imiteris, omittas tuam: ut enim ſermone eo debemus uti, qui notus eſt nobis, ne, ut quidam græca verba inculcantes, jure optimo irrideamur: ſic in actiones, omnemque vitam, nullam diſcrepantiam conferre debemus*. Ad perſonam ſingulorum ætas etiam ipſa revocari poteſt, cui reſpondeat modeſtia, quæ a puero, ab adoleſcente, a juvene, a viro, a ſene non eadem requirit officia: quod enim in pueritia, aut adoleſcentia laudabile eſt, vituperari facile poteſt in ſenectute: quandoquidem quod modeſtum eſt, divelli a decoro nullo modo poteſt: hoc autem non eſt idem in omnibus. *Duabus iis perſonis, quas ſupra dixi*, ait Tullius (*lib.*1. *Offic.*) *tertia adiungitur, quam caſus aliquis, vel tempus imponit. Quarta etiam, quam nobiſmetipſis judicio noſtro accommodamus: nam regna, imperia, nobilitates, honores, divitiæ, opes, eaque, quæ ſunt his contraria, in caſu ſita temporibus gubernantur: ipſi autem, quam perſonam gerere velimus, a noſtra voluntate proficiſcitur:* porro tale eſt vitæ genus & inſtitutum, quod quiſque ſponte eligat. Ab his etiam perſonis & decorum, & modeſtiam oportet æſtimari: quod enim decet V. C. divitem ac nobilem, idem dedecet pauperem ac plebejum.

XVI. Sed & videndum eſt, qui ſint ii, qui adſunt, vel quibuſcum loquimur: quod enim non eſt contra modeſtiam, ſi præſens adſit ſocius, amicus & familiaris; idem coram extraneo, principe, parentibus, aliove magnæ auctoritatis viro poteſt ſummopere dedecere. Magnam etiam vim habet ad modeſtiam tempus & locus: *tanta vis eſt*, ut ſcribit Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *& loci & temporis, ut ſi quis cum cauſam ſit acturus in itinere, aut in ambulatione ſecum ipſe me-*

meditetur, aut ſi quid aliud attentius cogitet, non reprehendatur? at hoc idem ſi in convivio faciat, inhumanus videatur inſcitia temporis. Eodem modo non eſt modeſtiæ contrarium partem quamlibet contemplari vel ruris, vel ædis magnificæ, vel inſtructæ bibliothecæ; ſed id facere in templo, præſertim cum divinis rebus vacandum eſt, immodeſtum habetur, nec decet. Porro modeſtiam & rerum varietate metimur; quoniam quod in re jocoſa modeſtum eſt, idem eſt immodeſtum in ſeria: *turpe eſt enim*; ait Tullius [*cit. loc.*] *valdeque vitioſum in re ſevera, convivio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem*. Dixi hactenus, quid ſit modeſtia, quibus in rebus, officiiſque cernatur, quæque ſit adjunctorum habenda ratio ſervandi decori cauſa, quod fere a modeſtia ducitur, & cum ea copulatum eſt; ad alia pergamus.

XVII. Singularis quædam dos eſt modeſtia maxime adoleſcentium, ac feminarum; ea ſimiliter plurimum commendantur nobiles, & egregii viri, quibus, quo major oblata occaſio eſt efferendi ſeſe, ſineſque prætergrediendi a ratione conſtitutos, eo majori laudi vertitur, modum tenere in omni ſermone ac motu. Immo illi ipſi, qui humili utuntur, tenuique fortuna, ſi modeſti ſint, fere amantur & laudantur ſaltem a bonis: eſt enim modeſtia ac verecundia grata cum Deo, tum hominibus.

XVIII. Fons autem omnis modeſtiæ eſt, ut appetitus pareat rationi, ut ex Tullii ſententia ſupra vidimus (*lib.3. part.5. cap.1.*) Quoniam animus bene compoſitus, & conſtitutus ſedat & componit omnia etiam exteriora, ut probus princeps ac ſapiens univerſam rempublicam, ut paterfamilias domeſticos omnes continet in officio; eoque facilius id facit animus, quod actiones, motuſque corporis ab ejus nutu, atque arbitrio magis pendent, quam populi, ac domeſtici a gubernatore familiæ, aut civitatis; ita quidem, ut quæ fiunt per oculos, per aures, per pedes, ac manus, jure dici poſſit, eadem geri ab animo, cujus illa ſunt inſtrumenta ad agendum.

XIX. Itaque vera modeſtia in eo tantum poteſt eſſe, in quo præaltas radices virtus egerit: is enim rebus iis minime delectatur, quæ ſubjectæ ſunt ſenſibus, quæ fluxæ ſunt, quæ humiles, quæ caducæ, ut viri delectationem non ca-

piunt

Digitized by Google

piunt ex ludis, quos, cum infantes eſſent ac pueri, adamabant. Contra in homine improbo modeſtia nulla erit, niſi aliquando ſimulata: nam ut appetitus diſſoluti ſunt, ita ex his in ſenſus & corpus manat vehemens perturbatio: *nam qui appetitus*, ait Tullius (*lib.* 1. *Offic.*) *longius evagantur, & tamquam exultantes ſive cupiendo, ſive fugiendo non ſatis a ratione retinentur, hi ſine dubio finem & modum tranſeunt: relinquunt enim, & abjiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui ſunt ſubjecti lege naturæ, a quibus non modo animi perturbantur, ſed etiam corpora. Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur*. In hac perturbatione conſtat, locum non eſſe modeſtiæ. Atque ex his conſequens eſt, ex factis & dictis, ex corporis motu ac geſtu magnam aliquam conjecturam duci de affectione animorum aut recta, aut ſecus.

XX. Quæ cum ita ſint, conſtat cum ad alienam, tum ad propriam utilitatem plurimum conferre modeſtiam; immo plane eſſe neceſſariam: primum enim quemadmodum virtus eam vim habet, ut homines inflammet ad honeſtatem, ſic id omne, quod certiora dat argumenta, & clariora indicia probitatis, quæ cum lateat, ipſa per ſe cerni non poteſt: jam vero diximus, ex exteriori habitu, *oculorum obtutu, ex ſuperciliorum aut remiſſione, aut contractione*, ut eſt apud Tullium (*lib.* 1. *Offic.*) *ex mœſtitia, ex hilaritate, ex riſu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex ſubmiſſione, ex cæteris ſimilibus* facile judicare homines, quæ ſit animi conſtitutio.

XXI. Iccirco qui præſunt aut familiæ, aut communitati, & reipublicæ; aut alienæ ſaluti procurandæ, adhortandoque plurimos ad virtutem dant operam; ii præſertim in dictis & actionibus modeſtiam præſeferant ſingularem neceſſe eſt, quippe quæ claram & ſtabilem comparat auctoritatem apud homines, qui cum in aliquo ex iis, quæ apparent, eximiam quamdam conjiciunt ineſſe morum integritatem & ſapientiam, facilius monita excipiunt & præcepta quaſi e Cælo delapſa, vitamque aut corrigunt aut perficiunt. Modeſtia etiam domeſtici permoventur, ex eaque ſenſim

eum fructum capiunt, ut quod bonum eſt, id ſequantur; fugiant vero, quod vitioſum eſſe videatur: eſt enim modeſtia tacita quædam ad honeſtatem adhortatio, vitiorumque correctio; itaque diſciplinam ſuſtinet ac tuetur in domo, ac civitate.

XXII. Deinde per modeſtiam & retinetur virtus, qua prædicus ſis, & fit ad eam magna progreſſio; nam bona animo incluſa non elabuntur ac diffluunt: malis, quæ extra ſunt, non patet via ad contaminandam voluntatem, ſi ſenſus, qui fores quaſi quædam ſunt, ſepti cuſtodia teneantur; nec aperiantur unquam, niſi honeſtati, ut domus tuta eſt, clauſo oſtio; quod ſi patet, facile res familiaris etiam magno labore parta ſurripi poteſt, & familia ipſa magna in perturbatione verſari. Accedit, quod ea corporis cum mente conjunctio eſt, ut quod in alterutra ineſt harum partium, communicetur cum alia; ſi compoſita mens ſit, corpus erit eodem modo; ſi in corpore ac ſenſibus ſpecies appareat levitatis & inconſtantiæ, eadem futura eſt mentis affectio: ſunt enim hæ partes duæ ſimul conglutinatæ natura, iccircoque conſentiunt, niſi ſimulatio occultet tegatque veritatem.

XXIII. Ex his poteſt intelligi, errare eos vehementer, qui virtutem honeſtatemque dictitant iis rebus non contineri, quæ apparent extra: ita quidem; ſed morum honeſtas & innocentia neque eſſe, neque conſervari poteſt ſine modeſtia, ut arbores ac fructus non vigent ſine cortice, qui impedit, quominus inficiantur, atque putreſcant: iccirco qualis ſit animus, ex corporis motu ac geſtu, atque ex ſermonibus æſtimamus, ut dixi: quemadmodum etſi in colore poſita non eſt hominis valetudo; ex eo tamen de valetudine judicamus.

XXIV. Qua in re id tene, ne minima quidem eſſe negligenda, tum quia hæc ſemina quandoque ſunt rerum graviorum, tum etiam quia, qui acriores ſunt judices actionum humanarum, ii magna intelligunt ex minutis: in quam rem ſcribit Tullius (*lib. 1. Offic.*) *ea, quæ multum ab humanitate diſcrepant, ut ſi quis in foro cantet, aut ſi qua eſt alia magna perverſitas, facile apparent, nec magnopere admonitionem, & præcepta deſiderant: quæ autem parva videntur eſſe delicta, neque a multis intelligi poſſunt, ab iis eſt* di-

diligentius etiam declinandum; ut in fidibus, aut in tibiis, quamvis paullum diſcrepent; tamen id a ſciente animadverti ſolet. Sic vivendum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet; vel multo etiam magis, quo major & melior actionum, quam ſonorum concentus eſt. Itaque ut in fidibus muſicorum aures vel minima ſentiunt: ſic nos (ſi acres ac diligentes judices eſſe volumus, animadverſoreſque vitiorum) magna ſæpe intelligemus ex parvis. Tum monet, conſiderandum eſſe diligenter, ſi quid in aliis minus deceat, ut idem ipſi fugiamus: *quo in genere*, inquit, *non eſt incommodum (cit. loc.) quale quodque eorum ſit* [hoc eſt, quæ non ſunt apta] *ex aliis judicare: ut ſi quid dedeceat in aliis, vitemus & ipſi: fit enim, neſcio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobiſmetipſis, ſi quid delinquitur. Itaque facillime corriguntur in diſcendo, vitia quorum imitantur, emendandi cauſa, magiſtri.*

XXV. Eam ob rem accepimus fuiſſe plures, qui aliquos ſapientes viros judices eſſe voluerint, cenſoreſque vitæ ſuæ; & certe in re dubia, ſit ne aptum aliquid, an ſecus, opportunum eſt aliorum conſilio uti. *Nec vero alienum eſt*, addit Tullius (*Offic. lib. 1.*) *ad ea eligenda, quæ dubitationem afferunt, adhibere doctos homines, vel etiam uſu peritos, & quid his de unoquoque officii genere placeat, exquirere: major enim pars eo fere deferri ſolet, quo a natura ipſa deducitur. In quibus videndum eſt, non modo quid quiſque loquatur, ſed etiam quid quiſque ſentiat* (multi enim non id dicunt, quod habent in animo) *atque etiam qua de cauſa quiſque ſentiat: ut enim pictores, & qui ſigna fabricantur, & vero etiam poetæ, ſuum quiſque opus a vulgo conſiderari vult; ut ſi quid reprehenſum ſit a pluribus, id corrigatur; hique & ſecum, & cum aliis, quid in eo peccatum ſit, exquirunt: ſic aliorum judicio permulta nobis & facienda, & non facienda, & mutanda, & corrigenda ſunt.*

XXVI. Poſtremo cavendum eſt, quod quidem Tullius præcipit, ne magnorum virorum auctoritas, atque exemplum nos impellat ad judicandum id decere, quod revera dedecet. *Nec quemquam hoc errore duci oportet*, inquit, [*Offic. lib. 1.*] *ut ſi quid Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque civilem fecerint, locutive ſint, idem ſibi arbitretur licere: magnis enim illi, & divinis bonis hanc li-*

licentiam aſſequebantur. Quidam autem ſunt, qui velint etiam vitia eorum, quos magni faciunt, imitari.

XXVI. Modeſtiæ, quæ cernitur in humanis actionibus, repugnat petulantia, ſeu inſolentia, quæ nimium eſt, in eo poſita, quod corporis motus, ac geſtus non tenent decorum ac modum, ut poſtulat perſona, & res, & locus, & tempus: qua in re peccat is V. C. qui cum ſacrum aliquod inſtitutum profiteatur, in ſermone, in voce, in geſtu mores imitatur eorum, qui in aula vivunt: peccant etiam ii omnes, qui modeſtiam non ſervant, de qua paullo ante diximus, qui procaces ſunt lingua, qui oculis, qui auribus inverecundi, qui alio quovis motu præſeferunt impudentiam, quos quidem curandum eſt, ut tamquam peſtem fugiamus: nocent enim plurimum adoleſcentiæ præſertim, ac juventuti.

XXVII. Aliud vitium, quod parum eſt modeſtiæ contrarium, græce licet dicere δυσωπίαν, hoc eſt, ineptam & timidam verecundiam, quæ interdum cadit etiam in viros ceteroquin graves ac doctos, qui coram aliquo viro principe erubeſcunt, titubant, aut expalleſcunt; ex quo contingit, ut tremor etiam conſequatur & vocis, & corporis, & ineptus quidam ſermo; quas affectiones parit aliquando natura, at ſæpe educatio; nam cum parentes nacti ſunt, pædagogos, moderatores, qui eis metum injicerent coacervatione, ac ſeveritate præceptorum ac regularum, aut formidoloſa narrando, retinent quam a teneris hauſerunt, timiditatem.

XXVIII. Quapropter expedit quidem pueris inculcare modeſtiam, at ſimul curare, ut forti ac generoſo animo ſint, & cum viris, qui magnæ auctoritatis habeantur, conſuetudine & familiaritate, aſſueſcant eorum colloquio, & præſentia non ſummopere commoveri: mature etiam adducendi ſunt ad ea contemnenda, quæ timidis horribilia videantur; ſecus futurum eſt, ut umbram & inane ſpectrum habeant quaſi monſtrum ad ſuam ipſorum perniciem comparatum. Itaque cum magnanimitate conjuncta ſit verecundia.

XXIX. Contra modeſtiam, quæ verſatur in cultu corporis, in conviviis, in ſupellectili, peccat exuperantia, qui ornatum & luxum adhibet nec facultatibus, nec muneribus, nec loco, & conſuetudini congruentem, vel ad delicias

cias & gloriam, vel ad alia, quæ minime honeſta ſint. Rurſus peccat is, qui in ornando corpore plus temporis inſumit, quam oporteat. Quo in genere parum eſt negligentia eorum propria, qui in domo, in veſte, in aliis generis ejuſdem videntur ſordibus delectari.

CAPUT V.

De Manſuetudine, ac de Vitiis, quæ ſunt illi contraria.

I. MAnſuetudo eſt virtus moderatrix, reſtrixque iracundiæ, & expultrix lentitudinis; cum enim inter utramque conſiſtat media, illam comprimit, cum oportet; hanc vero repellit. Ex quo poteſt intelligi, inter clementiam, & manſuetudinem diſcrepare: quamquam Ariſtoteles unam confundit, miſcetque cum altera (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 5.) clementia enim eſt inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda, ut dixi (*lib.* 3. *part.* 3. *cap.* 24.) iccircoque eorum eſt tantum propria, qui ſuperiores ſunt poteſtate & imperio, ut regum, ut principum, ut magiſtratus, qui pœnam condonant, aut minuunt debitam malefactis, cum ratio præſcribit: manſuetudo autem comprimit iracundiam, ne temere concitetur, & ad omnes pertinet: refrenat enim eum animi motum, qui cuique frequens ſolet eſſe, & maxime familiaris: quamobrem clementia ad juſtitiam videtur referenda; manſuetudo vero ad temperantiam.

II. Rurſus poteſt intelligi, quæ ſint manſuetudinis propria: etenim ejus eſt modice ferre objecta crimina (*Ariſtoteles libel. de Virt. tom.* 5.) facta & dicta arroganter, ſuperbe, aſpere, contumelioſe, iracunde, imprudenter, contemptionem ſimiliter, & aliena vitia, ſive a natura exiſtant, ſive a moribus, nec velle ulciſci acceptam injuriam. Huc ſpectat mite & ſuave ingenium, quietum ac ſtabile, non inconſtans ac perturbatum: quæ quidem omnia ſint a virtute, non a bonitate naturæ: quidam enim reperiuntur, quos manſuetos fecit hebetior natura, tarda, ac propenſior

ad

ad lenitatem, non amor, ſtudiumque honeſtatis, non certamen adverſus iracundiam, ac ſæpe parta victoria. Hi quidem non manſueti nominandi ſunt, ſed pingues, obtuſi, hebetes & inepti, de quibus paullo poſt dicam.

III. Ex manſuetudine autem uberrimi fructus, ac jucundiſſimi capiuntur, quorum maximum eſt vacare perturbatione, & quiete vivere, ſublata iracundia, quæ eſt motus animi in primis turbidus, evertens vim omnem rationis. Quo fit, ut qui manſuetus eſt, idem ſit compos ſui, poſſitque recte judicare de rebus, ac facilius percipere veritatem: neque enim mentem habet nube, ac caligine circumfuſam. Magni item facit animum ſuum, quem non ſinit ſubeſſe pravarum affectionum temeritati, ſed in excelſo quaſi faſtigio locat, quo nullæ procellæ, tempeſtateſque pertingant; ſervatque parti illi divinæ, ac dominæ imperandi jus, & poteſtatem; idemque ſemper eſt, & unus, quamquam proſcindatur jurgiis & maledictis: ſcit enim injuria ſe nulla affici poſſe, niſi peccato commaculet ipſe dignitatem ſuam; quippe quæ non pendet ab aliena opinione, perverſoque hominum judicio, ſed a recte, atque honeſte factis. Fuerunt etiam inter veteres, qui eſſent ita affecti, ut Socrates (*Stanlejus tom. 1. part. 3. cap. 14. & Capaſſus lib. 3. cap. 3. vid. & Laert. in Socrate lib. 2. cap. 3 num. 17.*) ut alii; quanto autem magis homo chriſtianus eniti debet, ut manſuetudinem, quicquid accidat, lenitatemque ſervet ac teneat?

IV. Enimvero hæc ſunt, quæ ad hanc virtutem comparandam valent. Primum exercitatio in continenda iracundia præſertim ab ineunte ætate, atque educatio, *quæ*, ut ſcribit Seneca (*de Ira lib. 2. cap. 18.*) *maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt enim teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creverunt*. Si quamlibet ob cauſam pueros iraſci ſinas, nunquam futuri ſunt manſueti. *Pertinebit ad rem*, pergit Seneca (*cit. loc. cap. 22.*) *præceptores, pædagogoſque pueris placidos dari. Proximis applicatur omne, quod tenerum eſt, & in eorum ſimilitudinem creſcit. Nutricum, & pædagogorum retulere mox in adoleſcentiam mores. Apud Platonem educatus puer, cum ad parentes relatus, vociferantem videret patrem, nunquam, inquit, hoc apud Platonem vidi. Non dubito, quin*

ci-

Digitized by Google

citius patrem imitatus ſit, quam Platonem. Deinde tenuis victus & modus in cultu & ornatu habetur ad manſuetudinem opportunus: repellit enim & ſuperbiam, & temeritatem, qua virtus illa labefactatur, atque evertitur. In primis autem manſuetudinem efficit ſui ipſius, gloriæque contemptio: cum enim cauſa iracundiæ opinio injuriæ ſit, iraſcamurque in eos, a quibus nos contemni arbitramur, firma erit, perpetuaque manſuetudo, ſi in pretio haberi, atque æſtimari ab hominibus, quorum fallax maxime ſententia eſt, nihil noſtra intereſt. Quo efficitur, manſuetudinem cum laudabili & chriſtiana humilitate aptiſſime conſentire.

V. Manſuetudini repugnat hinc iracundia, quæ nimium eſt, inde lentitudo, quæ parum. Iracundia a Tullio ſic definitur, *ulciſcendi libido* (*Tuſc. qq. lib.* 3.) *quæ ab ira differt*, ut idem Tullius ſcribit (*cit. loc. lib.* 4.) *eſtque aliud iracundum eſſe, aliud iratum*; illud enim in habitu eſt, hoc in actione. Iracundi vero alii dicuntur ἀκροχόλοι ſeu acuti, alii amari, alii aſperi, ut ab Ariſtotele ſcriptum eſt (*lib.* 4. *Ethic. cap.* 5.) Acuti ſunt, qui omni re facile ad iram concitantur, & quavis de cauſa, ſed facile etiam, & cito eorum ira defervet, quippe quam effundunt in eos, qui læſerint. Amari ſunt, ſeu acerbi, qui ægre placantur, diuque iram retinent, ad quam mitigandam, & quaſi coquendam tempore opus eſt. *Cum autem hoc hominum genus*, ait Ariſtoteles (*cit. loc.*) *ſibi moleſtiſſimum eſt, tum amicis maxime*. Tandem aſperi, vel infeſti nominantur ii, qui non quieſcunt, nec placantur, niſi ulti ſint inimicum; quod poſtremum genus eſt omnium peſſimum. Sed de ira videbimus alio in loco.

VI. Lentitudo eſt vitioſa animi affectio, qui non ſuccenſet ob eas cauſas, ob quas decet, ut ad reprehendendos, ac puniendos improbos, aut deterrendos a vitiis; ad propriam, aut alienam propulſandam injuriam cum modo, ne creſcat peccantium audacia ac temeritas: eſt enim ira utiliter data a natura, eamque Peripatetici *cotem fortitudinis eſſe dicunt* (*apud Tullium lib.* 4. *Tuſc. qq.*) & valere, ſi moderata eſt, ad ſtrenue dimicandum pro legibus, pro libertate, pro patria, & ad ſuſtinendam imperii ſeveritatem, ad accuſandum etiam, & defendendum, quod oratoris eſt proprium; at debet ſemper rationem ſequi, non anteire. Iracun-

cundiam vero ſi tollas omnino, conſequitur lentitudo, quæ fit, ut homo inſtar ſtipitis injuriis & conviciis non moveatur nec alienis, nec ſuis, & detur peccatis, & improbitati locus. Habetur tamen levius peccare in eo, quod modum deſerit, quam in eo, quod tranſit, iccircoque manſuetudini magis repugnat iracundia, quam tarditas & lentitudo: eſt enim natura propenſior ad ulciſcendum, quam ſecus, idque eſt frequentius & uſitatius; ex quo conſequens eſt, ut gravius ſit iracundia malum, quam lentitudo: in hac enim, quæ non eſt ſecundum naturam, pauci delinquunt, & raro. Accedit, quod cum lento vivi poteſt; cum iracundo, maxime qui ſit ſævior ac vehementior, vivi vix poteſt: *infeſto*, ait Ariſtoteles (*Ethic. lib.4. cap.5.*) *infenſoque animo homines minus apti ſunt ad vitæ communionem*.

CAPUT VI.

De Chriſtiana Humilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Chriſtianæ Humilitati contraria.

I. HUmilitas apud latinos in vituperatione ponitur, non in laude: id enim ſignificat, quod imum eſt, quod obſcurum, quod ignobile, quod abjectum; ſed apud chriſtianos virtus eſt maxima, quæ cum fere nuſquam eſſet in terris, tradita primum eſt luculenter, explicata, & culta a præceptore noſtro, & ſacræ religionis auctore Chriſto O.M. qui ita natus eſt, ita vixit, ita tandem mortem obiit, ut ejus virtutis, quam verbis graviſſimis commendarat, eximia quædam exempla, ac nova præberet hominibus: neque enim ea de re ulla ſunt unquam præcepta data vel ab Epicureis, vel a Peripateticis, vel a Platonicis, aliiſque philoſophis, qui fuerunt ante Chriſtum, & multo minus a Stoïcis, qui etſi ſtudioſiſſimi videri vellent virtutis & ſapientiæ; ab ea tamen tam longe aberant, quam qui maxime, non modo quod caritate, quæ forma, animaque virtutum eſt, carerent; ſed

Digitized by Google

ſed etiam quod laudabili humilitate: audebant enim ſe comparare cum Diis, atque ita extollere, ut ſupra quamlibet perturbationem, permotionemque eminerent, & reliquos omnes, qui aliquo vitio laborarent, & vel levi affectione ducerentur, contemnerent, haberentque ut ſtultos, ut inſanos, ut improbos, ut vitiis omnibus contaminatos; neque intelligebant acuti homines, occulta ſe, eademque tetra & graviori ægritudine conflictari, atque infici, hoc eſt, ſuperbia. Sed laudabilis humilitatis vim, naturamque, & munera, & effecta, tum neceſſitatem ſimiliter, utilitatemque ſcrutari oportet attentius.

II. Eſt autem chriſtiana humilitas affectio animi firma nihil æſtimantis ſe, ac dotes ſuas. Hoc quidem judicium nititur veritate; cum maxime verum ſit, & ipſi rationi cognitum, nos nihil eſſe, nihilque omnino facere per nos poſſe, quod ſit laudabile. Cum vero conſtemus animo & corpore, neceſſe eſt utrumque cognoſcere, & videre, ſitne aliquid in his, quo liceat, nos attolli, & jure gloriari. Corpus profecto cum ex ſe pars eſt hominis abjecta, caduca, terrena, tum vel affligitur, vel affligi poteſt, & cruciari vario morborum genere, ſordet, putet, & præterea animo moleſtum eſt, quippe qui debet perpetuo in ejus cura, & commodis occupari; quamquam interdum propter amorem, quo illi adhæret, non ſentiat grave ſervitium; at ſentiunt ii, qui vellent gravioribus rebus, & veritati, & contemplationi operam dare: nunc enim corpus ſitit, nunc eſurit, nunc flagitat medicinam, nunc oblectationem, & ludum; collocandum in lecto eſt, exuendum veſtibus, tum excitandum, ac veſtiendum, calet, aut friget, dolent dentes, pedes, caput, viſcera; his omnibus, aliiſque, quæ innumeræ ſunt, neceſſitatibus ſubveniendum eſt, eundum, ſtandum, ſedendum; morbos ſuos cum animo, affectiones, ægritudineſque communicat, eumque, quod bono viro moleſtiſſimum eſt, ſæpe impellit ad turpitudinem: quis non oderit, atque execretur ferum hoc animal, impurum, infeſtum. Quid in eo ineſt, quod in aliquo pretio habendum videatur? Pulchritudinem enim, ac robur is magni facit, qui umbram ſectatur: *Corpus igitur iſtud*, ait Epictetus (*Sent.* 88.) *omnium injucundiſſimum, & ſordidiſſimum amamus, eique miniſtramus.*

Si enim quinque ſolum dies vicini corpus curandum eſſet, id non ſuſtineremus. Vide enim, cujuſmodi negocium eſt, diluculo ſurgentem, alienos dentes fricare, & poſt opus aliquod neceſſarium, partes illas abluere. Revera mirum eſt, amari rem, cui tot in dies miniſteria exhibemus. Hanc peram farcio, & rurſus evacuo: quid hoc moleſtius? Sed Deo me inſervire oportet: ideoque maneo, & ſuſtineo miſerum hoc corpuſculum lavare, paſcere, tegere.

III. Sed aliam hominis partem, hoc eſt, animum contemplari qui velit, quamquam in eo cernet multa egregia & præclara, intelligentiam, inventionem, ſolertiam, acumen, vim rationis, libertatem, atque alia generis ejuſdem; tamen incidit in plura, quibus non omnis modo repellatur elatio, ſed abjectus ſibi omnino, contemptuſque videatur: dotes enim animi a Deo datæ innumeris obruuntur peccatis & vitiis, quibus res divina inficitur & inquinatur: tot perturbationes excitantur, ut moleſtum ſit vivere: neque enim mare tot fluctibus jactatur, ac tempeſtatibus, quot animus cupiditatibus, ut avaritia, ut iracundia, ut invidentia, ut ſuperbia: nunc ſpe erigitur, nunc deprimitur metu, nunc mœrore profligatus jacet, nunc effertur inſolente ac geſtiente lætitia, ita quidem ut animi ægritudines, quam corporis ſint multo graviores, & frequentius accidant, immo quotidianæ videantur eſſe, ſtabiles ac ſempiternæ, etſi non eædem ſemper, ſed variæ ac multiplices, quarum aliæ cum aliis ſuccedant quaſi vicariæ, nulla eſt in vita intercapedo moleſtiæ.

IV. Accedit etiam rerum ignoratio, qua fit, ut ſæpe ea ſequamur, quæ nocent, quæ vero ſunt utilia, fugiamus: quoniam rapimur in voluptatem, in divitias, in gloriam, quibus rebus vehementius incenduntur noxiæ cupiditates, nec ſatis videmus quid æquum ſit, quid iniquum, quid honeſtum, quid turpe; nec proſpicientes in poſterum, id tantum, quod adeſt, ut belluæ ſolent, non quod futurum eſt, intuemur. Ratione ipſa, quæ nobis tributa eſt quaſi divinum lumen ad aſſequendam felicitatem, utimur in perniciem.

V. Quamobrem mirum eſt, nos quidem, qui modeſti ſimus, ac ſubmiſſi, ſi corporis morbo, ſi paupertate, ſi infamia

mia laboremus, in tantis animi ægritudinibus & calamitatibus inſoleſcere; præſertim cum accidere poſſint graviora: nihil enim, quod humanum eſt, a nobis alienum eſt, ut flagitia, ut inſania horumque ſimilia, in quæ plures, qui ſapientes haberentur, accepimus incidiſſe.

VI. Verum uſuvenit, ut qui animum habent luſulentis vitiis, ac morbus inquinatum, ſauciumque acceptis vulneribus propter ignaviam, ii extollant caput, & velint ſupra reliquos eminere; & quanto magis ea gloria, quæ merces virtutis eſt, carent, eo magis inanem quamdam apud homines aucupantur, ut cum verum bonum aſſequi non poſſint, aut nolint, ſaltem habeant adumbratum: contra viri boni deprimunt ipſi ſe, ac virtutes quaſi theſaurum tegunt laudabili humilitate, atque id in ſe perquirunt & inveſtigant, quod mancum & imperfectum, quod vile eſt, quod abjectum; tale autem vident eſſe quicquid proprium eſt: nam quæ bona ſunt, eadem ſunt munus Dei, robur, dexteritas, valetudo, forma, memoria, ingenium, intelligentia, ſolertia, actiones laudabiles, & honeſtæ, ac præclare facta: nihil enim, quod rectum ſit, ut cuique non modo chriſtiano homini, ſed etiam philoſopho compertum eſt, effici poteſt ſine divino numine, ac cæleſti præſidio. Bona vero fortunæ, præterquamquod dantur & ipſa divinitus, cum extra ſint, animumque efficiant nihilo meliorem, non ſunt jure glorianda.

VII. Chriſtianæ humilitatis natura perſpecta & cognita, cui maxime adjuncta eſt corporis animique cognitio, quæ ejus ſint propria, facile licet cognoſcere. Eorum vero alia ad Deum referuntur, alia ad homines, in quorum ſocietate verſamur, alia ad eum ipſum, qui ſit laudabili humilitate præditus. Primum itaque qui hujus compotes ſunt virtutis, ii vehementi quadam ardent in Deum, ſummaque caritate, quippequem ſciunt eſſe fontem omnium bonorum, optimum, maximum, ſapientem, benevolum, præpotentem, cujus natura ac bonitas, cæteræque dotes longe lateque ſunt inres creatas univerſas diſſeminatæ, ab eoque intelligunt cumulatos ſe, quanquam abjectos, & nullius pretii, nihilque tale promeritos, ſingularibus ac maximis beneficiis, quæ dum perpendunt attentius, non modo non turgeſcunt, non in-

Digitized by Google

flantur, non efferuntur; ſed quicquid aut habent, aut ſunt colligentes in exiguum quoddam ſpatium, ac fere nullum, in imum ſe abjiciunt locum, divinæ majeſtatis bonitatiſque infinitate perculſi, ac verentur, ne propter perverſum uſum eorum, quæ acceperint, graviſſime puniantur, cum eos non lateat, reddendam olim eſſe rationem non modo malefactorum ac ſcelerum, ſed bonorum pariter, quæ ſunt in nobis a Deo collocata quaſi depoſiti loco: ut qui accepta mutua magna quadam pecuniæ vi non gaudet, non inſolentius gloriatur, cum ſecum reputet, ſummam eo majorem eſſe reddendam, quo major eſt data.

VIII. Hinc vero naſcitur gratus animus in Deum, cujus beneficentia cum in ſe infinita eſt, tum in nos effuſa maxime: cum enim, qui præclara illa ornatur humilitate, ſe quovis beneficio indignum putet, vix dici poteſt, quam ſit in eum gratus, a quo videt, bona ſibi tributa eſſe omnia, vitam, valetudinem, ſenſus, mentem, acumenque rationis, atque ea, quæ ad commode, bene, beateque vivendum ſunt neceſſaria; in quam rem condita ſunt univerſa, cælum ac ſidera, terra, fontes, fruges, arbores, animalia, quibus omnibus, quaſi facibus inflammatur ad laudandum ac prædicandum Deum.

IX. Quo fit, ut in eum referat quicquid a ſe honeſte geſtum ac bene videatur, & quicquid vel ad mentem, vel ad corpus pertinet, in quo præſertim cernitur ea virtus, quæ cuique plurimum accepta eſt, & probata, ac grato animo continetur. Itaque & gratias agit Deo, quas poteſt, maximas, & ſæpe, & ſtudioſe, eique preces adhibet, in quo collocatum ſciat eſſe præſidium rerum ſuarum. Hæc autem in primis valent ad pietatem, ad cultum, ad religionem adverſus Deum: quicquid enim excellit majeſtate, benignitate, beneficentia, ac bonis redundat omnibus, id religioſe colendum eſſe, ratio ac natura præſcribit.

X. Tum vero exardeſcit ſtudium, ut eadem religio longe lateque pateat, & nemo ſit, qui Deum ſummis laudibus, & infinita quadam caritate non proſequatur: quamobrem ii, quorum animum præclara illa occuparit humilitas, quodam feruntur voluntatis impetu ad benefacta, tum ut grati ſint in Deum, tum ut ejus cultus & honos augeatur. Quocirca hu-

Digitized by Google

humilitas, de qua dico, ſemper adjunctam habet magnanimitatem: quamquam enim is, in quo ineſt ſubmiſſio illa animi voluntaria, ita conſcius ſit infirmitatis ſuæ, ut ſciat ſe nihil poſſe omnino; tamen cum erigatur ſpe opis divinæ, & plenus ſit caritatis in Deum, qua impellitur, agitaturque quaſi igne, ea ſuſcipit, quæ difficilia ſint, dura, aſpera, & vix perfici poſſe videantur. Quo efficitur, qui timidus ſit, qui piger, qui non audeat magna aggredi, eum longe abeſſe a chriſtiana humilitate, etſi forte hujus ſpecie tegat atque occultet ignaviam, hoc eſt, proferat imbecillitatem virium ſuarum: quoniam ſatis eſt, ſi fortis ſit is ac potens, quo duce & adjutore ſuſcipiantur egregia ac magna.

XI. Deinde qui laudabilem habet humilitatem, ita cum hominibus verſatur, ut ſpernat neminem, immo omnes anteponat ſibi, plurimique faciat, ac ſe putet eſſe meliores: quoniam in aliis non vitia, ſed virtutes ac dotes, & ornamenta intuetur; in ſe autem non virtutes, ſed vitia, quæ & turpia ſcit eſſe, & ſua; cum virtutes acceptas referat, tamquam auctori, Deo, quæ quidem labem ſuſcipiant ex vitioſa natura, inquinatoque animo, in quo ſint divinitus collocatæ, ac labes ſit eo flagitioſior, quo plura ac præſtantiora ſunt dona, quibus aſperſa eſt. Quo fit, ut chriſtiana humilitas divinorum munerum affluentia foveatur & creſcat; & qui hujus virtutis abſolutionem aſſecuti ſunt, iidem habeant ſeſe velut omnium peſſimos, putentque non beneficia, non mercedem ſibi deberi, ſed animadverſionem ac pœnam: quamobrem neque eos oderunt, qui peccant, neque execrantur, neque vituperant; ſed aut juvant, ſi poſſunt, aut ſaltem eorum dolent calamitate, in quam & ſe incidere potuiſſe non dubitant, vel putant futurum, ut incidant, niſi Dei præſidio muniantur: immo etiam acceptas injurias ferunt toleranter, & aculeos contumeliæ, & convicia; & ſumma omnes complectuntur benevolentia & caritate, etiam perfidos, & ingratos; cum nullum ſit malum, quo ſe dignos non arbitrentur: iccirco morbos tolerant, paupertatem, ac rerum inopiam ſine querimonia, ac ſæpe ſingularem præſeferunt in rebus adverſis alacritatem. Si quid vero vel leve peccant, & labuntur in dicto, aut facto, eos ve-

veniam petere ab his, qui præſentes adſunt, non pudet; ſi laudentur, ſi cui præferantur, non lætitia afficiuntur, ſed metu, pudore, triſtitia: nihil enim cenſent habere ſe, quod ſit jure laudabile. Quam ob cauſam ſubmittunt ſe omnibus. In rebus tamen externis retinent dignitatem ſuam, ut poſtulat perſona, quam gerunt: fabulam enim volunt ita conficere in theatro, ut in quocumque actu probentur.

XII. Tandem qui humiliter, demiſſeque de ſe ſentiunt, cum velint alienam a propria ſententiam minime diſcrepare, eo veniunt, ut eminentes ſupra naturam, quæ amans eſt ſui, contemptionem appetant, eaque delectentur, ut alii laude & gloria: quod argumentum eſt perfectæ, abſolutæque virtutis, hoc eſt, prompte id ſequi, quod ejus eſt proprium, & facile, & cum voluptate: idcirco occultant, quoad fieri poteſt, omnia, in quibus videantur excellere, ut animi dotes ac benefacta; dignitates item, gradus, opes, nobilitatem; & hæc, quæ ſunt bona fortunæ, eo facilius, quod nihil habent in pretio præter virtutem.

XIII. Quod ſi deſerantur ab omnibus, a conjunctis, a domeſticis, ab amicis, ab aliis etiam, quos magnis affecerint beneficiis, in Dei ſinum ſeſe, tamquam in portum, tutamque ſtationem recipiunt ſemper erecti, excelſi, ſtrenui, magnanimi, ac nunquam lætiores, quam cum vident, id ſe, quod maxime velint, aſſecuros; hoc eſt, nullo loco haberi apud homines; at ſine culpa; cum ea fecerint, quæ ſint honeſtiſſima: tunc enim in ſpem eriguntur maximam ejus mercedis, quæ a Deo præclare factis conſtituta eſt.

XIV. Cum vero ardua ſit laudabilis humilitatis adeptio, ad eam tum augendam, tum retinendam, diligenter ſcrutantur, atque inveſtigant conſcientiam ſuam; & ſecum perpendunt, an aliquid dicant unquam, aut faciant honoris & gloriæ cauſa, aut moliantur; an libenter aures præbeant laudanti; an ſeſe purgent, atque excuſent, ſi quid peccaverint, aut aliqua in re reprehendantur quamquam injuria; an ſtatim animum, cogitationemque abducant ab inanitate ac ſuperbia; an omnes tamquam multis dotibus ſuperiores obſervent & colant, etiam illos, qui pares ſunt, aut inferiores ætate, & gradu; an ea, quæ accidunt, & valent ad tuendam chriſtianam humilitatem, modice ferant;

an

an tandem in ſingulos dies huic virtuti dent operam & facto, & voluntate.

XV. Quamquam vero ad ea, quæ dixi, dux poſſit eſſe ratio & natura quodammodo, ſi præcepto illi pareamus: noſce te ipſum: conſideranti enim ſe tot occurrent calamitates, tot mala, tot pericula, quæ impendent in poſterum, ut ſi veritatem ſequi velit in judicando, ipſe ſe contemnat, & pro nihilo ducat, neceſſe ſit, anteponatque nemini; tamen fatendum eſt, laudabilem humilitatem addiſci poſſe non in ſcholis philoſophorum, ſed Chriſti tantum, qui & doctrina, & divina quadam virtute poteſt ad ejus ſtudium incendere voluntatem.

XVI. Quæ ſint chriſtianæ humilitatis propria, ſtrictim ac breviter explicavi; atque his quidem efficitur, ea quaſi fundamento reliquas virtutes niti, modeſtiam, humanitatem, benignitatem, patientiam, ſpem, obedientiam, beneficentiam, benevolentiam, charitatem, magnanimitatem, contemptionem honoris, gloriæ, opum & divitiarum, pietatem, ac religionem. Hinc etiam caſtitas pendet, & continentia: labi enim ſuperbos ſinit Deus in cœnum, & turpitudinem flagitiorum. Pergamus porro ad effecta, quæ a chriſtiana humilitate proficiſcuntur.

XVII. Eorum primum eſt, quod mox indicavi, hoc eſt, comitatus ac cœtus virtutum omnium, quas illa inducit in animum, conſervat, auget, exornatque plurimum: quamobrem ſine laudabili humilitate nulla poteſt eſſe unquam aut virtus, aut in virtute progreſſio, ſed umbra tantum honeſtatis, ac ſimulacrum, ut olim in Romanis, ac familia priſcorum philoſophorum, qui dum vellent patientes videri, liberales, fortes, magnanimi, reipſa ab his virtutibus longe aberant; cum quærerent gloriæ inanitatem, & nominis apud poſteros celebritatem.

XVIII. Mox præclaræ ejus humilitatis fructus eſt propulſatio, expulſioque vitiorum, ſuperbiæ in primis, quæ reliquorum eſt quaſi procreatrix, invidentiæ, diſcordiæ, querimoniæ, contumeliarum, jurgiorum, ſuſpicionum, quæ temere ſolent in animis inſidere, avaritiæ, iracundiæ, atque aliorum: ſi enim quæres unde naſcuntur omnia, parata reſponſio eſt, nimirum abeſt humilitas.

XIX.

XIX. Deinde hac virtute via nulla eſt opportunior ad divina beneficia promerenda, quorum magnam vim, & affluentiam in eos demittit Deus, qui ſibi nihil tribuunt, nihil ſumunt, aut retinent, ſed in fontem ipſum, unde delapſa ſunt, referunt univerſa; cum videamus, & principes viros iis uti adminiſtris ad procurationem rerum ſuarum, quos ſciant eſſe probatæ fidei, & nihil ad ſe trahere, ſed domini negocium, utilitatemque ſpectare: his credunt quicquid maxime pretioſum eſt, ut argenti vim, auri, gemmarum, & cum iiſdem arcana communicant.

XX. Tum a laudabili humilitate capitur ſupremæ mentis facilior, illuſtriorque cognitio: qui enim videt, nihil boni in ſe ineſſe, nihil quod pulchrum ſit, quod laude dignum, idem Cælum intuens, ac terras, & res alias, in quibus mirabilis quædam apparet pulchritudo, atque præſtantia propter divinam ubique diffuſam, diſſeminatamque beneficentiam, intelligit, Deo bonitatis infinitatem contineri, potentiæ, pulchritudinis, ſapientiæ: ex quo in eum fertur flagrantiſſima caritate, quæ eo magis creſcit, quo eſt Dei cognitio nitidior.

XXI. Præterea chriſtiana humilitate facile tum aliena benevolentia comparatur, tum honos & gloria: omnes enim vel improbi fere elatique homines, qui de ſe ſubmiſſe ſentit, qui alios obſervat, & magni facit, qui præfert ſeipſum nemini, eum amant ac laudant, atque ea una dos ſatis eſt ad famam, etiamſi cæteris caret: quoniam ſuperbiæ, cujus ſtirpes quædam inſitæ ſunt in omnium fere viſceribus, eſt quaſi pabulum aliena ſubmiſſio; hac vero boni viri, ac ſapientes plurimum delectantur, quippequi cum virtutis ſtudioſi ſint, eam, quæ reliquarum caput eſt, ſummopere diligunt, & admirantur. Videmus etiam eos, qui obſcuro in loco velint vivere propter modeſtiam, etſi invitos ad gradus efferri honoris & dignitatis: turgidis enim, atque inflatis ſubeſſe durum eſt; at ei, qui quanto ſuperior eſt, tanto ſe ſubmiſſius gerit, dulce ac jucundum: iccirco ea virtus, de qua dico, in nemine apparet illuſtrius, quam in iis viris, qui aut generis claritate, aut ſcientia & ingenio, aut potentia & imperio, aut divitiarum copia inter primos florent: neque enim humilitas in omni externa-

rum

Digitized by Google

rum rerum inopia, aut contemptiſſimo, tenuiſſimoque cultu poſita eſt, ſed in judicio ac voluntate, qua quis ſubmittat ſe omnibus, etſi multis præſtat vel propter animi dotes, ac corporis, vel propter ornamenta fortunæ, quæ ipſum quidem non latent, ſed ſua non eſſe compertum habet, cum ab optimo accepta ſint, ac providenti Deo.

XXII. Poſtremo, quod maximum eſt bonum in terris, a chriſtiana humilitate exiſtit quies, tranquillitas, animique ſumma placatio: nihil eſt enim, quod eum, in quo virtus illa radices egerit, perturbare ac concitare poſſit, non contemptio, non infamia, non contumeliæ, non cupiditas gloriæ, & divitiarum, aut libido principatus, non iracundia, non invidentia, non ſuperbia in primis, a qua fluctus in animo moleſtiſſimi commoventur, non alii turbidi motus, nec morbi, vel tandem adverſæ res, quæcumque accidant: his enim non modo non mœret, ſed gaudet etiam, & viget & roboratur, qui in chriſtiana humilitate profecerit. Num igitur eum de tranquillitatis ſtatu dimoveant res ſecundæ, quem aſperæ ne movent quidem? immo delectant? Quo fit, ut felix ac beatus in terris judicandus ſit is, cujus animum pulcherrima, pacatiſſimaque humilitas occuparit: felicitas enim, qua frui homo poteſt, dum vivit, mentis tranquillitate continetur, ut dixi (*lib.* 1. *cap.* 18.) Ex quo illud ſequitur, jucundum eſſe ſe noſcere, ac vitia ſua, non triſte ac turbulentum: nam quo magis nos deprimit vilitas & abjectio, quam ineſſe in nobis ipſis videmus, eo altius, Dei perſpecta liberalitate, erigimur ac ſublevamur.

XXIII. Quæ cum ita ſint, non eſt dubitandum, quin ea virtus, de qua quærimus, ſit ſummopere utilis ac neceſſaria: valet enim, ac requiritur omnino ad comparandas, retinendaſque virtutes, ad Dei cognitionem, ad promerenda a Deo beneficia ſingularia & eximia, ad præclara opera perficienda, cum ſine Dei ope nihil effici poſſit, qui ſuperbis non adeſt, ſed obſiſtit, ad benevolentiam conciliandam, ad famam, ad decus, ad dignitatem, ad animi quietem, iccircoque ad felicitatem, cujus homo particeps eſſe poſſit in vita.

XXIV. Verum dolendum eſt, virtutem, a qua maxima bona proficiſcuntur, adeo raram eſſe, ut nuſquam fere

reperiatur: omnes plerumque ita comparati ſunt, ut gloriæ ſint appetentiſſimi, & abjecti animi putent eſſe eam contemnere, cum ſecus ſit: magnorum enim virorum eſt, honeſta quidem, & excelſa moliri, & facere; at popularem laudem, plauſum, famamque fugere & aſpernari, aut ſaltem perſuaſum habere, non ſibi laudes deberi, ſed Deo, a quo tamquam fonte bona in nos permanant omnia. Suæ in primis utilitati, ac felicitati conſulent adoleſcentes ii, qui ea utantur prudentia, ut ſi abſolutam nondum humilitatem aſſecuti ſunt, ſaltem ſequantur pro viribus, ac flagitent quotidie a Deo: ſummis enim bonis animum cumulabunt ſuum, ipſamque gloriam ſibi apud homines comparabunt, quæ fugientes ſequitur, inſequentes fugit; nunquam vero ſolet a virtute ac benefactis remota eſſe, atque disjuncta: quoniam his adhæreſcit, quaſi umbra corpori.

XXV. Laudabili humilitati repugnat ſuperbia, quæ nimium eſt, & immoderata ſubmiſſio, quæ parum. Superbia eſt perverſa quædam affectio, qua quis præſtantiam tanti æſtimat, ac magnitudinem ſuam, ut inter alios excellere velit, & eminere, unde nomen vitio quæſitum eſt: eſt enim ſuperbire, quaſi ſuperire, hoc eſt, aliis anteire opinione meritorum ſuorum. Si in verbis apparet elatio, arrogantia dicitur, aut ſuperbiloquentia; ſi in quotidianis congreſſibus, victuque communi ſævitia; ſi in motu ac geſtu inſolentia; ſi in contemptione aliorum ac tædio faſtidium ac ſupercilium. Quæ verſatur in appetendis honoribus, ea ambitio eſt; quæ in rebus ſuis extollendis, oſtentatio; quæ in petendo impudenter, petulantia; contumacia vero nominatur, cum cernitur in retinendo propoſito ſine ratione, & adverſus ſententiam judiciumque ſapientum. Sed tandem unum, idemque vitium eſt, quod diverſo quaſi aditu erumpit foras, ut fert occaſio: quamobrem ſæpe in familiari ſermone iis nominibus ſolet ſuperbia ſignificari.

XXVI. Fons autem, & origo, ex qua hæc excellentiæ libido naſcitur, eſt *φιλαυτία*, quam Græci vocant: qui enim ſe nimium amat, magni etiam facit: ex quo ſequitur, ut quicquid habet, quod ex aliquo bonorum genere videatur eſſe, id contempletur, augeatque plurimum opinione, ut memoriam, judicium, ſolertiam, ingenium, putetque his doti-

tibus adeo valere ſe, ut inferior ſit nemine, poſſitque aliis præeſſe, ac jura præſcribere, nec velit, etiamſi liceat, decumanam cucurbitam ſuam cum ullius capite commutare, ne Lycurgi quidem, aut Solonis. Si cui arti, vel ſcientiæ det operam, ut rhetoricæ, ut medicinæ, ut philoſophiæ, ut juriſprudentiæ, excellere in his ſibi videtur præ reliquis, quos etiam deridet quaſi minutos ac tardos ingenio, ac mentis acumine deſtitutos. Quod adoleſcentes præſertim ſolent facere. Eorum aliquem, qui profecto vix juris elementa quædam primoribus, ut dicitur, labris attigerat, reſpondiſſe accepi adhortanti, ut pergeret incœptum opus perſequi, omnem juris ſcientiam ſe didiciſſe, nimirum duobus, aut tribus annis, quorum majorem partem in obl.ctationibus etiam, ludiſque conſumpſerat. Sentient ægroti, & clientes, quid valeant barbatuli iſti juvenes, qui medicam artem, aut juriſprudentiam profitentur, ac cenſent cum Æſculapio ſe, & Zoroaſtre comparandos. Ridendi ſimiliter ii ſunt, qui cum aliquid guſtarint e philoſophia, aut rhetorica arte, ſuperbiunt & tument, & cum verſiculos quoſdam, aut argumentationis genera memoria teneant, ſibi videntur ſapere; quemadmodum ſi quid valent facundia potius a natura data, quam ſtudio, & labore parta.

XXVII. Nec vero adoleſcentes tantum, ac juvenes inflantur ob ſcientiam; at ſæpe etiam qui ad firmiorem ætatem venerint, ac ſenes: non tamen ii fere, qui ſingularem, eximiamque doctrinam aſſecuti ſunt, & in intimas ſapientiæ ſedes penetrarunt; quippequi intelligunt, infinitam quamdam eſſe aliarum rerum multitudinem, quas ignorant omnino, multa etiam dubia & incerta, in quibus errare & labi poſſunt. Verum quibus aſperſa eſt fuligo quædam literarum, hi ſolent ſe efferre inſolentius; cum enim non longe proſpiciant, ea tantum eſſe cenſent in rerum natura, quæ vident ipſi, aut ſi qua ſunt alia, adeo contenti ſunt ſcientia ſua, ut eorum nullam fere rationem habere videantur; præſertim vero ſi quem libellum ediderunt, aut epigramma aliquando, putant ſe in hominum ore ac ſermone verſari tamquam literatos, & ſingulari ingenio ac doctrina præditos.

XXVIII. Quamplures extollit nobilitas, altior dignitatis gradus, aut copia divitiarum, aut alia fortunæ bona; ni-

Digitized by Google

nimirum cum minuto ac puſillo ſint animo, nec intelligant, quid in bonis ducatur a ſapientibus, quid ſit magnum, ac prædicatione dignum; & præterea, cum ſæpe nihil habeant in ſe, quod laudabile videatur, gloriam captant ab iis, quæ ſunt aliena, a generis claritate, ab opibus, a domo exornata, atque inſtructa, & plena ſignorum, a veſte, a curru, a famulis; ſecus ac monet Epictetus; *nec equus*, inquit (*in Sent. num.* 26.) *ob præſepe, & phaleras, & tapetes; nec avis ob floccos, ac nidum effertur, uſque gloriatur; ſed utraque animalia ob celeritatem; illud quidem pedum; hoc vero alarum. Quare tu quoque ob alimenta, & veſtes, & omnino ob externas opes ne magnifice te efferas, ſed ob probitatem, & beneficentiam*. Eſt enim ridiculum, ac ſtultum propter ea ſe magni æſtimare, quæ pendent a temeritate fortunæ, quæ nos meliores non faciunt, nec in noſtra ſunt poteſtate. Maxime vero intelligendum, nihil magis a nobilitate alienum eſſe, quam ſuperbiam: vera enim nobilitas virtute, ut modeſtia, ut urbanitate, ut affabilitate, facilitateque, ut beneficentia, & charitate paritur & conſervatur. Superbi a majorum honeſtate degenerant, iccircoque non ſunt nobiles, politique judicandi, ſed plebeji ac rudes.

XXIX. Dignitates vero ſuperbis hominibus non ornamento ſunt, ſed dedecori: quoniam eorum turpitudinem, ac ſtultitiam, morumque perverſitatem, quæ multos forte latuiſſet, in apertam lucem proferunt; quod & faciunt divitiæ, opeſque ſimiliter, ac ſecundæ res: produnt enim animi elationem, & levitatem: quamobrem ea eſt a Tullio data præceptio (*Offic. lib.* I.) *in rebus proſperis, & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam, faſtidium, arrogantiamque magnopere fugiamus: nam ut adverſas res, ſic ſecundas immoderate ferre, levitatis eſt*.

XXX. Præ cæteris autem vituperantur ii, qui cum ex obſcuro loco, tenuique fortuna ad ſuperiorem gradum evecti ſint, perſonam ſumunt gravem, auſteram, moroſam, inflatam, ventoque ac fumo ita plenam, ut reſpirare vix poſſint. Videbis etiam feminas pulchritudine, ac venuſtate ſua, veſtiumque ornatu turgidas, quas imitantur ii, qui muliebri ingenio ſunt, non virili. Quam vero ineptum, ac futile, pulchritudine contempta animorum, quæ vera eſt, ſectari adumbratam, eaque gloriari?

XXXI.

XXXI. Hæ quidem ſuperbiæ cauſæ, de quibus dixi, in omnium oculis, conſpectuque verſantur; eſt autem origo alia latentior, ex qua pestis illa permanat occulte, & per cuniculos, hoc eſt, virtus, atque adeo ipſa ſubmiſſio; etenim cum alia vitia cernantur in turpi actione, ut invidentia, ut iracundia, ut avaritia, ut incontinentia; ſuperbia contra etiam honeſtis rebus inhæret, ex iiſque naſcitur, quas & contaminat inanis gloriæ cupiditate. Erit V. C. aliquis, qui maxime ſtudioſus ſit, ac diligens caſtitatis retinendæ, fidei, juſtitiæ, conſtantiæ, gravitatis, ſed putet in alios dominari vitia contraria, quos iccirco contemnat ut improbos; hunc nonne licet ſuperbum dicere? quo item morbo laborat is, qui cum aliquid a ſe dictum ſentiat, factumve præclare, ac belle, tum petit ab aliis, ut quid peccaverit, libere dicant, nimirum ut audiat, nihil fieri, aut dici potuiſſe præſtantius. Reprehendet etiam ipſe ſe, ut nullius ingenii hominem, nullius conſilii, ut ineptum, ut pigrum; ſignificabit odioſum ſibi eſſe laudari, ſed non aliam ob cauſam, niſi ut laudetur, habeaturque integer ac modeſtus. Hæc quidem ſuperbia eſt omnium peſſima, quippequæ cum virtutem imitetur, cujus ſpecie ſe occultat, aliis imponere facillus, ac nocere poteſt impune. Quo fit, eam quidem turpiſſimam eſſe ſuperbiam, quæ naſcitur a ſimulatione virtutis.

XXXII. Cum vero, ut vermes in arbores, ita hæc lues clam ac ſubdole inſinuet ſeſe etiam in benefacta, etſi nobis fere invitis aliquando, & nihil tale cogitantibus, adhibenda diligentia eſt, ut illi aditum omnem intercludamus, ne, quæ inviolata atque intacta arbitramur eſſe, ea vitiata olim appareant & corrupta, nihilque habeant, præter ſpeciem: neque enim ubi ſuperbia eſt, ibi fructus poteſt eſſe ullus ſincerus, atque integer honeſtatis. Quæ fere ſint ſuperbiæ cauſæ, & qui fontes, expoſui; nunc ad ea, quæ ſunt ejus propria, pergamus.

XXXIII. Cum is, cujus animum hæc vehemens affectio occuparit, quaſi finem proponat ſibi excellentiam ac dignitatem ſuam, ad eam refert omnia, contemnitque non modo humana jura, ſi obſtent, quominus id, quod quærit, aſſequi poſſit, ſed etiam divina, & vel Dei cultum, & religionem, neque veretur ad gloriam ſibi viam parare per flagitia ac ma-

Digitized by Google

malefacta: iccirco ſubeſſe vult nemini, ne ipſi quidem Deo. Eum, qui præſit, odio proſequitur, proſcinditque conviciis ac maledictis ſaltem obſcure, ſi forte non liceat palam; juſſa quæque, & conſilia judicat inepte data, cumque deſipere, & exſuccum eſſe, qui regit communitatem, ſe autem ſapere. Si cui hujus generis adoleſcens ac juvenis traditus ſit ad inſtituendum literis, ac pietate, nihil movetur adhortationibus; ſed animadverſione ac fuſte opus eſt, qua redeat ad ſanitatem: quem enim inflat, extollitque ſuperbia, is non modo pares, atque ætate inferiores, & gradu, nullo in loco habet, verum eos etiam, qui ſuperiores ſunt cum ſapientia, tum poteſtate. M. Fulvius Flaccus conſul totius ampliſſimi Senatorii ordinis majeſtatem nihili fecit: monenti enim, rogantique ſenatui, ut ne leges quaſdam introduceret pernicioſas reipublicæ, reſponſum nullum dedit (*Valerius Max. lib. 9. cap. 5. num. 1.*) Et Marcus Druſus Tribunus plebis, accepto nuncio a Senatu, ut in curiam veniret; cur non ipſe potius, inquit, in Hoſtiliam propinquam Roſtris ad me venit? (*Valerius Max. cit. loc. num. 2.*)

XXXIV. Ex ea contemptione fit, ut qui ſuperbus eſt, idem fere ſit inſolens, & crudelis, atque expers humanitatis, præſertim ſi valet opibus, & potentia. Gn. Pompejus e balneo egreſſus Hypſæam nobilem virum, & familiarem accuſatum de ambitu ante pedes ſuos procumbentem non modo non erexit, ſed dereliquit afflictum contumeliæ acerbitate. Quid vero dicam de M. Antonio triumviro? is cum allatum ad ſe in convivio Cæſetii Rufi ſenatoris caput, propius admoveri juſſiſſet, diuque conſideraſſet; cum cæteri triſte ſpectaculum ferre vix poſſent, *hunc ego*, inquit, *notum non habui* (*Valerius Max. cit. loc. num. 3. & 4.*) Inventus eſt, qui tamquam jumentis, viris etiam illuſtribus uteretur. Seſoſtres Ægypti rex principes ac rectores provinciarum ad ſe venire cogebat quotannis cum munere, atque ab eorum quatuor quaſi equis vectus curru trahi volebat ad templum (*Andreas Eborenſis in memor. exempl. v. Superbia*) ac Sapor Perſarum rex Cornelium Licinium Valerium imperatorem prælio ſuperatum non modo veluti canem vinctum tenuit, ſed etiam tergo ejus, ac renibus pro ſcamno uſus eſt, ut commodius in equum conſcenderet (*ib.*)

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. Nulla vero ineſt in ſuperbo benevolentia & charitas, nulla miſericordia adverſus eos, qui malis confliƈtantur, ac duriore fortuna; immo miſeros & calamitoſos a Deo deſertos putat; famulos vix appellat nominatim, at ſi quid jubeat, heus tu? inquit, & cum iis agit, quaſi cum belluis cum diƈtis, tum etiam faƈtis, ſi qua in re leviter peccaſſe videantur. Si ab hominibus interrogetur, quorum humilis ſit, infimaque conditio, vel ea aliquanto inferior, quam ipſe naƈtus eſt, aut nihil reſpondet, aut nutu, aut obiter, & inurbane; cenſet enim labem aſpergi dignitati ſuæ, ſi cum vili & plebejo homine colloquatur. Pallas Claudii libertus ob ingentes opes comparatas tanta ſuperbia elatus eſt, ut affirmarit, ſolere ſe nunquam miniſtrorum ſuorum quemquam alloqui, ſed ſi quid vellet, id eis aut manu indicare, aut nutu; aut ſi longiore oratione opus eſſet, ſcripto uti, nimirum ne cum miniſtris ſuperbæ vocis ſuæ dignitatem communicaret. (*Andreas Ebor. v. Superbia*) *In epiſtolis*, ait Theophraſtus (*in Charaƈt. cap.24.*) *nunquam ſic ſcripſerit: feceris mihi rem gratam; ſed: hoc fieri volo; & miſi ad te, qui ſumeret. Item ne aliter fiat, vide, & quamprimum.* Ab eo, in cujus præcordiis infixa hæret ſuperbia, urbanitatis officia vix requiras. Præclare tecum, & abunde aƈtum puta, ſi comiter ipſum ſalutante te, leviter pileum tangat: nam ut caput aperiat, inclinetve, ejus amplitudo non patitur; fortaſſe etiam alio oculos, vultumque convertet, quaſi immanem beſtiam aſpexerit, inviſam, infeſtam.

XXXVI. Eſt etiam ſuperbi proprium aliena conſilia nec libenter audire, nec ſequi: concedere cum velit nemini ſapientia, prudentia, ſagacitate. Quod ſi res male ſuccedant, non inſcitiam ſuam culpat unquam, ſed tempora, ſed adverſum caſum, ſed hominum malitiam & improbitatem. Xerſes cum Græciæ bellum inferre moliretur, convocatis Aſiæ principibus; ne viderer, inquit, meo tantum uſus conſilio, huc vos accerſivi: cæterum mementote, parendum potius vobis eſſe, quam ſuadendum. Annibal etiam Cannenſis pugnæ ſucceſſu elatus ſupra modum affirmantem Maharbalem vidiſſe ſe, qua ratione paucis diebus in Capitolio cœnaret, aſpernatus eſt (*Valerius Max. lib.9. cap.5. num.2 & 3. int. extern. exemp.*)

XXXVII.

XXXVII. Multo autem minus fert homo ſuperbus reprehenſiones, & monita: opinatur enim ſe aliis eſſe meliorem; cum nunquam animum, cogitationemque referat ad vitia ſua, verum ad id ſemper, in quo aliis videatur excellere. Bonifacius VII. pontifex in Urbem reverſus, ex qua pulſus fuerat, Joanni cardinali integerrimo viro oculos erui juſſit, quod ei in his, quæ parum juſte appetebat, adverſaretur. (*Andreas Ebor. exempl. memor. v. Superbia*) Sed Cambyſis Perſarum regis major etiam fuit ſuperbia, & crudelitas, a quo interrogatus Præſaſpes Perſa nobilitate inſignis, quid populi de Cambyſe ſentirent, cum amice reſpondiſſet, eum a Perſis in omnibus laudari, niſi quod eſſet vini paullo appetentior, Cambyſes arcum, quem manu tenebat, tetendit, & ſe quamquam immodice potaſſet, ſagittam tamen ait, in medium filii ejus cor directurum: his dictis, emiſſa ſagitta medium adoleſcentis pectus trajecit (*Andreas Ebor. cit. loc.*)

XXXVIII. Ne id quidem, qui ſuperbus eſt, vult ab alio audire, quod de ſe ipſe fateatur: nam modo loquatur de rebus ſuis, interdum aliquid dicit, in quo peccarit; at plerumque narrat ea, quibus laudem compare ſibi aut viri nobilis, aut locupletis, aut prudentis, & literati, temperantis, fidelis, fortis ac generoſi: itaque res a ſe bene geſtas in pueritia, in adoleſcentia, in juventute, ac reliquo vitæ curſu tam ſæpe ingerit audientibus, ut magnam afferat ſatietatem: cum enim novam ſemper laudis materiam reperire, aut comminiſci difficile ſit, inculcat vetera, & hiſtoriam retexit, ut conficiat eodem modo. Cum vero in eos incidit, qui aſſententur militi glorioſo, cibum guſtat, quo nullus poſſit eſſe ſuavior. Eam ob cauſam commemorat etiam, ſi qua in alios contulit beneficia, quamquam leviora, & vult ab eo, cui data ſunt, prædicari.

XXXIX. Cum amari appetat, magni æſtimari, ac præferri omnibus, ſi forte ſuſpicetur a quopiam contemni ſe, excandeſcit, ac venit ad contumelias & jurgia, & ſimiliter ſi gradu careat, ac magiſtratu, quo dignum ſe arbitratur eſſe: inhiat enim honoribus ac dignitatibus, quarum aliqua ſi forte ſpolietur, tunc quidem querimoniis nullus eſt finis; quoniam accepta iniuria eſt, quam nulla deleat oblivio. Præterea propter immenſam gloriæ cupiditatem aggredi-

ditur ad majora, quam vires ferant, & ſe implicat rerum occupatione plurimarum, quas procurare aliorum eſt. Quaſi præſit ac dominetur communitati, inquirit ac circumſpe-ctat, quid alii faciant, de quibus temere ſuſpicatur ac judicat. Immo eo venit interdum audaciæ, ut divina arcana ſcrutari audeat, ac de rebus altiſſimis diſputare, ac ferre ſententiam, ſibique eam provinciam ſumere, ignarus omnino dogmatum, & doctrinarum, quæ theologorum propria eſt; quamquam & iſti ſubmittant neceſſe ſit rationem auctoritati, & teneant in inveſtigando modum.

XL. Tandem is, in quo ineſt ſuperbia, tribuit ſibi quidem omnia, præter vitia, quæ in naturam refert, iccircoque in Deum, a quo illa eſt data, ut iracundiam, ut incontinentiam, ut arrogantiam, aliaſve perturbationes, quas veluti quotidiano pabulo nutrit, augetque malefactis, nec continet ratione & prudentia, ac ſi quando temperat a flagitiis, eo conſilio id facit, ne male audiat apud homines, quos magis timet, quam Deum; hunc enim poſtponit famæ ac dignitati ſuæ. Superbiæ indoles a nobis hactenus ſtrictim, & paucis deſcripta eſt; jam vero, quæ ex ea incommoda & mala proficiſcantur, explicandum eſt.

XLI. Primum vero eſt ſtultitia: quare extat illud Sotatis (*apud Stobeum tom.* 1. *Serm.* 22. *qui eſt de Superbia*) *Superbis? hujuſmodi eſt ſtultitiæ jactantia*. Apparet autem dementia hæc in factis & dictis. In factis primum, ut ingreſſu, in geſtu, in ſupercilio, in negociis temere ſuſcipiendis, in quærenda gloria magnis exantlatis laboribus, ac moleſtiis. Ut vero carere judicio infantes ac pueros recte dicimus, qui muſcas, aliudve generis ejuſdem animal conſectantur ſummo conatu, ac ſtudio; ita parum valere animi ſanitate judicandi ſunt ii, qui de virtutibus, ac præclare geſtis, ex quibus ſponte verus honos naſcitur, parum curant; ſunt autem popularis famæ, atque opinionis appetentiſſimi, quæ frivola & inanis eſt per ſeſe, eamque tamquam ventum ac fumum aucupantur, & attrahunt aperto ore, ut inflentur, morbumque ſuſcipiant: nam ea opinio ſuperbiam nutrit, augetque, quæ tumor quidam eſt, & mentis ægritudo: quod autem tumet, id ſanum non eſt; nec magnum item, quamquam videatur; cum aut aere, aut vitioſi humoris copia redundet.

XLII. Ex quo conſequens eſt, eos, qui gloriam appetunt, & ſequuntur non per virtutem, quæ a ſuperbia longiſſime abeſt, videri poſſe magnanimos, ſed non eſſe, immo abjectos potius, ac ſtultos recte judicari, quippequi id magni æſtimant, & quærunt ardentius, quod minutum ac leve eſt, & male ſanum. *Democrates jam ſenex*, ut eſt apud Stobeum (*tom.1. Serm.22. de Superbia*) *aſcendens in arcem Athenis perquam anhelоſus, idem ſe facere dixit, quod univerſa civitas Athenienſium ſoleret, nempe ſe magnum quidem ſpirare, parum autem valere*. Spirant autem ſuperbi magnum aliquid propterеaquod, ut Socrates ſcribit (*eod. in loc.*) *utres quidem inanes ſpiritus diſtendit; ſtultos autem opinio*.

XLIII. At ſuperbi hominis verba audiamus, quæ ſunt plena ſtultitiæ: is enim cum ſomniet, quæ bona & præclara ſunt, ſua eſſe omnia, ac cerebrum ſuum putet ſedem, ac domicilium ſapientiæ, prudentiæ, conſilii, ac concedere ſeſe nemini aut eloquentia, aut comitate in congreſſu, aliquando etiam pulchritudine, opibus, nobilitate, hæc ſemper prædicat, & contra vituperat aliena, in quibus ex ejus ſententia aut mancum aliquid ineſt, aut vitioſum, aut turpe. Si ejus conſilio res eſſet geſta, ſi gubernata reſpublica, ſi data munera magiſtratus, ſine dubio melior his exitus contigiſſet; tum vero plura narrat, quæ cum probaſſet, ſucceſſerint ex ſententia, & alia, quæ ſecus; propterеaquod, vel repugnante ipſo, vel neſciente, ſuſcepta ſint. Huic quidem minitatur aut necem, aut verbera, illi exprobrat imprudenter facta, nunc imperat magna cum auctoritate, nunc vetat. Alius imperitus eſt, alius callidus & malitioſus, hic præceps, ille negligentior, ſi ſuperbum audias, quippequi unus vitio caret, & opinione præſtantiæ ſuæ propius accedit ad quamdam divinitatem.

XLIV. Eam ob rem tanta nonnulli flagrarunt inſania, ut vellent dici ſe, & haberi Deos. Alexander Macedo parentem ſibi aſcivit Ammonem Jovem, & divinum habitum imitatus eſt, ſpreto mortali (*Valerius Maximus lib.9. cap.5. num.1. inter externa*) atque in eumdem fere furorem incidit Domitianus, & Caligula (*Andreas Eborenſis tom.1. Exempl. Mem. v. Superbia*) & Heliogabalus (*ib.*) Et Sapor Perſarum rex, dum ad Conſtantium imperatorem literas daret, nullo qui-

Digitized by Google

quidem adverſus eum honore uſus eſt, at ſe Solis, ac Lunæ fratrem nominavit, & qui inter ſtellas partem haberet, ne alios perſequar generis ejuſdem. Fuit qui ab elementis requireret obedientiam, ut Cyrus, qui fluvium Gangem immenſæ magnitudinis, rapidumque, propterea quod in eo eques Perſa periiſſet, in trecentos ſexaginta alveos diviſit, affirmans, eſſe ſe parem amni ita minuendo, ut eum feminæ trajicere poſſet ſine labore (*Herodotus lib.* 1.).

XLV. Hæc quidem vix intelligi poteſt, quo pacto in hominis mentem cadant, qui ſit compos ſui: quiſquis enim vivit in terris, ſentiat neceſſe eſt ægritudines, curas, incommoda, dolores etiam, & morbos, horumque ſimilia, quibus admoneatur imbecillitatis ſuæ, & periculi, quod ſemper impendet cum plurimarum calamitatum, tum mortis. Quare difficile eſt, a ſana mente non percipi, quæ humana ſunt, eadem eſſe fluxa & caduca; nec aliam eſſe naturam datam homini locupleti ac principi, aliam obſcuro & pauperi. Vere igitur, ac ſapienter dictum eſt a Publio Syro Mimo (*apud Muretum num.* 253.)

Fortuna, nimium quem fovet, ſtultum facit.

XLVI. Eam vero ſtultitiam hoc etiam indicat, quod ſuperbi gloriæ aſſequendæ cauſa hujuſmodi viam, rationemque ineunt, qua incidant in contemptionem, & ſibi omnium conflent invidiam, etiam eorum, qui eodem morbo laborant, ſecus ac fieri ſolet: quiſquis enim odit arrogantem, ambitioſum, elatum, execratur ac vitat, ſi poſſit; & quamquam interdum, ut mori, aut neceſſitati pareat, eum quadam honoris ſignificatione præſentem proſequatur; tamen proſcindit abſentem maledictis; nec hero famuli, nec populi gubernatori, ac rectori communitatis parcunt, nec plebeji homines ſenatori: quæ enim tanta vis & potentia, quæ auctoritas tanta poſſit eſſe, ut alienam linguam comprimat, atque compeſcat? & multo magis ut homines cogat ad diligendum? Quid autem dementius, quam ſi, cum amari ab omnibus, magnique æſtimari velis, ita te geras, ut quiſque oderit, & contemnat?

Digitized by Google

XLVII. Nec vero ſtultitia, de qua loquor, ſaltem ejus generis, quod minus ſit intolerabile, dominatur in paucos, ſed tam longe, lateque patet, ut plurimorum animos occupaſſe videatur; atque hæc cauſa eſt, cur in communi ſermone uſitata fere, familiaris ac frequens ſit adulatio: nam ut dementibus aſſentimur contentionis fugiendæ gratia, quamquam ii abſurda, & inepta aut dicant, aut faciant; quoniam inſipientis eſſet cum fatuo velle contendere; ita plures inveniuntur, qui cum ſciant, homines gloriæ ſtudio flagrare, nolunt contradicere, ſed eos laudant, ac probant id, quod vituperandum putant, & reipſa apud alios vituperarunt; itaque non verentur mentiri, aut ſaltem dubie, ac ſimulate loqui ad fugiendam invidiam, alienamque captandam ſibi benevolentiam, ex qua forte ſperant, fructum ſe aliquem conſecuturos. Hoc autem maxime valet ad augendam inſaniam, ex qua exiſtant malefacta, aut ſaltem inepta & ridicula: demens enim ſolet id rurſus facere, quod videt laudari. Interim vero, cum ipſe ſe contentus ſit, aliis ridendi materiam præbet. Nec quiſquam eſt, qui morbo velit facere medicinam, quippequam ſuperbi repudiant, ut ſtulti ſolent, & medicum inſectantur jurgiis & contumeliis: quis autem ſibi curas fabricetur impenſis ſuis? aperiatque veritatem, quæ odium parit, niſi fortis ſit, & magnanimus, ac patiens injuriarum? Quo efficitur, ſtultum eſſe, inane, ridiculum laudes magni facere, quæ fere non quicquam ſunt aliud, niſi mendacia, & turpis quædam vitiorum adiutrix aſſentatio.

XLVIII. Damnum alterum, quod naſcitur a ſuperbia, & illud certe graviſſimum, eſt animi perturbatio: cum enim fieri non poſſit, ut omnia ad voluntatem fluant, immo quammulta ſecus accidant, neceſſe ſit, quæcumque ſit vitæ conditio, aut affluentia divitiarum; qui ſuperbus eſt, is ſempiterna triſtitia tabeſcit ac roditur, & quaſi jaculo, atque enſe confoditur, dum videt, ad alios deferri honores ac dignitates, eoſdemque magni æſtimari ac diligi, ſibique præferri. Eum vehementer pungunt etiam minuta ac levia, ut dictum aliquod inurbanum, aut factum, aut officii prætermiſſio quamquam fortuita, ac minus voluntaria, & quandoque nec debita. Quo autem quiſque in ſublimiori gradu collocatus eſt, eo delicatior ſolet eſſe, & vel acu

acer-

acerbè ſauciari: quocirca nunquam pace frui poteſt, ac liquida voluptate. Illuſtre eſt exemplum Amani, qui etſi honoribus, divitiis, & gratia facile princeps eſſet omnium, qui in Aſſueri Medorum, Perſarumque regis aula verſarentur; tamen incredibili quadam iracundia, & gravi mœrore correptus eſt, proptereaquod non coleretur a Mardochæo flexo genu, quemadmodum ſoleret a reliquis; ita vero exarſit furore & inſania, ut omnem perdere moliretur gentem Judæorum; etiamſi ſecus omnino factum eſt: nam ipſe eſt actus in crucem, quam Mardochæo parari juſſerat domi ſuæ (*Eſther cap.* 3. & *ſeqq.*)

XLIX. Ex quo licet cognoſcere, triſtitiam ſæpe non ex corporis conſtitutione naſci, & morbo melancholiæ, ſed ex animo ac vitio ſuperbiæ: multi enim perturbantur eam ob cauſam, quod non adſciſcuntur ad munera, quod in contemptionem aliquam incidiſſe, aut non eam gloriam conſecuti ſibi videantur, quam maxime voluiſſent, quod careant aliena benevolentia, quod tandem irrita ſint importuna vota cupiditatum, & excellentiæ vehemens atque inſatiabilis libido expleri non poſſit. In hac autem perturbatione nullus eſt tranquillitati locus.

L. Quid quod ſuperbi non modo nimii ſunt in appetendis honoribus, & quærenda populari opinione, ſed prætérea habent omnia vitia, quorum parens eſt, procreatrixque ſuperbia? nam invidi ſunt, moroſi, pervicaces, litigioſi, glorioſi, ſtudioſi rerum novarum, furioſi, fere etiam incontinentes, iracundi, imprudentes ac temerarii, inurbani, ſimulatores, duplices, malitioſi, nunc avari, tum prodigi, modo redundant officiis, modo ea deſerunt, ut ſuadet ambitio. Cum vero unum vitium, atque una cupiditas ſatis ſit ad labefactandam omnino animi tranquillitatem; qua tandem quiete fruatur is, qui omnibus opprimatur, iiſdemque ſæpe contrariis?

LI. Poſtremo illud adiunctum habet malum ſuperbia, quod graviſſime punitur a Deo, cui vehementer odioſa eſt: *Cum videris*, ait Euripides (*apud Stobeum tom.* 1. *ſerm.* 22. *qui eſt de Superbia*) *in ſublime quempiam elatum, ſplendidis glorìantem opibus, ac genere, ſuperciliſoque ſupra ſortem ſuam faſtuoſum; illius celerem divinitus expecta brevi vindictam*

Et

Digitized by Google

Et rurſus (*ib.*) *Jupiter nimis ſuperbos caſtigat*. Quod & ſcribit Herodotus (*lib.* I. *Hiſtor. apud Stobeum cit. loc.*) *Vides*, inquit, *eximia animalia ut fulminet Deus, neque ſuis opinionibus uti ſinat: exigua vero facile fert. Vides etiam, ut in ædificia maxima ſemper, & celſiſſimas arbores cœleſtia tela ingruant: ſolet enim Deus eminentia quævis caſtigare, ideoque magnus quoque exercitus ab exiguo ſternitur, cum Deus invidens aut metum ipſis injecerit, aut tonitrua, unde condignam ſe perditionem incidunt: non ſinit enim Deus alium præter ſe altum ſapere*. Et quidem quod miſellus homuncio ſuperbiat, non eſt ferendum.

LII. Sed levior eſt animadverſio, quæ attingat tantum bona fortunæ, aut famam, valetudinem etiam, ac vitam; ea vero maxime formidanda, quæ pervadit in animum, cum ſinit Deus, ſuperbum hominem labi primum in levia peccata; mox, niſi cognoſcat ſe, in graviora præſertim ex eorum genere, quæ habeantur turpiſſima; poſtremo peccandi conſuetudine illigari, quæ paratior eſt ad ſummum malorum via. Quamobrem infra omnes deſcendit, qui jam vellet omnibus anteire:

Cito ignominia fit ſuperbi gloria.

ait P. Mimus (*apud Muretum v.* 123.)

LIII. Itaque curandum eſt, ut ex mente ac voluntate radicitus evellatur ſuperbia, quæ cum deteſtabile, & perniciofum, & late patens, ut dixi, tum minuti & puſilli animi vitium eſt extollentis ſeſe propter res inanes ac leves, aut etiam alienas, ut eſt in fabulis de Cumano illo aſino, qui cum leonis pelle conteſtus eſſet, ſe leonibus additum gloriabatur; quamquam commodata veſtis nec ei ademiſſet vocis aſperitatem, nec tardum, obtuſumque ingenium acuiſſet.

LIV. Immoderata ſubmiſſio eſt affectio animi abjicientis ſe, cum non oportet, aut eo, quo non oportet, modo; hoc eſt, non habita ratione loci, temporis, perſonæ, dignitatis: qua in re mediocritas retinenda eſt, duce prudentia: dedecet enim ubique V. C. patefacere, & cuique peccata ſua, ac paſſim clamare, ſe flagitioſiſſimum eſſe omnium, qui ſint

in

in terris, ea facere, quæ dedecorent gradum, & in contemptionem adducant, velle omnibus digniorem locum cedere, & ſi quid eſt generis ejuſdem. Verum hæc rara cum ſint, ea non eſt neceſſe longiore oratione perſequi: vix enim eſt, qui nimium ſubmittat ſe; qui autem efferantur ſupra modum, plurimi, ac fere omnes: quoniam quiſque amantior eſt ſui, quam ratio poſtulat. Cæterum nemo unquam ſubmiſſione tanta interiore uti poteſt adverſus Deum, ut excedat modum: is enim habet excellentiæ infinitatem, cui reſpondere deberet hominum, ſi fieri poſſet, infinita ſubmiſſio.

CAPUT VII.

De Abſtinentia, ac Vitiis, quæ ſunt Abſtinentiæ contraria.

I. ABſtinentia apud latinos proprie eſt virtus, qua temperamus ab alienis: iccirco ait Tullius (*Orat. pro Sextio*) *poſſum multa dicere . . . . . de provinciali ejus in eo magiſtratu abſtinentia*; quæ vero in omni victu, cultuque corporis ſpectatur, & præſertim in cohibendis vetitis voluptatibus, ea dicitur continentia, aut temperantia. Nihilominus & abſtinentia videtur ad cibum referri aliquando a latinis, ut cum ait Cæſar (*lib.8. Belli Gallici num.249. p.200. Edit. Antuerp.*) *paucis diebus ſeſe cibo abſtinuit, atque ita interiit*: & Tullius (*ad Famil. lib. 7. Epiſt. 26.*) *ita ego, qui me oſtreis, & murænis facile abſtinebam, a beta etiam & malva deceptus ſum*. Et Valerio Maximo continentia, & abſtinentia nihil differre viſæ ſunt (*lib. 4. cap. 3.*) Quare nihil impedit, quominus eamdem & ipſe vim ei nomini ſubjectam velim. Sic igitur uſurpata abſtinentia eſt virtus, quæ mediocritatem tenet in uſu ciborum. Mediocritas autem, ſeu modus æſtimatur a fine, ob quem inſtituit cibum, præſcripſitque natura, hoc eſt, ad vitam ſuſtentandam, tuendamque valetudinem, & mentis officia apte obeunda. Hæc regula eſt, & omnium præceptio ſapientum (*vid. Muſonium apud Stobæum Serm. 18. de Incontinentia tom. 1.*)

II.

II. Ex quo conſequens eſt, duo eſſe cavenda in cibo. Primum, ne is appetatur propter ſe, & voluptatis tantum gratia, ſed valetudinis, & vitæ; alterum, ne plus ſumatur, quam ad finem conferat, de quo dixi: eſt enim cibus quaſi medicamentum ad famis morbum e corpore depellendum, ejuſque valetudinem conſervandam: quis autem propter ſe appetat medicinam, aut non flagitante neceſſitate? Hæc ſi teneas, futurum eſt, ut modico & vili cibo contentus ſis, & tollantur omnino, aut ſaltem extenuentur valde magnificentia & ſumptus epularum: ſatis eſt enim naturæ parum; aqua ſola ac pane ætas poteſt eſſe diuturna cum virium robore & firmitate, qualis plerumque eſt eorum, qui ſine deliciis vivunt in agris ac montibus, & duram habent, ac validam ſenectutem: *quid enim aliud*, ait Menander in Georgo (*apud Stobeum tom.* I. *Serm.* 5. *qui eſt de Temperantia*) *ad vitam requiritur, niſi duo ſola, cereris alimentum, & aquæ potus?* Et Seneca (*Epiſt.* 110.) narrat dictum illud Attali: *habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.* Seneca ipſe de victu ſuo dum loquitur, *panis deinde ſiccus*, ait (hoc eſt, ſine obſonio, ut Lipſius interpretatur) *& ſine menſa prandium, poſt quod non ſunt lavandæ manus* (*Epiſt.* 83.) uſum ſibi interdixerat dapium exquiſitarum: *oſtreis*, inquit, (*Epiſt.* 108.) *boletiſque in omnem vitam renunciatum eſt: hæc enim non cibi, ſed oblectamenta ſunt ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſe ultra quam capiunt farcientibus, facile deſcenſura, facile reditura.*

III. Quod ſi quis præterea condimentum requirat, unum eſt omnium optimum, fames. *Socratem ferunt*, ait Tullius, (*lib.* 5. *Tuſc. qq.*) *cum uſque ad veſperum contentius ambularet, quæſitumque eſſet ex eo, quare id faceret, reſpondiſſe: ſe, quo melius cœnaret, obſonare ambulando famem. Quid? victum Lacedæmoniorum in Phiditiis nonne videmus? ubi cum tyrannus cœnaviſſet Dionyſius, negavit, ſe jure illo nigro, quod cœnæ caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat: minime mirum, inquit, condimenta enim defuerunt. Quæ tandem, inquit ille? labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis: his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.* Bion ſimiliter (*apud Stobeum Serm.* 5. *qui eſt de Tempe-*

ran-

rantia) inducit ſic loquentem paupertatem: *nonne tibi obſonium neque pretioſum, neque delicatum comparo ipſam famem?* Si hoc condimentum acceſſerit, ſuavis eſt quilibet, & exquiſitus cibus. *An non ſuaviſſimus eſt cibus eſurienti?* ait rurſus Bion [*cit. loc.*] *& idem obſonio minime indiget?* Qui delicias quærunt, non eſuriunt illi quidem. *Nec eſuriens*, ſcribit Tullius [*Tuſc. qq. lib.* 5.] *Ptolemaus ederat, cui cum peragranti Ægyptum, comitibus non conſecutis, cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane jucundius.* Itaque expectandum eſt eatenus, quatenus cibi fame condiantur. *Non habet panem meus piſtor*, ſcribit Seneca (*Ep.* 123.) *ſed habet villicus, ſed habet Atrienſis, ſed habet colonus. Malum panem, inquis. Expecta, bonus fiet: etiam illum tenerum tibi, & ſiligineum fames reddet. Ideo non eſt ante edendum, quam illa imperet. Expectabo ergo: nec ante edam, quam aut bonum panem habere cœpero, aut malum faſtidire deſiero.*

IV. *Quamquam*, addit Cicero (*Tuſc. qq. lib.* 5.) *ſi quædam etiam ſuaviora natura deſideret, quam multa ex terra, arboribuſque gignuntur cum copia facili, tum ſuavitate præſtantia?* Sapiunt & herbæ & olera & fructus, quibus paſſim viæ & campi redundant: aut ſi quid aliud velis ſumere, id parcum ſit, & frugale: *menſam pretioſam fortuna apponit*, ait Democritus [*apud Stobeum tom.* 1. *Serm.* 5.) *frugalem & contentam temperantia.* Cum legati ab rege veniſſent, ut corrumperent muneribus Epaminondam, invitati ab eo ſunt ad prandium; menſa erat vilis, & vinum acidum: admirari illi, & vix rei novitatem diſſimulare. Tum ſubridens Epaminondas: *abite*, inquit, *ac regi veſtro mea prandia narrate, ut intelligat, his contentum me non facile ad proditionem allici poſſe* (*apud Stobeum cit. loc.*).

V. Sed fuerunt olim integræ gentes, quæ maximam ſequerentur temperantiam in victu. *Civitates quædam univerſæ*, ait Tullius (*lib.* 5. *Tuſc. qq.*) *more doctæ parſimoniæ delectantur, ut de Lacedæmoniis paullo ante diximus. Perſarum a Xenophonte victus exponitur, quos negat ad panem adhibere quicquam præter naſturtium*, quod hortenſis herbæ genus eſt [*vid. Plinium Nat. Hiſt. lib.* 19. *cap.* 8.] Hujus parſimoniæ teſtis eſt etiam Valerius Maximus, qui ait (*lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5.) *fuit etiam illa ſimplicitas antiquorum in cibo capiendo humani-*

nitatis ſimul, & continentiæ certiſſima index . . . . . Erant adeo continentiæ attenti, ut frequentior apud eos pultis uſus, quam panis eſſet. Accepimus, Octavium Auguſtum minimi cibi fuiſſe, & fere vulgaris: libenter enim & ſecundo pane, & caſeo veſcebatur, uvis, & ficis [*Suetonius in Auguſto cap.76.*] quemadmodum & Gordianus Junior pomis, & oleribus; cum eſſet in reliquo ciborum genere parciſſimus. [*Julius Capitolinus in Gordiano Juniore apud Salm.*] A Plinio item laudatur frugalitas Trajani in cibo capiendo. (*In panegyr. Trajani cap.49.*)

VI. Certe ab iis eſt dapibus abſtinendum, quæ ad comedendum alliciunt, etſi minime eſurias, & a potu, qui facit ut bibas, quamquam non ſitias, ut monet Socrates (*apud Plutarchum de Curioſitate*) & condimenta, ſi quæ appetas, ejus generis ſint oportet, quæ conferant ad valetudinem, ut & Platoni eſt viſum (*Dial.8. de Rep.*): ſemper enim id teneas, ad hunc finem eſſe inſtitutum cibum: ſed inter alia hoc tecum reputa, nullum eſſe ſuavius condimentum fame, quod ſemper adhibendum ſit. Cæterum quid attinet raris ac pretioſis ventrem complere, quæ ſtatim putreſcunt, olentque peſſime? *Sine faſtidio,* ait Seneca (*Epiſt.110.*) *implendus eſt* (venter). *Quid enim ad rem pertinet, quid accipiat, perditurus quicquid acceperit. Delectant te diſpoſita, quæ terra, marique capiuntur . . . . . . At mehercule iſta ſollicite ſcrutata, varieque condita, cum ſubierint ventrem, una atque eadem fœditas occupabit.*

VII. At enim ab exquiſitis cibis quædam capitur jucundiſſima delectatio: primum quidem qui hanc præcipue ſpectat in cibo capiendo, is in vitio eſt: neque enim ad delectandum inſtitutus eſt cibus, ſed ad vitam & valetudinem, ex quo eſt illud Socratis (*apud Aguir de Virt., & Vit. diſp.6. q.2. ſect. 1. num.7. & apud Muſonium in Stobæo tom.1. Serm. 18. qui eſt de Incont.*) *edendum, ut vivas, non vivendum ut edas.* Vir autem honeſtus debet id omne fugere, quod turpe eſt: poteſt quidem allici delectatione ad comedendum; nam iccirco ſuavitas data eſt dapibus a natura; ſed non comedere delactationis in primis gratia. Deinde minuti eſt animi capi voluptate epularum, quæ brevis eſt: tamdiu enim durat, quamdiu in ore eſt cibus, ex quo ſapor naſcitur; mox

vero

Digitized by Google

vero evaneſcit: iccirco, ait Epictetus [*in Man, cap.37.*] *nullius ingenii ſignum eſt, corporis ſtudio immorari, ut . . . . . edere diu, diu bibere*: quis enim, modo altiore quodam ingenio ſit, inanem conſectetur umbram aliquam voluptatis?

VIII. Hæc porro, de qua dicimus hoc loco, in victu parſimonia, ſummopere confert ad valetudinem, vitamque diuturnam: facit enim, ut id abſit a corpore, quod redundat, & quo varia morborum genera procreantur: *adde ſiccitatem*, ait Tullius (*lib. 5. Tuſc. qq.*) *quæ conſequitur hanc continentiam in victu, adde integritatem valetudinis. Confer ſudantes, ructantes, refertos epulis tamquam opimos boves; tum intelliges, qui voluptatem maxime ſequantur, eos minime conſequi*: privant enim ſe conſtante jucunditate, ne careant brevi, ut dicam: quod ſtultum eſt; cum nihil ſit corporis ſanitate jucundius. Hæc vero plurimum pendet a cibo, in quo qui modum tenent, fere ſani ſunt ac vigent, nec indigent medicina, & conſilio, atque ope medicorum: immo qui infirma utuntur, ac debili valetudine, morbi vim debilitant, aut repellunt temperantia in cibo, & vivunt diu alacres, & ad ingenii labores perferendos idonei; quodque nullo alio remedio conſequi potuerunt, id ciborum parſimonia conſequuntur.

IX. Certe eorum, qui medendi arte valent, hæc eſt uſitata præceptio, continentia in victu cum ad valetudinem recuperandam, tum ad tuendam uſque ad ultimam ſenectutem. Qui hac in re fuere continentiſſimi, eos ſcimus fere vixiſſe cum ſanos, tum diu. Ferunt quidem, Galenum ſine morbo ſola conſumptum ultima ſenectute obiiſſe anno ætatis ſuæ 140. [*apud Capaſſum in Hiſtoria Philoſophica lib.4. cap.1. & Cælium Rhodiginum Antiq. Lect. lib.30. cap.12. tom.3.*] Democritum anno 104. ut ſcribit Lucianus, aut 109. ut viſum eſt Hipparcho (*apud eumdem Capaſſum cit. loc., & Laertium lib.9. cap.7. num.11.*) Diogenem fere 90. (*Laertius lib.6. cap.2. num.11.*) ne quid dicam de Paulo, & Antonio, quorum uterque vixit in ſolitudine, & alter quidem vitam produxit ad annum uſque 113. [*Hieronymus in ejus vita tom.4. part.2.*] alter ad annum 105. (*Baronius ad an. Chriſti 253. num.114. tom.2.*) Ac videmus quotidie viros plurimos, præſertim qui religioſum inſtitutum ſectantur, ad extremam

Digitized by Google

pervenire ſenectutem, propter continentiam in victu; quamquam ætatem exercent in laboribus, & patientia animi, & corporis. Gorgias interrogatus (*apud Stobeum Serm.* 101. *de Sanit. tom.*2.) quonam uſus victus genere ad tantam veniſſet ſenectutem: nihil unquam voluptatis gratia ſe aut comediſſe, aut feciſſe dixit. Ad rem hanc id ſpectat, quod ſcribit Muſonius (*apud Stobeum Serm.*18. *de Incont. tom.*1.) *Qui communiſſimis cibis utuntur, robuſtiſſimi ſunt. Itaque ſervos dominis, agreſtes urbanis, pauperes divitibus validiores ut plurimum videas, laboribus aptiores, tardius fatigari operando, rarius ægrotare, facilius ferre frigus, æſtum, vigilias, & quicquid ejuſmodi eſt.* Atque id fit icciro, non modo quod duris rebus aſſueverint, ſed etiam quia incommoda, quæ ſunt extrinſecus, parum, aut multo levius perturbant corporis ſanitatem, cum intus humorum eſt magna concordia propter parſimoniam in victu, qui ſi ordinem tueantur, corpus valeat neceſſe eſt, quamquam a rigidiore, aut calidiore aere, aut a ventis levi quodam incommodo afficiatur, aut ab atra bili, quam μελαγχολίαν Græci vocant, aliove animi affectu paullo concitatiore, quam oporteat.

X. Eſt autem opportuniſſimus ſervandæ valetudini ſimplex cibus, ut ſcribit Macrobius (*Saturnal. lib.* 7. *cap.* 4.) nam facilius extenuatur, & uno eodemque tempore in ſuccum vertitur, nec perturbatur ordo digerendi, nec ulla fit in ſtomacho humorum quaſi pugna & concertatio. Quod ſi forte cibus hic nocet, facile eſt a damno cavere, cujus cauſa ſtatim comperta eſt: non ita cum cibus multiplex eſt; in quem enim noxa referenda ſit, ignoratur. Eam ob cauſam nemo eſt medicorum, qui non ſimplicem cibum præſcribat ægroto. Quo fit, ut inter pecudes, quæ ſimplici utuntur cibo, multo ſaniores ſint humanis corporibus. Non tamen ita religioſe in uno cibo hærendum eſt, ut alios omnes reſpuamus: fere enim poſſunt cujuſque generis dapes ſumi, ſi hoc fiat cum modo: quoniam ſæpe non cibus nocet, niſi male affectus ſit ſtomachus, ſed copia, & item varietas condimentorum. Hanc autem regulam & normam tene, ut ſemper diſcedas a menſa eſuriens quodammodo, nunquam plenus, quod obſervatum eſt a Galeno in omni vita (*apud Capaſſum in Hiſt. Philoſ. lib.* 4. *cap.* 1. & *Cæ-*

lium

Digitized by Google

lium Rhodiginum Antiquar. Lect. l. 30. cap. 12. tom. 3.)

XI. Hic in cibo capiendo modus non ſolum confert ad valetudinem, ſed multas alias habet opportunitates: nam valet ad continendam, comprimendamque cupiditatem, ad decus retinendum præſtantiſſimum caſtitatis, ad memoriam, ad vim, atque acumen ingenii, ad contemplationem rerum divinarum: idcirco maxime commendatur jejunium a ſapientibus, in quo etiam virtus ineſt maxima ad malefacta punienda vitæ ſuperioris.

XII. Vitium, quod nimium eſt, continentiæ in cibo contrarium, dicitur gula, accepto nomine ab ea via, per quam illabuntur dapes ex ore in ſtomachum. Eſt autem gula, aut ingluvies immoderatum quoddam ſtudium cibi capiendi; in quo peccari poteſt non uno modo. Primum peccat is, qui nimia ciborum copia ſe ingurgitat, ventremque complet: tum qui exquiſitiſſimis epulis delectatur, ac raro condimentorum genere, & expenſas facit, quas neque cenſus ferunt, nec vitæ conditio: mox qui tempus non obſervat opportunum ad comedendum, ſed antevertit ſollicitus prius de ventre complendo, quam alia negocia gerat, quamquam gravia: deinde qui inurbana quadam aviditate cibum vorat, non dentibus tantum, ſed & oculis, dapeſque omnes intuetur, & circumſpectat attentius, tantaque edit celeritate, ut in metu videatur eſſe, ne fugiant, niſi arripiantur, ac celerrime recondantur in gurgite, præſertim quæ ſint ad immenſam gulam magis accommodatæ. Hunc quidem impurum helluonem videas utraque manu rem agere, in eamque non modo ſenſus intendere, ſed & mentis vim omnem. Callidior eſt eorum aviditas, qui, ut delicatius nutriantur, fingunt, ſe aut ſtomachi infirmitate, aut alio morbi genere laborare; qualis erat verſutus ille (*apud Martial. Epigr. lib. 2. Epigr. 34.*)

Uri Tongilius male dicitur hemitritæo:
Novi hominis mores, eſurit, atque ſitit.
Subdula tenduntur craſſis modo retia turdis,
Hamus & in mullum mittitur, atque lupum.
Cæcuba ſiccentur, quæque annus coxit Opimi,
Condantur parco fuſca Falerna vitro.
Omnes Tongilium medici juſſere lavari:
O ſtulti! febrem creditis eſſe? gula eſt.

Po-

Poſtremo in cibo is peccat, qui alienas menſas ſequitur, atque edendi gratia aſſentatur, ejuſque, a quo ſperat, ſe voti compotem fore, facta, ac dicta laudat omnia, nihil repugnat, nihil ventris cauſa facere recuſat; quales erant olim Paraſiti, quorum unum ita deſcribit Terentius (*in Eunucho act.2. ſcen.2.*)

Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector; hiſce ego non paro me, ut rideant,
Sed his ultro arrideo; & eorum ingenia admiror ſimul:
Quicquid dicunt, laudo; id rurſus ſi negant, laudo id quoque:
Tum vero quam hæc ars utilis ſit, oſtendit:
Dum hæc loquimur, interea loci, ad macellum ubi venimus,
Concurrunt læti mi obviam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores, aucupes;
Quibus & re ſalva, & perdita profueram, & proſum ſæpe:
Salutant, ad cœnam vocant, adventum gratulantur.

Nec vero improbi aſſentatores, & ſcurræ blandis tantum obſequiis ſolent cœnam, aut prandium emere, ſed turpiſſimis etiam miniſteriis, & dulciorem quamdam eſcam libertati, honeſtatique præferre, cum melius ſit omnino vili pane victitare ſine dedecore. Diogenes aliquando beras abluebat cœnæ gratia, hunc cum vidiſſet Plato, ſubmiſſa voce ait: *Si Dionyſium coluiſſes, olera profecto non laviſſes: cui ille: & tu ſi olera laviſſes, Dionyſium non coluiſſes* (*Laertius lib.6. cap. 2. num.6.*)

XIII. Plures ex his modis, quibus peccari ſolet in ſumendo cibo, deſcribit etiam Muſonius (*apud Stobeum Serm. 18. de Incont. tom.1.*) *Praterea*, inquit, *quoties cibum ſumimus, multis peccandi modis occaſio datur: nam & qui nimium edit, peccat, & qui feſtinantius, nihilo minus; & qui obſonio ultra decorum ſe inquinat, & qui ſuaviora ſalubrioribus anteponit, & qui ſodalibus non æquam partem relinquit. Item*

qui

qui non ſuo tempore comedit, is quoque peccat; cum, aliis antevortundis relictis, ad epulas ſe converterit.

XIV. Eam ob rem monet Muſonius, ut cum in tot errores labi & peccata poſſit is, qui epulatur, ab illis ſtudeat cavere vigilantius, iccircoque cibum capiat non delectandi corporis, ſed alendi, roborandique gratia, & non ut gulæ, ſed valetudini & incolumitati morem gerat, ad quem finem eſſe a Deo inſtitutum cibum, non ad delicias, ex eo efficit, quod cum in ſtomachum delapſus eſt, ubi diutius manet, cum in ore brevi tempore retineatur, nullam parit voluptatem, ſed nutrit tantum, conſulitque virium imbecillitati. Delectaret autem etiam incluſus in ſtomacho, ſi iccirco eſſet a natura datus. Quot modis peccari poſſit in uſu ciborum, hactenus dictum eſt; nunc quæ ſint gulæ effecta, paucis exponam.

XV. Primum intemperantia in victu nocet maxime valetudini, & vitæ, ut communis eſt ſententia medicorum, & experientia confirmat: hinc enim omnes fere morbi exiſtunt, quibus corpora confligantur. Eorum plurimos deſcribit Hoffmannus (*in opuſc. Medicis diſſ.4. de dietæ vitio*) qui (*num.*5.) ait, non minus acute, quam facete intemperantiam nutricem dictam eſſe medicorum: illa enim ſublata, ars medica vix ali poſſet, ac vivere. Exquiſitæ dapes, ac tam varium, & multiplex condimentorum & obſoniorum genus, & ars quædam excellens parandarum epularum ad voluptatem, atque harum redundans copia ſenſim corpus debilitant, & vires frangunt, morboſque ac mortem afferunt: quoniam vitiant ſanguinem, ejuſque motum perturbant; cum impedimento ſint, quominus concoquatur alimentum, imminuaturque, ut oportet, iccircoque id ſecernatur, quod ſit aptum ad nutriendum. A coquis fere, qui tamen magnis impenſis & advocantur, & retinentur, elaborari ſolent tardiora venena, quibus principes interdum viros interiiſſe vulgo creditum eſt. *Innumerabiles*, ait Seneca (*Ep.*95.) *eſſe morbos miraris? coquos numera. Ceſſat omne ſtudium, & liberalia profeſſi ſine ulla frequentia deſertis angulis præſident. In rhetorum, ac philoſophorum ſcholis ſolitudo eſt: at quam celebres culinæ ſunt, quanta circa nepotum focos juventus premit?*

XVI.

XVI. Ex multiplici cibo, ac nimio vix fieri poteſt, non gigni in ſtomacho cruditates, ac morbos non innaſci in corpore: *Diogenes dicebat (apud Stobeum ſerm.6. de Intemperantia tom.1.) earum domorum, in quibus copia alimenti, multos eſſe mures, ac feles: ſic etiam corpora, quæ multum cibi capiant, morbos quoque pares aſciſcere*. Quod & ſcribit Horatius [*Satyr. lib. 2. Sat.2.*]

Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaque ſecum
Afferat: in primis valeas bene: nam, variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna de ſurgat dubia?

Quo efficitur, id verum eſſe, quod eſt in veteri proverbio: *plures occidit gula, quam enſis*, & illud item Theognidis (*apud Stobeum ſerm.18. de Incont. tom.1.*) *multo plures perdidit ſatietas, quam fames*.

XVII. Cur ergo tam multa ſunt a Deo hominum vitæ alendæ cauſa condita ac parata, ſi libere his uti non licet? Hoc quidem lepidum. Num quia multa ſunt data, vorare oportet, aut decet omnia? ut qui vocatus ad epulum, quicquid in menſa eſt, abſorbere velit, propterea quod eſt appoſitum? Deus quidem optimus, idemque magnificus, & liberalis vario apparatu menſam ſtruit hominibus, ſed ut cibum quiſque ſumat cum modo ad uſum, commoditatemque vitæ, & ad honeſtam oblectationem aliquando, ut tempus, & ratio poſtulat, non ut detrimentum afferat valetudini, ac paratis dapibus utatur intemperantius.

XVIII. Verum ſunt, qui cum in ætatis flore verſentur, ac robore juventutis, firmaque valetudine utantur, indulgentius obſequuntur importunæ ac petulanti gulæ, nec unquam putant fore, ut morbis afficiantur, aut morte: imprudentes hi quidem: quoniam non provident in poſterum, nec intelligunt, corpus quantumvis firmum paulatim effœtum fieri & contabeſcere propter intemperantiam: immo

quan-

quanto validius eſt, eo graviori ſæpe, ac ſubito morbo corripi. Qui ſapit, medicos is certe colit, ſed tamen curat maxime, ne eorum opera uti debeat ægrotationis cauſa, præſertim ſponte ſuſceptæ propter brevem voluptatem, quam efficit vel ciborum ſuavitas, vel artificium; vel copia: eſt enim ſtultum medicos adhibere ad reparandam, tuendamve valetudinem, tum vero id facere, quo ei pernicies, aut incommodum pariatur. Hanc ob cauſam Diogenes Cinicus [*apud Laertium lib.6 cap.2.*] *ſtomachabatur eis, qui pro bona valetudine ſacra facerent, inter ſacrificandum contra ſanitatem cœnarent*, aſſerens (*apud Patritium de Inſtit. Reip. lib.5. tit.8.*) inſanum eſſe ea a Diis precari, quæ in noſtra ſunt poteſtate. Expediet igitur convivia vitare, in quibus modum tenere difficile eſt; quod ſi quando cauſa incidat, ut his interſis, ne quid facias contra decorum, cave; ac ſi aliquanto plus ſumpſeris, quam oporteat, tum eatenus a cibo tempera, quatenus exhauſtum ſit, quod redundat.

XIX. Cæterum exquiſito cibo, & arte præparato a viro bono præferendus eſt vulgaris ac tenuis; quamquam æque uterque prodeſſet corporis valetudini, ut Muſonius monet (*apud Stobeum ſerm. 18. de Incontin. tom. 1.*) *etiamſi autem*, inquit, *ex æquo tum pretioſus, tum vulgaris victus corporis robur augerent; nihilominus vulgarem præferre conveniret, ut qui magis ſobrius ſit, magiſque bonum virum deceat, ſicut & parabilis difficili paratu, & ſimplex elaborato & exquiſito, qui in promptu eſt ingenuis probiſque viris eligibilior eſt*. Verum eorum, qui non delinquant in gula, mira quædam eſt paucitas. Hoc vitium familiare eſt in primis pueris & adoleſcentibus, quippequi magna edendi aviditate, voluptateque capiuntur, ut belluæ; neque quid futurum ſit proſpiciunt, modo præſentem illam ſentiant titillantem ſuavitatem. Quapropter eos multo cautiores oportet eſſe, ne aut miſere vivant, aut immatura morte rapiantur, &, quam illud verum ſit, oſtendant, qui plus edunt, eoſdem minus edere.

XX. Deinde gula non modo ſummopere nocet corporis ſanitati, ſed etiam quaſi gurges abſorbet omnem rem familiarem, & opes licet amplas exhaurit: neque enim unquam contenta eſt, quo plus acceperit, eo plus flagitat exquiſitiſ-

Digitized by Google

ſimarum epularum; & cum expenſæ quotidianæ ſint, neque his cenſus pares, neceſſe eſt brevi everti domum, ac tandem in ſumma inopia, atque egeſtate verſari. *Majus ſtudium*, inquit Muſonius (*apud Stobeum ſerm.* 18. *de Incont. tom.*1.) *coquis, quam agricolis impenditur. Aliqui tota prædia in conviviorum apparatu conſumunt.* Apicius Romanus, omnium helluonum maximus, qui Senecæ ætate vixit, cum ex ſextertio millies, quod in ventrem demerſerat, centies tantum ſibi ſupereſſe cognoviſſet, ſumpto veneno, diſceſſit e vita. (*Seneca in Conſolat. ad Helviam cap.*10.) (Sextertium millies ſunt vicies centena millia nummum aureorum cum ducentis quinquaginta millibus) Si opus ſit, venditur etiam ſupellex domeſtica gulæ gratia, aut datur pignori, tum vero hac etiam conſumpta, vile aliquid, aut turpe faciendum eſt, ut vitæ neceſſitati ſubveniri poſſit, ut ſcribit Juvenalis (*Satyr.*11.)

Interea guſtus elementa per omnia quærunt,
Nunquam animo pretiis obſtantibus: interius ſi
Attendas, magis illa juvant, quæ pluris emuntur.
Ergo haud difficile eſt, perituram arceſſere ſummam,
Lancibus oppoſitis, & matris imagine fracta,
Et quadringentis nummis condire guloſum
Fictile; ſic veniunt ad Miſcellanea ludi.

Facete Diogenes, cum intemperantis cujuſdam domui inſcriptum vidiſſet: *Venalis: ſciebam*, inquit, *quod præ nimia crapula facile dominum evomeres.* (*Laertius lib.*2. *cap.*1. *num.* 6. & *Patritius de Reſp. Inſt. lib.*5. *tit.*8.) Ut frugalitas & parſimonia in victu multas domos locupletavit, immo & civitates; ita gula plures perdidit, redegitque ad miſeram egeſtatem; præſertim cum hujus vitii furor non remittatur progrediente tempore, ſed invaleſcat: *vitium ventris*, & *gutturis*, ait Tullius (*orat. pro M. Cælio*) *non modo non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget.*

XXI. Quamquam vero pecunia gulæ aviditati ſufficeret; num in re tam turpi atque abjecta eam collocare ſapientis eſt? Horatius (*Satyr. lib.* 2. *Sat.*2.) homini locupleti, qui, ut ſe purget gulæ vitio, ait:

Ego

. . . . Ego vectigalia magna,
Divitiaſque habeo tribus amplas regibus:

apte reſpondet:

. . . . Ergo
Quod ſuperat, non eſt, melius quo inſumere poſſis?
Cur eget indignus quiſquam te divite? quare
Templa ruunt antiqua Deûm? Cur improbe, caræ
Non aliquid patriæ tanto emetiris acervo?

XXII. Quid quod nulla eſt tanta divitiarum copia, quæ adverſo quodam fortunæ flatu diſperdi & diſſipari non poſſit? tum minus ſenties calamitatem & caſum, ſi vulgari cibo uti aſſueveris: quare pergit Horatius (*cit. loc.*)

Uni nimirum recte tibi ſemper erunt res?
O magnus poſthac inimicis riſus! uterne
Ad caſus dubios fidet ſibi certius: hic, qui
Pluribus aſſuerit mentem, corpuſque ſuperbum,
An qui contentus parvo, metuenſque futuri
In pace, ut ſapiens, aptarit idonea bello?
Quo magis his credas: puer hunc ego parvus Ofellum
Integris opibus novi non latius uſum,
Quam nunc acciſis. Videas metato in agello
Cum pecore, & gnatis, fortem mercede colonum,
Non ego, narrantem, temere edi luce profeſta
Quidquam, præter olus, fumoſæ cum pede pernæ.
Ac mihi cum longum poſt tempus venerat hoſpes
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus, bene erat non piſcibus urbe petitis;
Sed pullo, atque hædo: tum penſilis uva ſecundas,
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.

Ex quibus vides, parvis expenſis, & ſine detrimento rei familiaris, & cenſus ea parari poſſe, quæ ſufficiunt naturæ: *neceſſaria tibi*, ait Seneca (*Ep.* 110.) *ubique occurrent: ſupervacua, & ſemper, & toto animo quærenda ſunt:* grata ſunt autem & vulgaria eſurienti, ut ſupra dixi, & ſcribit Horatius (*Satyr. lib.* 2. *Sat.* 2.)

Jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.

XXIII. Præterea gula & intemperantia in victu perdit ingenium, & eſt inimica memoriæ: offunditur enim menti quaſi nubes propter copiam ciborum, & torpet ea vis, qua rerum formæ in cerebrum deducuntur, ut præſentes ſint animo, & adminiſtri, quibus ipſe utitur ad intelligendum, tardi ſunt, non celeres & expediti: ex quo etiam naſcitur inertia, & ſopor, & ad ocium, oblectationemque propenſio, præſertim ſi pinguior accedat quædam corporis conformatio, & lentitudo naturæ. Quocirca ſi adoleſcentes gulæ dediti ſint, quamquam excellant ingenii bonitate, & facilitate diſcendi; inepti tamen efficiuntur ad ſtudia literarum; omniſque eorum & eloquentia, & philoſophia in popina eſt: his enim grata eſt ars una cibaria; reliquæ artes & diſciplinæ moleſtæ ſunt. Itaque mirum eſt, Leonem Byſantium præpinguem hominem, ut ex Suida (*v. Leo Byſantius*) & Capaſſo (*in Append. ad Hiſt. Phil. lib. 4. cap. 14. verbo eodem*) intelligi poteſt, non mediocriter in philoſophia profeciſſe, magiſtro Platone.

XXIV. Tandem gulæ vitio morum probitas inquinatur, & virtutum omnium ſplendor obruitur; quoniam pabulum ſubminiſtratur inſanis cupiditatibus, quæ in rationem incurrunt violento ac cæco impetu, eamque proſternunt, ut ſcribit Horatius (*Satyr. lib. 2. Sat. 2.*)

. . . . Quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una;
Atque affigit humo divinam particulam auræ.

Eſt præclara epiſtola (Tullius lib. 5. Tuſc. qq.) Platonis ad Dionis propinquos, in qua ſcriptum eſt his fere verbis: quo cum veniſſem, vita illa beata, quæ ferebatur, plena Italicarum, Syracuſanarumque menſarum, nullo modo mihi placuit bis in die ſaturum fieri, nec unquam pernoctare ſolum, cæteraque, quæ comitantur huic vitæ, in qua ſapiens nemo efficitur unquam, moderatus vero multo minus. Quæ enim natura tam mirabiliter temperari poteſt? Quomodo igitur jucunda vita poteſt eſſe, a qua abſit prudentia? abſit moderatio?

XXV.

XXV. Eam ob cauſam præcipit Epictetus, fugienda eſſe convivia, ne mores contaminentur: *convivia extranea*, inquit (*in Man. cap.* 30. *num.* 5.) *& vulgaria reſpue. Quod ſi quando tempus incidat, attentio tibi excitetur, ne in vulgarem ſtatum prolabaris: ſcias enim, ſi ſocius pollutus fuerit, etiam converſantem cum eo pollui neceſſe eſſe, quamvis hic purus fuerit.* Et Diogenes Cynicus, *Adoleſcenti ad convivium eunti, deterior*, inquit, *remeabis.* (*apud Laertium lib.*6. *cap.* 2. *num.*6.) ex gula enim, & crapula plura peccata naſcuntur, ut inſolens quædam, & inepta lætitia, ſcurrilis ſermo ac mimicus, loquacitas, & garriendi libido, etiam cum aliorum injuria, quos ſolent gulæ dediti proſcindere maledictis, ut ille apud Horatium [*Epiſt. lib.*1. *Ep.*15.]

Mænius, ut rebus maternis, atque paternis
Fortiter abſumptis, urbanus cœpit haberi:
Scurra vagus, non qui certum præſepe teneret;
Impranſus non qui civem diſgnoſceret hoſte;
Quælibet in quemvis opprobria fingere ſævus,
Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli,
Quicquid quæſierat, ventri donabat avaro.

Nec ſecus alter (*apud Martialem Epigr. lib.*9. *Epigr.*7.)

Cœnes, Canthare, cum foris libenter;
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces, monemus:
Liber non potes, & guloſus eſſe.

XXVI. Sed in primis immoderatas dapes ſequitur incontinentia: corpus enim, quaſi ferocior bellua, tum maxime repugnat dominanti rationi, ejuſque frenum mordet ac reſpuit, cum bene paſtum eſt. Ratio quidem evadit infirmior, nec ſatis videt, quid faciat quaſi caligine circumſepta; corpus autem fit validius ad oppugnandum. Utri melius ſit arma dare, ſapiens quiſque judicet. *Inter epulandum*, ait Epictetus (*apud Stobeum ſerm.*5. *de Temperantia tom.*1.) *conſidera, duos tibi excipiendos convivas, corpus, & animam.*

Tum

Tum quod omne in corpus collatum, ſtatim rurſum effluxurum ſit; quod autem in animam, perpetuo ſervandum.

XXVII. Sed tanta eſt gulæ turpitudo, ut hominem efficiat ſimillimum belluarum: quid enim eſt harum proprium? edere, & corpori ſatisfacere, ſi poſſint: cum ſus plenus eſt, jam tenet propoſitam ſibi felicitatem. Eodem modo ganeones iſti ſummum bonum arbitrantur eſſe in cibo, & dapibus, in quas cogitationes omnes intendunt, induſtriam & curam, ventri obſequentes quaſi Deo, & immolantes, ut ita dicam, victimas, ut Cyclops ille [*apud Euripidem in Cyclope prope med.*]

Nulli macto, præterquam mihi (non Diis)
Et ventri huic, qui maximus eſt Deorum.

Quamobrem & Ergaſilus paraſitus jurat per ſaturitatem (*Plautus in Capteivei act. 4. ſcen. 2.*)

Ita me amabit, inquit, *ſancta ſaturitas*,
Hegio, itaque ſuo me ſemper condecoret cognomine.

Jusjurandum paraſito dignum: nam ſaturitas edaci omnium Deorum, Dearumque inſtar eſt. Quæ igitur beſtia ſit tam immanis ac fera, cui is non merito comparetur? *Ventri obedientes*, ſcribit Seneca (*Ep.60.*) *animalium loco numeremus, non hominum*. Muſonius item [*apud Stobeum ſerm.18. de Incont. tom.1.*] *cum modi exceſſus*, inquit, *nulla non in re vitioſus ſit, hac parte profecto maxime ſuam naturam prodit, liguritores, & belluones ex hominibus in ſues, aut canes quoad ingluviem transformans, omnis honeſtatis in geſtibus, viſu, eſuque oblitos. Tantam ipſis inſaniam cupediarum amor gignit. Quid autem turpius, quam ita ſe præſtare circa victum, ut bruti potius animalis, quam prudentis hominis imago ſit.*

XXVIII. Immo qui gulæ obſequitur, is belluis eſt multo deterior: primum quod illæ vix excedunt modum in cibo capiendo, & vulgari contentæ ſunt: *quicquid obvium eſt*, ait Tullius (*Tuſc. qq. lib.5.*) *quod modo a natura non ſit alienum, eo contentæ non quærunt amplius*. Deinde in beſtiis vitium non eſt aviditas comedendi, ſed virtus quædam naturæ: ita-

itaque non vituperantur, propterea quod voraces ſint, contra laudantur: conſtant enim non mente, ſed tantum vivente corpore, cujus bonum quæritur a potu, & cibo. Homo autem non tenet modum in epulis: *quid ergo*, ait Seneca (*Ep.60.*) *tam inſatiabilem nobis natura alvum dedit, cum tam modica corpora dediſſet, ut vaſtiſſimorum, edaciſſimorumque animalium aviditatem vinceremus?* Tum edax homo diviniſſimam mentem, cujus pabulum eſt honeſtas, & contemplatio, quaſi mancipium corporis imperio & poteſtati ſubiicit; hæc autem non modo ſumma turpitudo eſt, ſed etiam inſania, & furor.

XXIX. Vitium, quod parum eſt, abſtinentiæ contrarium caret nomine: dici poteſt immoderata, atque inſolens inedia, qua vires ita debilitantur, ut damnum inferatur valetudini, & vitæ, & mens fiat minus idonea ſuis obeundis muneribus propter corporis imbecillitatem. Id quidem eſt contra naturam, quæ præſcribit cuique, ut vitam ſuam corpuſque tueatur. Nihilominus licet præſtantioris boni cauſa corpus paullo durius affligere jejunio & inedia, ad ejus comprimendam temeritatem: præſtat enim male habere corpus, quam animum. Quocirca ſanctos viros tam adverſarios fuiſſe conſtat corpori ſuo, ut contra infeſtiſſimum, acerrimumque hoſtem bellum gerere viderentur; & revera nullus eſt hoſtis eo capitalior; nam fere animum præcipitat, & in vitiorum gurgitem, calamitatumque demergit: igitur ei morem gerere, & delicias parare, inſipientis eſt: quis enim ſanæ mentis inſtrumenta præbeat inimico ad nocendum?

CA-

CAPUT VIII.

De Sobrietate, ac de Vitiis, quæ ſunt Sobrietati contraria.

I. Ut abſtinentia virtus eſt, quæ modum tenet in cibis; ita in vini uſu ſobrietas. Bona autem valetudo, & mentis ingeniique vis expedita regula eſt mediocritatis, quam ſerves in cibo; eodem modo & ejus, quæ in potu retinenda eſt: propterea quod ad eumdem finem cum eſculenta, tum poculenta referuntur. Atqui ſæpe contingit, ut ad tuendam ſanitatem aut nihil vini adhiberi oporteat, aut parum: hauſtum enim non prodeſt, ſed nocet,

II. In primis ejus uſu interdicendos omnino eſſe pueros, Galenus jubet (*tom.2. lib.1. de tuenda Sanit. cap.11.*) & adoleſcentes Plato ante elapſum decimum octavum ætatis annum (*dial.2. de Leg.*) quod & Senecæ viſum eſt (*lib.2. de Ira cap.20*) tum quia igni ignem addere, non eſt conſentaneum; tum quia inde ſæpe conſequitur ægrotatio. Fit etiam ſanguinis natura compactior, quæ ingenii procreat tarditatem, & impedit vim memoriæ. Itaque eſt adoleſcentibus aqua ſalutaris, immo fere cuique; cum enim ſit potus a natura datus, eſt omnium optimus: verum nos opinione vulgi, cui ea videntur meliora, quæ rara ſunt, rapimur in errorem. Præterea, quæ in vino ineſt, illecebra voluptatis nos allicit ad bibendum, induitque, ut credamus, id bonum eſſe, quod placet.

III. Cæterum patres ii, qui propius abfuerunt a mundi ortu, aqua tantum uſi ſunt ad potum uſque ad Noachi ætatem: is enim manu ſua vineam ſevit omnium primus (*Gen. cap.9. v. 20.*) & muſtum ex uvis expreſſum cum hauſiſſet largius, imprudens incidit in ebrietatem [*vid. Natalem ab Alex. in 2. mundi ætatem diſſ.3. tom. 1.*] quamquam alios fuiſſe vini inventores aut narrent hiſtorici, aut poetæ fabulentur (*vid. Diodorum Siculum lib. 4. cap. 2. & Polydor.*

Vir-

Virgilium de rer. Invent. lib. 3. cap. 3.) Aquæ potum fuiſſe primis hominibus uſitatum, etiam Tibullus indicat (*lib. 2. Eleg. 3.*)

Glans alat, & priſco more bibantur aquæ.

Eorum tamen fuit & firma valetudo, & vita diuturnior. Qui ſapientes habiti ſunt apud Indos, & βραχμανὲς dicti, abſtinebant a vino; atque Americani ſimiliter, priuſquam illuc pervaderent Europæi, cum viverent & ſani quidem, & diu; idemque Ægyptiis evenit, qui Nili aquam adhibebant ad bibendum. Memoriæ proditum eſt (*apud Hoffmannum Diſſ. 2. de Diætetica S. Script. medicina num. 22.*) fuiſſe aliquem, qui integris adhuc dentibus ætatem produceret ſuam ad annum 120., atque id in aquæ potum referendum putaſſe.

IV. Nec vero aqua obtundit ingenium, ſed acuit. Andreas Tiraquellus, qui jurisprudentiæ laude floruit, ſola aqua uſus eſt, ut ferunt, & ſenex obiit (*Hoffmannus cit. loc.*) Nec ſecus Demoſthenes, qui in eloquentia concedit Græcorum nemini (*Hoffmannus in notis ad cap. 4. de ſtudiis per regulas Diæteticas facilitandis Diſſ. 18.*) aliique literati viri non pauci: nam aqua ad mentis acumen, alacritatemque aptiſſima eſt, quippe quæ ad corporis ſanitatem, & humorum temperationem confert plurimum: valet enim mirum in modum ad molliendum, extenuandum ac digerendum cibum, eliiciendumque ſuccum ex alimentis, quem ad interiores partes defert conſervandi animalis, nutriendique gratia: quoniam tenuis cum ſit, facile vias ſubit, quæ patent in corpore; lenit ſanguinem, cum omnis expers ſit acrimoniæ, & facilius fluentem facit, ſed non incitatius: calorem enim minuit, igneaſque particulas, atque atram retundit bilem, & quæ nimium redundant ſulphure ac ſale, ea depellit e corpore: dentibus cum album colorem impertit, tum firmitatem. Quamobrem habetur medicina quædam late patens, qua corpus a morbis vindicemus ac tueamur (*vid. Smithium de virtute medica aquæ communis.*)

V. Atque hæc eſt omnium, qui medicam artem profitentur, in eaque excellunt, una ſententia, & præſertim Hoffmanni [*Diſſ. 2. de Diætetica S. Script. medicina num. 22.*

& Diſſ.18. de ſtudiis per regulas diæteticas facilitandis cap.4.] & Franciſci Rhedii multis in locis (*Conſultat. Medic.*) ubi de Arirtride, ſeu reumatiſmo diſputat [*Operum tom. 7. Edit. Florent. an. 1729. p.20. & in Ep. ad Dominicum Davidem tom.1. Ep.p.* 302.) qui ſcribit, nuſquam homines uti vino in terris, præterquamquod in Europa, neque in hac ubique eodem modo; cum tamen omnes incolumes vivant, & fortè diutius, quam Europæi, & præſertim Itali, qui vino abundant; ridetque eos Rhedius, qui putant, ab aqua gigni in ſtomacho cruditatem: aqua enim ſtomachus multo roboratur magis, quam vino. Et quidem ii ſunt viribus ac robore valentiores, qui aquam, quam qui vinum adhibent ad bibendum, integros fere habent ſenſus, ac vegetos, oculorumque aciem acriorem, & appetentiores ſunt cibi propter repurgatum alvum; ex quo etiam robur naſcitur. Quantæ ſint animalium, quæ aquam bibunt, & quam robuſtæ vires ac firmæ, videmus. Itaque jure ſcriptum eſt ab Athenæo [*lib. 1. cap. 2. num.* 10.] oportere eos, qui ſanitati ſtudent, aquam bibere tamquam ſummopere utilem ac ſalutarem. Sed qui vino delectantur, hæc vera eſſe, ii aut non credunt, aut nolunt credere capti potus voluptate: quamquam & aqua delectat ſitientem; *Darius in fuga*, ut auctor eſt Tullius [*Tuſc. qq. lib.* 5.] *cum aquam turbidam, & cadaveribus inquinatam bibiſſet, negavit, unquam ſe bibiſſe jucundius. Nunquam videlicet ſitiens biberat.* Prodeſt autem aquæ potus iis maxime, qui ferventiore ingenio ſunt, & atram bilem, acrioreſque humores habent infuſos in corpore, & quamdam ſanguinis affluentiam (*Hoffmannus Diſſ.18. de ſtudiis per regulas diæteticas facilitandis cap.4.*)

VI. Aqua item calida interdum opportuniſſima eſt ſanitati: extenuat enim facilius humores ac ſanguinem, eoſque purgat, & aptiores facit ad motum, ad vigilias, ad officia, quæ mentis ſunt, intelligentiæque propria, præſertim ſi ſalutari herbarum genere, aut vino modico ſit temperata quodammodo: iccirco potus aquæ calidus in deliciis olim fuit & Romanis, & Græcis [*vid. Athenæus lib.3. cap.21.*] Huc ſpectat, ut puto, quod ait Horatius (*lib.3. Od.19.*)

quis

. . . *quis aquam temperat ignibus :*
Quo præbente domum , & quota
Pelignis caream frigoribus , taces .

VII. Non tamen nego, etiam vini potum cum modo pro varietate temporum, & perſonarum prodeſſe aliquando: eſt enim quaſi medicina a natura datum ad vires corporis proſtratas jacenteſque erigendas, ac debiles roborandas: calorem auget, qui deferbuerit: unde ſpiritus majorem capiunt alacritatem & motum. Quamobrem corpus tuetur a morbis, qui a frigore pariuntur; & moderate hauſtum prodeſſe iis ſolet, quibus humidior eſt, frigidiorque corporis conſtitutio, & præſertim ſenibus ad ſuſtentandam collabentem, & invalidam ſenectutem, & impediendum, quominus calor plus remittatur, quam oporteat. Sed curandum, ut vinum ſit optimum, quoad fieri poteſt, tenendumque hoc eſt, illud medicinam potius eſſe, quam hominum communem & uſitatum potum: qui enim ſecum ita reputet, id conſequetur, ut, niſi utilitate, aut neceſſitate flagitante, nolit vinum ſumere, iccircoque valetudini conſulat ſuæ, & mentis tranquillitati; immo etiam innocentiæ ac probitati morum: valet enim multum ſobrietas ad animi quietem, ad continentiam, ad vigilantiam, ad cautionem, qua declinemus a ſcelere, & vitia fugiamus, perficiamuſque ea, quæ noſtri muneris eſſe videantur: quamobrem neceſſaria eſt omnibus, ſed adoleſcentibus in primis, ut dixi, tum iis, qui familiam adminiſtrant, aut gerunt magiſtratum, & præſunt communitati (*vid. Platonem dial.2. de Leg.*) ſenibus etiam, ut ratione vigeant ad alios erudiendos expedita.

VIII. Neque vero moleſtum eſt, ſed jucundum ſobrie vivere: nam bona valetudo eſt omnibus, quæ ex intemperantia, aliove vitio capiantur, voluptatibus præferenda. Hanc conſequuntur ſenſus integri, firma memoria, prudens judicium in literatis præſertim viris, & rationis vis major, atque ſolertia uſque ad ultimam ſenectutem, quæ, cum ſobrie acta vita eſt, non effœta, non enervata, non afflicta, non triſtis, ſed florens quodammodo, operoſa, ſemper agens aliquid, ac læta eſt, qualem accepimus fuiſſe Socratis, Platonis, Iſocratis, Sophoclis, Q. Maximi, L. Pauli, Fabritii,

Digitized by Google

Curii, Coruncani, Sexti Ælii, P. Craſſi, Lucii Æmilii, P. Africani, Catonis, Cyri, Maſſiniſſæ, de quibus meminit Tullius [*de Seneƈt.*) nam, ut ſcriptum eſt ab eodem Tullio [*eodem in loc.*] *ipſa defeƈtio virium adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quam ſeneƈtutis : libidinoſa etenim, & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſeneƈtuti;* cum temperantia & ſobrietas etiam in ea ætate conſervet multum priſtini roboris. Aloyſius quidem Cornarus Venetus, qui præclarum quoddam opuſculum ſcripſit de ſobrietate, annum natus oƈtogeſimum primum, & rurſus de eadem ætatis ſuæ anno oƈtogeſimoſexto, & tandem anno nonageſimo quinto, affirmat, ſe licet infirmum natura, incolumem tamen adhuc in hac ultima ſeneƈtute, & alacrem fuiſſe propter ſobrietatem, & appetentem cibi; ingenio, memoria, mente, ac ſenſibus valuiſſe, ac dentibus, atque ita voce, ut ad cantum incitaretur, ac ſimiliter, cum ſomnus eſſet capiendus, placide quieviſſe; ac ea narrat, tum quæ in ſuam, tum quæ in reipublicæ utilitatem geſſerit magno animo, ac ſumma cum voluptate, ne quis tamquam moleſtam, & gravem, & inertem accuſet, & difficilem ſeneƈtutem, quæ quidem mirificos affert fruƈtus virtutis præſertim, ac ſapientiæ, cum ſobrie ac bene aƈta eſt ætas vitæ ſuperioris: *non enim viribus*, ut ſcribit Tullius (*de Seneƈt.*) *aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, & auƈtoritate, & ſententia; quibus non modo non orbari, ſed etiam augeri ſeneƈtus ſolet.* Habemus eorum præclara opera, qui ſenes ſe contulerint ad ſcribendum. Cornarus quidem annum natus tertium & oƈtogeſimum comœdiam ſcripſit plenam ſalium, & facetiarum, ut & Sophocles ad ſummam ſeneƈtutem tragœdias fecit [*apud Tullium de Seneƈt.*] Quis ſanus putet, has voluptates; aliaſque plures, quas ſobrietas parit in omni vita, cum ea commutandas eſſe, tam brevi & inani, quæ ex potu capiatur? tum enim vinum deleƈtat, cum hauritur: hoc autem quam leve eſt? Sed veniamus ad vitia contraria.

IX. Vitium, quod nimium eſt, ſobrietati contrarium ebrietas dicitur a bria, quæ vas eſt vinarium. Hac voce uſus eſt Arnobius [*lib. 7. num.* 23.] *Date, quæſo, immortalibus Diis bibant, ſcyphos, brias, pateras; ſympiniaque depromite.* Quidam dicunt ebriam pro bria (*apud Voſſium Etymol. v. Ebrius*)

Ex

Ex quo nuncupatus eſt etiam ſobrius, quaſi abſtinens ſe a briis, ſeu poculis. Eſt autem ebrietas potus ſine modo voluptatis gratia, quo violenter ratio ex ſua ſede, ſtatuque dimovetur; & ebrietas quidem eſt actio, ebrioſitas autem affectio, & proclivitas ad immoderatum & nimium potum: iccirco non omnes ebrioſi ſunt, qui ebrii aliquando, & contra; ut non omnes anxii, qui interdum anguntur, neque anxii ſemper anguntur; eſtque aliud iracundum eſſe, aliud iratum (*Tullius Tuſc. qq. lib.*4.) Verum in nomine immorandum non puto.

X. Profecto ebrietatem, ebrioſitatemve conſtat, vitium eſſe, quo natura maxime dejiciatur humana: quoniam cum homo brutis antecellat ratione, quiſque videt, quam abjectus ſit is, qui propter leviſſimam voluptatem ſeſe demittit infra belluas, rationis uſu repudiato, qua quod careant belluæ, naturæ eſt, quod careat homo, voluntatis. Præterea illæ valent ſenſibus; homo autem ebrius non ita: nam ratione perturbatur, & ſenſu. Recte Cyrenæus poeta [*apud Athenæum lib.* 2. *cap.*1.]

Vina viros ingreſſa tenent par robur, & ignis;
Vix tantum Lybici fluctuat unda maris;
Quum Borea, triſtive Noto ſubvertitur æquor.

Lepidum eſt, quod Athenæus ſcribit (*lib.*2. *cap.*1.) memoriæ proditum a Timeo Tauromitano, domum quamdam Agrigenti fuiſſe triremem dictam hac de cauſa: juvenes quidam cum multo vino maduiſſent, in eam dementiam acti ſunt, ut putarent ſe in triremi navigare, maxime perturbato mari. Viſus & navis gubernator dicere, navem deonerari oportere propter tempeſtatem. Tum illi & lectos, & menſas, & tabulas, & ſcamna, & vaſa, omnemque ſupellectilem projicere illico e feneſtris, nec niſi conſequente die furor deferbuit, cum militum duces ad domum acceſſiſſent tumultus comprimendi gratia; immo tunc etiam unus juvenum natu major, qui in angulo jaceret adhuc temulentus, ait, dejeciſſe ſeſe in inferiorem carinæ partem metu tempeſtatis.

XI. Sed longum eſſet referre inepta facta ac dicta ebriorum. Philippus, qui Macedoniæ imperavit, homo perpotando

Digitized by Google

do deditus, ſæpe inter mimos verſabatur ad ridicula demittens regiam dignitatem (*Athenæus lib.* 10. *cap.* 12.) Multo ineptior Antiochus rex, qui Illuſtris eſt dictus, an propter res geſtas, an propter inſaniam non ſatis ſcio. Is effundere nummos ſolebat ebrius factus etiam in viis publicis, veſte indutus auro intexta, & coronam ex roſis geſtans in capite circumire civitatem, & in ſuos, qui ſequebantur, ſaxa jacere more puerorum, ad convivium accedere, ſi quod uſquam concelebrari ſciret a juventute; cum inſtitueret ipſe convivia, in iis ſaltare, ſurgere, jocari, ludere, ut ſcurræ ſolent. Qui hæc narrat Athenæus, concludit (*lib.*10. *cap.*12.) *ad hæc miſeros adducit ſtupor is, quem menti affert ebrietas.* Ne ſani quidem ſunt pedes in ebrietate, quibus iccirco iraſcitur ſervus ille ebrius apud Plautum (*in Pſeudolo*) ait enim:

Quid hoc? Siccine hoc fit? pedes ſtatin, an non?
An id voltis, ut me hic jacentem aliquis tollat?
Nam hercle ſi cecidero, veſtrum erit flagitium.
Pergitin pergere? ab ſæviendum mihi
Hodie eſt. Magnum hoc vitium vino eſt,
Pedes captat primum, luctator doloſus eſt.

XII. Sunt tamen iſta leviora, ſi cum cæteris malis, quorum procreatrix ebrietas eſt, comparentur: ex ea enim contumeliæ exiſtunt in amicos, in propinquos, in familiares, in ipſum Deum, rixæ, cædes: Seneca [*Ep.*83] ait: *refer Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum cariſſimum ſibi, ac fideliſſimum inter epulas transfodit; & intellecto facinore, mori voluit, certe debuit:* domus ac familiæ maxima perturbatio, & alia generis ejuſdem, quæ cum nota ſint omnibus, commemorare ſupervacaneum puto; præſertim cum ebrietas non cadat in eos, qui hæc legent, aut audient. Potius de immoderato vini potu, qui tamen non pertingit ad ebrietatem, pauca dicam: nam & is ſobrietati repugnat, & magis familiare ac domeſticum vitium eſt.

XIII. Itaque vinum epotum ſine modo & corpori, & animo nocet plurimum, & privatis hominibus, & reipublicæ. Primum corpori: nam ſanguinem ciet, humoreſque vehemen-

mentius, auget calorem, cum ſit inſtar ignis, acrem bilem efficit, præcludit vias, depoſito, injectoque ſulphure ac ſale, quo ſcatet, nervos lædit: ex quo paulatim & occulte plura morborum genera gigni neceſſe eſt, lippitudinem, anhelitum, tuſſim, inſomnia, cruditatem, capitis dolorem, ac ſtomachi, & via ſternitur ad epilepſiam, apoplexiam, paralyſin, ut Græci vocant, & alias quammultas ægrotationes, infirmitateſque naturæ, quibus bona valetudo, vireſque corporis omnino labefactantur: (*vid. Hoffmannum Diſſ.2. de diætetica S. Script. med. num.25.*) quare ſcriptum eſt a Critia (*apud Athenæum lib.10. cap.11.*)

Pocula plus æquo nam quæ fœcunda bibuntur,
Mox faciunt lætos; tempus in omne nocent.

Venenum quoddam ineſt in vino, ex quo, diſſolutis ſenſim viribus, ſæpius etiam adoleſcentes ac juvenes immaturo interitu rapiuntur; & qui provectiore ſint ætate, multo facilius. Agronem Illyriorum regem propter perpotationes laterum dolore correptum poſt paucos dies obiiſſe, auctor eſt Polybius [*lib.2.*] Magnum Alexandrum ab intemperantia in vino interemptum, ſcribit Seneca (*Ep 83.*) & Ennium ſimiliter veterem poetam Serenus (*apud Cœlium Rhodiginum lib. 28. cap. 30*)

Ennius ipſe Pater dum pocula ſiccat iniqua,
Hoc vitio tales fertur meruiſſe dolores,

hoc eſt, articularem, ut vocant, morbum, quo e vita diſceſſit. Sed innumeri ſunt etiam noſtra ætate, qui, immodico hauſto vino, intempeſtive moriantur. Quadrare in hos videtur epitaphium illud (*apud Athenæum lib.10. cap.12.*)

Arcadionis habet tumulus hic oſſa bibacis,
Erectuſque urbis proximus ille viæ huic
Charmylus, & Dorci poſuerunt, mortuus eſt vir,
Dum magni calicis ebibit iſte merum.

Vinum interdiu bibere, quippequod obeſt valetudini, vetat Pla-

Plato (*Dial.2. de Leg. in fine*) niſi flagitante neceſſitate, & ſub nocturnum tempus Hoffmannus [*Diſſ.*18. *de Studiis per regulas diæteticas facilitandis cap.* 4.] & alii medicæ artis periti, niſi moderate: ſecus enim cerebrum completur quaſi vapore, & fumo, qui illuc confluit, excitato intrinſecus calore, & apertis viis exiguarum arteriarum, ut humores attolluntur vi Solis ex agris tepefactis, & ſurſum in nubem coeunt. Ex quo caput prægravatur & dolet, corpus languet, & interdum ea fit in cerebro, aut reliquo corpore perturbatio, ut ſubita mors conſequatur; quod non raro videmus uſuvenire.

XIV. At enim fuere, qui largiore vini potu uterentur, & tamen bene valerent, pervenirentque ad ultimam ſenectutem. Quam tamen pauci! quam raro! Ecquis, modo ſapiat, ex uno, aut altero eventu incerto & periculoſo vivendi normam, tuendæque valetudinis velit capere? Omnes fere propter intemperantiam in potu, brevi abſumuntur, & pereunt: quid ſi evadat unus e millibus, cui ænea, ut ita dicam, natura ſit data? Teſtis eſt experientia quotidiana, qui viribus pollere ſupra cæteros videantur, eos, ſi intemperantius vivant, gravioribus morbis deinde affligi, & plane confici: intus enim, quo majus eſt robur, eo exardeſcit humorum pugna vehementior. Ad hæc qui etſi bene potus venit ad ſenectutem, non eſt dubitandum, quin is, ſi fuiſſet temperans, & melius valuiſſet, & diutius vivere potuiſſet.

XV. Hæc quidem mala ad corpus pertinent; quæ vero immoderatus vini potus infert animo, ſunt multo acerbiora: obtundit enim acumen ingenii, facitque hominem ignavum & ſtolidum, atque ineptum ad ſtudia artium & literarum: quamobrem putarunt quidam etſi falſo (*apud Platonem Dial.* 2. *de Leg.*) vinum ad ultionem hominibus datum eſſe, ut inſaniant, & circumfertur dictum illud (*apud Apulejum lib.* 4. *Florid.*) *prima cratera ad ſitim pertinet, ſecunda ad hilaritatem, tertia ad voluptatem, quarta ad inſaniam*. Idem potus intemperantes inducit ad pietatis officia deſerenda, impellitque ad rixas, ad jurgia, ad contentiones, ad loquacitatem, ad injuſtitiam, ad crudelitatem, ad arrogantiam, ad iracundiam, atque ad incontinentiam in primis, & omnes tandem turbidos motus concitat, effrenataſque cupiditates; denudat arcana: Ve-

Digitized by Google

. . . . . *Verax aperit præcordia Liber*,

ut ſcribit Horatius (*lib.* 1. *Satyr.* 4.) & alio in loco [*de Arte Poetica.*]

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant.

Ex quo extat adagium *in vino veritas;* ſæpe autem contingit, ut quæ occultari opoteret, ea in propriam, vel alienam perniciem retegantur & pateant. Eam ob cauſam negat Plato (*Dial.* 1. *de Leg. in fin.*) *hominum ingenia melius ſpectari alla in re, quam in vino.*

XVI. Hæc, quæ dixi, ſatis indicant, quam ſit a ratione alienum, & repugnans ſobrietati, ſeſe in conviviis provocare viciſſim ad pocula, & bibere renuentem inurbanum dicere. Qui id facit, is quidem & honeſtatis expers eſt, & urbanitatis ignarus; quoniam vir bonus, atque ornatus politis moribus, ad ea, quæ turpia ſint, ac perniciosa, invitat neminem, & multo minus laceſſit quadam aſperitate verborum; cuique bibendi regula debet eſſe bona valetudo, & mentis vigor, non aliena dementia, aut ventris cujuſpiam immenſa capacitas: ſunt enim nonnulli, quos recte dixeris tubos, utres, aut cloacas, ſi mavis; quicquid injiciatur, abſorbent; & id gloriandum putant. Ea tamen gloria, præterquamquod ridicula eſt, & homine indigna, ſæpe non minoris conſtat, quam valetudine & vita. Conſtituit Alexander Macedo vini certamen, propoſito victori præmio. Ex iis, qui vinum biberant, continuo quinque & triginta interierunt, & ſex paullo poſt, cum ſe temulenti recepiſſent in tabernacula [*Athenæus lib.*10. *cap.*12.] Flagitioſum hoc certamen deſcribitur, maximeque improbatur a ſapientibus, a Baſilio (*Hom.*16. *de ingluvie, & ebrietate num.*3. *in Append. operum tom.*3.) ab Ambroſio (*lib. de Elia, & Jejunio cap.*13. *tom.*1.) ab Auguſtino (*Serm.*294. *in App. tom.*5. *poſt partem* 2. vel quiſquis ſit eorum opuſculorum auctor) iccirco apud Lacedæmonios ne calicem quidem licebat alteri offerre ad bibendum (*Athenæus cit. loc. cap.*11.)

XVII. Cum ex vino tot ac tam gravia incommoda proficiſcantur, olim Romanis feminis, ne quid facerent inde-

Digitized by Google

ingenua, humana, nobilis, parvo contenta, ſtudioſa mediocritatis in dictis & factis. Ab ea naſcitur, tamquam a fonte, vita, valetudo, alacritas, induſtria, ſtudium optimarum artium & literarum, eaque omnia, quæ honeſtum, ac bene inſtitutum virum decent. Favent cum humana, tum divina jura ſobrietati, a qua & crapulæ, & humorum redundantia, & dolores, & febres, & quicquid replere nimium, ac perturbare corpus poſſit, & mortis pericula diffugiunt, longeque diſcedunt, ut a Sole nebulæ. Ejus venuſtas ac forma quemque allicit, qui paullo excelſiore animo ſit, & in apertum cum proferat felicitatem ſuam, ac victoriam, quæ referri ab unoquoque ſine magno labore poteſt, invitat ad potiundum. Procuratricem ſe, ac cuſtodem pollicetur fore omnium vitæ, pauperis & locupletis, maris & feminæ, juvenum ac ſenum: quippe quæ & locupleti præſcribit modum, inopi parſimoniam, mari continentiam, feminæ pudicitiam, ſenem viam docet, qua ſe a morte tueatur, & juvenem in ſpem firmam erigit vitæ diuturnæ. Sobrietate perpoliuntur ſenſus, fiuntque puri, corpus leve, mens ſana, alacris & erecta, memoria tenax rerum præteritarum, expediti motus, prompta, atque elegans actio; animus quaſi vacans concretione corporea magnam obtinet partem libertatis ſuæ, ſpiritus leniter cientur, & ſanguis fluit in arteriis, venisque diffuſus; ob ſuavem calorem, ac temperatum, effectus item moderati temperatique cernuntur, tandemque vires omnes, ac facultates pulcherrimo quodam ordine inter ſe continentur colligatæ & nexæ. O naturæ ſolatium ac robur, ſanctiſſima innocentiſſimaque ſobrietas, vitæ humanæ parens, animi & corporis medicina, quam laudanda merito es ab hominibus! quam ſingulares tibi agendæ ſunt gratiæ! propterea quod eos cumulas eximiis muneribus, cum modum rationemque tradas, qua valetudinem vitamque ſervent, bonum, quod quidem reperiatur in terris, omnium maximum, quodque plurimi æſtimandum eſſe, docet ipſa natura. Aliis etiam in locis commendat Cornarus mirifice continentiam in cibo & potu, ac ſcribit, nulla ſe frui potuiſſe liquida voluptate, nec mundi pulchritudine, nunquam perturbatione caruiſſe, nunquam panis ſuavitatem guſtaſſe, niſi cum animum conſtanter contuliſſet

Digitized by Google

ad ſobrietatem. Enitendum igitur eſt, ut, pulſo remoto-que vitio contrario, ſummo virtus hujus amore ac ſtudio teneamur, quæ etſi, pueris præſertim, & adoleſcentibus dif-ficilis initio, atque ardua quodammodo videatur, ſit tamen uſu jucunda, & ſuaviſſimos fructus parit.

CAPUT IX.

De Parſimonia, ac de Vitiis, quæ ſunt Parſimoniæ contraria.

I. PArſimonia virtus eſt, quæ ſumptus moderatur, & rem familiarem conſervat honeſtatis gratia. Diſcrepat ab abſtinentia & ſobrietate, quippe quæ non in ſumptu ver-ſantur, tuendaque re familiari, ſed in uſu potus ac cibi. Primum itaque præſcribit parſimonia, ne impenſæ fiant mi-nus utiles & neceſſariæ, atque extra modum prodeant in menſa, in veſtitu, in ædificiis, in ſupellectili, in nuptiis, in funeribus, in oblectamentis & ludis, aliiſque generis ejuſdem. In his autem impenſarum modum præfiniat opor-tet neceſſitas, vitæque conditio, & ratio cenſus & patri-monii: *ea, quæ ad corpus pertinent*, ait Epictetus (*in Man. cap.* 30. *num.* 6.) *ad nudum uſum adſume, ut cibos, potum, veſtitum, domum, familiam. Id autem omne, quod ad oſtenta-tionem, aut delicias pertinet, circumſcribe.*

II. Quamquam vero videndum eſt non modo quid ſit na-turæ ſatis, quod certe parum eſt, ſed etiam quid deceat; tamen & ipſum decorum multo minus poſtulat, quam ple-rique arbitrantur: homines enim non ornantur externarum rerum apparatu & copia, non domo, non curru, non fa-mulis, non familia, non veſte, ſed virtute & ſapientia: ut equus non æſtimatur a phaleris, aut ephippiis, ſed a forma, a curſu, a robore (*vid. Apulejum lib. de Deo Socra-tis*) ad ferenda onera comparato. Immo vehementer dede-cet, cum omnia ornata ſint, dominum ſordere, inopem eſſe, atque ab omni fere doctrinæ & probitatis ornamento ina-nem & vacuum, & tantum ſuperbiæ pleniſſimum, qua ſit,

ut

Digitized by Google

ut alii, qui tamen honore digni ſunt propter animi dotes, quia nobilitate non florent, aut opibus, contemnantur [*vid. rurſus Apulejum cit. loc.*]

III. Certe fuerunt præclariſſimi viri non modo e noſtris, ſed etiam ex alienis, & ſuperſtitione occupatis, qui exteriorem cultum, luxumque negligerent; ob eamque rem maximam laudem conſecuti ſunt apud ſapientes: nam quid indocti, ſtultique ſentiant, non eſt curandum. M. Curius, qui Dentatus eſt dictus, cum Samnites, accepta clade, ad eum veniſſent cum magna auri vi, rapas coquebat ad veſcendum (*Plutarchus in Apophthegmat.*) Hujus frugalitatem laudat & Tullius (*de Senect.*) *Ergo in hac vita*, inquit, *M. Curius cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis; cujus quidem villam ego contemplans (abeſt enim non longe a me) admirari ſatis non poſſum vel hominis ipſius continentiam, vel temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt: non enim aurum habere, præclarum ſibi videri dixit; ſed iis, qui haberent aurum, imperare.* Q. Ælius Tubero, etiam cum gereret conſulatum, ad menſam vaſis fictilibus utebatur; quod cum vidiſſent Ætolorum legati, ei aliquanto poſt attulerunt argentea, quæ ille repudiavit, monuitque, ne continentiæ quaſi paupertati ſubveniendum putarent (*Valerius Maximus lib.4. cap.3. num.7. & Plinius lib.33. cap.11.*) In menſa ſtudioſus fuit parſimoniæ & Julius Cæſar (*Suetonius in ejus vita cap.53.*) & Didius Julianus (*Ælius Spartianus in ejus vita in collect. Salmaſii*) & Tacitus (*Flavius Vopiſcus in ejus vita collectore Salmaſio*) & Adrianus imitatus Æmilianum, Metellum, ac Trajanum (*Ælius Spartianus in ejus vita collectore Salmaſio*) Fuerunt etiam, qui nihil pecuniæ conferre vellent in ædium, villarumque magnificentiam, aut amplam familiam. Sexdecim eodem tempore Æliis, ut auctor eſt Valerius Maximus (*lib.4. cap.4. num.8.*) fuit ædicula una, & unus in agro Vejente fundus, & in Maximo, & Flaminio ſpectaculi locus eis a republica dono datus propter virtutem.

IV. Deinde poſtulat parſimonia, ut conſerventur res familiares, veſtes, & alia ſupellex ad uſum neceſſaria, & prædia excolantur, ut fructus ferant, & ratio habeatur dati,

ti & accepti, ne parvæ res negligantur & ſumptus exigui, quod ſtatim fieri poteſt, id ne differatur in poſterum tempus. Hanc curam licet multi reprehendant ut minutam, & forte etiam ut ſordidam, tamen qui ſapit, is regulas tenet œconomicæ prudentiæ, quæ ab optimis viris conſtitutæ ſunt, & ad civilem ſocietatem valde conferunt: quoniam eſt e republica, induſtriam vigere, & opulentiam in civitate, indigentia inopiaque ſublata, atque id conſervari, quod nervus eſt familiarum; & privati cujuſque eſt cum ſibi, tum familiæ conſulere, & in poſterum providere.

V. Verum colenda eſt parſimonia honeſtatis cauſa; ſecus non virtus erit, ſed vitium: quamobrem eam referre oportet ad vitæ neceſſitatem, opportunitatemque familiæ; & ſi opes ſuppetant, ad magnificentiam, ad miſericordiam, ad liberalitatem, ad beneficentiam: neque congerenda pecunia eſt habendi cupiditate, aut metu, ne quid forte accidat, quod fore olim, non eſt veriſimile. Quo nomine vituperatur parſimonia a Lactantio (*Divin. Inſt. lib 6. cap.* 17.) *Parſimoniam contra*, inquit, *virtutis loco habent, quæ ſi ſtudium eſt habendi, non poteſt eſſe virtus; quia in augendis, vel tuendis terreſtribus bonis tota verſatur. Nos autem ſummum bonum non referimus ad corpus, ſed omne officium ſolius animæ conſervatione metimur. Quod ſi (ut ſupra docui) patrimonio minime parcendum eſt, ut humanitatem, juſtitiamque teneamus, non eſt virtus frugi eſſe: quod nomen virtutis ſpecie fallit ac decipit: eſt enim frugalitas abſtinentia quidem voluptatum; ſed eo vitium, quia ex habendi amore deſcendit; cum ſit & voluptatibus abſtinendum, & pecuniæ minime temperandum. Nam parce, ideſt, mediocriter uti pecunia quaſi quædam puſillitas animi eſt, aut prætimentis, ne ſibi deſit, aut deſperantis, poſſe ſe illam reparare, aut contemptum terreſtrium non capientis.*

VI. Si reipſa frugalitas & parſimonia a prava affectione naſcitur, & facit, ut aliarum virtutum officia deſerantur, non eſt ullo modo laudabilis, iccircoque nec virtus: ſunt enim virtutes inter ſe communi quaſi vinculo copulatæ: ſed ea, de qua dixi, honeſta eſt, atque utilis cum ſingulis, tum reipublicæ, & non modo animum non incitat ad pecuniæ cupiditatem, verum contra ab ipſa revocat

&

& deducit: nihil enim eſt cauſæ, cur homo, qui frugi ſit, multa deſideret, & quærat avidius; nimirum eget paucis. Socrates cum rerum venalium videret copiam, *quammultis ego*, inquit, *non indigeo!* (*apud Gaſſendum tom.* 2. *Ethicæ lib.* 1. *cap.* 6.) Indigentia autem eſt poſſidendi menſura, eademque in ſapiente viro debet eſſe appetendi. *Modus poſſeſſionis*, ait Epictetus (*in Man. cap.* 36.) *unicuique corpus eſt, ſicut pes calcei. Si igitur in his conſiſtas, modum ſervabis; ſin ea transieris, tamquam per præceps poſtea te ferri neceſſe eſt. Quemadmodum & circa calceum uſuvenit; ſi pedis modum transieris, ſit ille deauratus, poſtea purpureus, deinde interpunctus: illius enim, quod ſemel modum exceſſit, nullus eſt terminus*. Eademque eſt Juvenalis ſententia (*Satyr.* 14. *in fin.*)

. . . . mensura tamen quæ
Sufficiat cenſus, ſi quis me conſulat, edam;
In quantum ſitis, atque fames, & frigora poſcunt:
Quantum, Epicure, tibi parvis ſuffecit in hortis;
Quantum Socratici cœperunt ante penates:
Nunquam aliud natura, aliud ſapientia dicit.

VII. Hanc ob cauſam fuit magna quædam in hominibus, qui frugi eſſent, & parſimoniæ ſtuderent, pecuniarum contemptio. Ab Alexandro legati ad Xenocratem venerant cum aliquot talentis, quos ille conſueto, hoc eſt, modico cœnæ apparatu, & exiguis copiis excepit: poſtero die interrogantibus, cui nam numerari pecuniam vellet; an vos, reſpondit, heſterna cœna non ſatis intellexiſtis, ea me non indigere? (*Valerius Maximus lib.* 4. *cap* 3. *Exempl.* 3. *inter externa*) oblatumque munus rejecit; quod idem fecit & Philopœmen Megalopolitanus, & Epaminondas Thebanus, [*apud Andream Eborenſem Exempl. Memor. tit. de Temperantia*] aliique: quid enim pecunia opus eſt, ſublato uſu, amotaque neceſſitate?

VIII. Nec vero homo frugi ac temperans, qui pauca poſſidet, iccirco pauper eſt judicandus, ſed dives: nam magnum vectigal eſt parſimonia, ut Tullius ſcribit (*Parad.* 6.) non enim qui plus habet, ſed qui minus indiget, dives eſt. *Capit ille*, ait idem Tullius (*cit. loc.*) *ex ſuis prædiis ſexcen*

Digitized by Google

centa ſextertia, ego centena ex meis: illi aurata tecta in villis, & ſola marmorea facienti, & ſigna, tabulas, ſupellectilem, & veſtem infinite concupiſcenti, non modo ad fructum ille eſt ſumptus, ſed etiam ad fœnus exiguus: ex meo tenui vectigali, detractis ſumptibus cupiditatis, aliquid etiam redundabit. Uter igitur eſt ditior, cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abundat? cujus poſſeſſio quo eſt major, eo plus requirit ad ſe tuendam; an quæ ſuis ſe viribus ſuſtinet? Tum affert exemplum: *M. Manlius*, inquit, *patrum noſtrorum memoria [ne ſemper Curios, & Lucinos loquamur] pauper tandem fuit: habuit enim ædiculas in Carinis, & fundum in Labicano: nos igitur ditiores ſumus, qui plura habemus? utinam quidem eſſemus.* Tandemque concludit: *ſed non æſtimatione cenſus, verum victu, atque cultu terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum, pecunia eſt; non eſſe emacem, vectigal eſt; contentum vero ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt certiſſimæque divitiæ.* Quod & olim Lucretius dixerat (*lib.5. de Rer. Nat.*)

Quod ſi quis vera vitam ratione gubernet;
Divitiæ grandes homini ſunt vivere parce
Æquo animo: neque enim eſt unquam penuria parvi.

IX. Hinc autem quædam naſcitur animi magnitudo contemnentis bona fortunæ, quippe quæ ſupervacanea judicantur, cum neceſſaria naturæ facile ſint parabilia; & quod paratu difficile eſt, id non ſolet eſſe neceſſarium (*vid. Senecam Epiſt. 4. & Epiſt. 110.*) *Commendamus frugalitatem*, ait Apollonius (*apud Stobeum tom.1. Serm. 17. qui eſt de Continentia*) *non quod tanti res viles, & minime ſumptuoſas faciamus, ſed ut hoc pacto animi magnitudinem augeamus.*

X. Ex quo rurſus ſequitur quies, animique placatio: qui enim parce vivit, & parvo contentus eſt, nec perturbatur poſſidendi cupiditate, nec cura quærendi, nec amittendi metu, ut is, qui divitias non moderato uſu, & neceſſitate naturæ, ſed ambitione ac ſuperbia, congerendi fame & voluptate metitur: huic enim cum nihil ſit unquam ſatis, iccirco nec quieſcit unquam; ex quo fit, ut ſit miſer: *ſicui*, ait Epicurus ipſe (*apud Senecam Epiſt.9.*) *ſua non videntur ampliſſima, licet totius mundi dominus ſit; is miſer eſt.* Patri-

tri-

trimonia ſunt non tam voluptatum ſeges, quam ærumnarum: plurimum enim afferunt poſſidenti laboris & curæ (*vid. Senecam de Tranquillit. animi cap.8.*) quamobrem miror interdum eſſe quoſdam, quibus cum mediocris cenſus ſatis ſit ad honeſte & quiete vivendum; iidem tamen graviſſimis occupationibus implicantur dies, atque noctes; hos quidem Seneca procuratores vocat, non divites [*Epiſt.*14.] quoniam divitiæ triſtes, & operoſæ, & plenæ curarum paupertas potius ſunt, atque inopia judicandæ: etenim dives non eſt is, cujus animus caret quiete, quæ bonum eſt unum in terris, & omnium maximum. Contra qui magno cenſu non eget, opumque copia, cum utatur parſimonia, patris fruitur liber a cura & moleſtia: licet enim beate vivere ſine luxu, ædium magnificentia, villarum amœnitate, aliiſque ejus generis; cum aliud ſit ſumptuoſius vivere, aliud bene.

XI. Quapropter a Virgilio laudatur agricolarum vita, quæ his vacat omnibus, quibus affluunt locupletes in civitate (*G.org. lib.* 2. *v.*458.)

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas! quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſque auro veſtes, Ephyrejaque æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno:
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus: at frigida Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni
Non abſunt. . . . .

Qui locus manat ab illo Lucretii (*lib.*2. *de Rer. Nat.*)

Si non aurea ſunt juvenum ſimulacra per ædes
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris &c.

Itaque frugi homo, ſi ſapiat, eſt idem quietus: frugalitatis enim, & parſimoniæ *videtur eſſe proprium*, ut Tullius ſcribit (*Tuſc. qq. lib.3.*) *motus animi appetentis regere & ſedare, ſemperque adverſantem libidini moderatam in omni re ſervare conſtantiam*. Et paullo poſt: *qui ſit frugi igitur, vel ſi mavis, moderatus & temperans, eum neceſſe eſt eſſe conſtantem, qui autem conſtans, quietum, qui quietus, perturbatione omni vacuum;* erit igitur etiam dives; cum tanto bono potiatur. Talem fuiſſe Diogenem affirmat Maximus Tyrius (*Diſſ.* 20.) hoc eſt, divitem & beatum; quamquam nec cenſum haberet ullum, nec prædium, nec certam domum, eumque & Lycurgo præfert, & Soloni, & Artaxerxi, & Alexandro:

Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis.

[*Horatius Epiſt.17. lib.1.*]

XII. Qui tamen ita inter paupertatem & divitias tenet modum, ut res familiaris nec redundet, nec deſit ad temperatum vitæ uſum, laudandus eſt: quemadmodum enim nimia affluentia, ſic nimia paupertas ſolet eſſe malorum cauſa: *optimus pecuniæ modus eſt*, ait Seneca (*de Tranquill. animi cap.8.*) *qui nec in paupertatem cadit, nec procul a paupertate diſcedit*. Hæc enim mediocritas poteſt ſapienti viro parere tranquillitatem: immo & qui rerum copiis abundat, quiete vivit, ſi nec illis amplificandis ſtudet, nec adeo adhæreſcit animo & voluntate, ut, ſi eaſdem caſus abſtulerit, non putet, poſſe ſe bene vivere; interim vero partis fruitur honeſte utendo. Videtis

Quæ virtus, & quanta, boni, ſit vivere parvo.

(*Horatius Satyr.2. lib.2.*)

XIII. Omnes autem decet parſimonia, ſed in primis patremfamilias, & principem. Qui enim familiæ præeſt, ejus ſuſtineat neceſſe eſt decus & dignitatem, conſulat indigentiæ, & præparet neceſſaria contra fortuitos caſus, qui veriſimi-

ſimile eſt, fore ut incidant in poſterum tempus, præſertim ſi filios habet, in quibus educandis expenſæ faciendæ ſint, collocandiſque in eo vitæ ſtatu, qui cuique conveniat, ſive mares ſint, ſive feminæ.

XIV. Nec vero privatorum tantum eſt parſimonia, ſed etiam virorum principum: immo his magis fortaſſe utilis & neceſſaria, quam reliquis: primum quia plura poſſunt accidere, ad quæ pecunia opus ſit, ut ad tuendum ab hoſtibus principatum, & impendentia pericula propulſanda, ad publicæ ſubveniendum calamitati; nec oportet continuo nova, & gravia imponere vectigalia, quæ affligant populos, eisque afferant egeſtatem. Deinde, qui præſunt reipublicæ, parſimoniæ exemplum, quod vim habet maximam, præbere aliis debent ad imitandum, coercendamque inſolentem luxuriam: id enim, quod ne ſeveritas quidem legum poſſit, ac pœnarum metus, facile conſequentur. Hanc laudem tribuit Theodoſio, qui Magnus eſt dictus, Latinus Pacatus (*in ejus Panegyr. cap.* 13.) *Et quia*, inquit, *vel longo Orientis uſu, vel multum retro Principum remiſſione, tantus quoſdam luxus infecerat, ut adulta conſuetudo laſciviæ haudquaquam facile videretur obtemperatura medicinæ, ne quis ſe pati injuriam putaret, a te voluiſti incipere cenſuram, & impendia Palatina minuendo, nec ſolum abundantem rejiciendo ſumptum, ſed vix neceſſarium uſurpando dimenſum, quod natura difficillimum eſt, emendaſti volentes*. Neque erit, qui hanc continentiam aſcribat aut animi abiectioni, aut avaritiæ; modo vir princeps frugi ac temperatus in ſe, idem ſit liberalis in ſuos, qualem fuiſſe Julianum Auguſtum, auctor eſt Claudius Mamertinus (*in ejus Panegyr. cap.*12.) immo omnes laudabunt, ſi ſapiant, hominis virtutem, atque conſtantiam, qui in tanta opum, divitiarumque affluentia, quæ voluptatum adminiſtræ queant eſſe, ab iis temperet.

XV. Commendat parſimonia adoleſcentem etiam, ac juvenem: hæc enim ætas proclivior ſolet eſſe ad profundendum: quamobrem de conſervandis rebus, ut libris, ut veſtibus, ut ſupellectili, aliiſque ejus generis ita parum ſollicita eſt, ut potius earum conſumptione ac detrimento delectari videatur.

Digitized by Google

XVI. Vitium parſimoniæ contrarium, quod nimium eſt, luxus dicitur, aut luxuria, hoc eſt, immoderata profuſio, ſeu profuſæ impenſæ in re qualibet familiari a verbo *luxo*, ex quo luxata pars (*apud Senecam Epiſt.* 104.) aut luxata membra (*apud Plinium lib.* 17. *cap.* 28.) hoc eſt, ſuo loco emota. Dicuntur etiam *membra luxa*, ut Feſtus ſcribit (*apud Voſſium Etimol. v. Luxus*) *e ſuis locis mota*, & *ſoluta*, *a quo luxurioſus*, *in re familiari ſolutus*; hoc eſt, in menſa, in veſte, in ædibus, in ornamentis, in famulis, in equis, in curribus.

XVII. Hoc vitium naſcitur non modo a ſtudio & libidine voluptatis, quæ a pulchris, jucundiſque rebus capitur, ſed potiſſimum a ſuperbia: qui enim ſimul florent & nobilitate & divitiis, iidem volunt ſupra reliquos viros nobiles eminere; hi vero quamquam cenſu inferiores, cum primis contendunt, ne quid detrahi videatur familiæ, & dignitati, maximeque viget hæc inſolens æmulatio inter optimates in libera civitate, in qua quiſque ſibi arrogat jus principatus, & iccirco parem cum aliis gradum; immo interdum, quibus minores copiæ ſuppetunt, ii exteriori apparatu & pompa ſtudent ſuſtinere perſonam, quam divitiæ nec fulciunt, nec ornant. Cives, qui paullo honeſtiore loco ſunt, viros nobiles imitantur, cives oppidani: ſunt enim etiam in oppidis ac pagis, qui quamdam volunt olere nobilitatem, & illuc conſuetudines, moreſque transferre civitatis, & principes inter ſuos haberi quodammodo, iccircoque ſumptus faciunt, etiamſi cenſus minuere, aut aliquam prædiorum partem alienare neceſſe ſit. Hæc autem inanitas & cupiditas præcellendi magis dominatur in feminis, quippequæ dignitatem ſuam & veſtium ornatu, varietate, & numero metiuntur, & quo ornatiores ſunt aliis, eo præſtantiores ſe, ac beatiores putant; nec refert, modo voti compotes fiant, ſitne conſumenda pecunia, & domus in magno ære alieno vacillet, & fere collapſura videatur. Et hæc quidem eſt luxus cauſa, ſuperbia; qua ſublata, & ille ſimiliter tolleretur: ſed quis tam inveterati morbi radices evellere unquam poſſit? Nunc, ejus effecta, & damna quæ ſint, dicam.

XVIII. Merito dictus eſt luxus gurges & vorago patrimonii: nam magnam pecuniæ vim, & ingentes opes exorbet, & qui adhibetur ad familiæ decus, eam ſæpe in humi-

milem locum dejicit & evertit omnino: nam ad vetus æs alienum paulatim accedit recens ac novum, cui diſſolvendo cum non ſatis ſint fructus ac cenſus, ad bonorum proſcriptiones ac venditiones veniendum eſt: quare videmus ſæpe venalem pretioſam ipſam ſupellectilem magnis olim ſumptibus comparatam.

XIX. Porro non modo ii damnum ſentiunt, qui pecuniam per luxuriam effundunt, atque conſumunt, non modo filii ac nepotes, ſed ſentiunt artifices, ſentiunt mercatores, ſentiunt famuli, ſentit etiam reſpublica, quam premit inopia, cum interim a noſtro quaſi vectigali ditentur exteræ nationes, a quibus peregrinæ merces ad nos advehuntur. Prætereo, ob eam cauſam nihil ſupereſſe, quo pauperum calamitas ſubleverur: eſt autem inhumanum deliciis, luxuque diffluere, cum plures, quibus ſocietate & natura conjuncti ſumus, fame & egeſtate conficiantur.

XX. Non tamen quodlibet luxuriæ genus æque nocet reipublicæ: illud certe exitiale, quod pretioſis veſtibus continetur, aliiſque rebus, quas uſus abſumit, aut mutat conſuetudo, & non incolarum induſtria conficit, ſed aliena: tunc enim alio transfertur pecunia, qua cives careant, neceſſe eſt. Quod ſi earum rerum artificium vigeat in patria, locupletum luxus poteſt eſſe utilis communitati: nam quod illi expendunt, id in opifices manat, & reliquos, qui ſibi labore victum quærunt. Verum ex alia parte tunc etiam nocet plurimum propter exemplum: multi enim, qui non eodem modo divitias habent, domeſticam rem exhauriunt, uſumque cauſantur, & contendunt, rationem habendam eſſe dignitatis. Itaque oportet, etiam locupletes a luxu temperare: eſt autem ampliſſimus adhibendæ magnificentiæ, ſi velint, & nominis immortalitati conſequendæ locus; poſſunt enim publica ædificia, ut pontes extruere, ut hoſpitia; inſtituere academias, ſeminaria; comparare bibliothecas ad communem utilitatem, atque alia multa facere, quæ in illuſtri gloria, excelſaque laude eos ponent etiam apud omnem poſteritatem, non oſtentatio popularis.

XXI. Nec ſunt reprehendendi, ſi ſplendidas ædificent ſibi domus vel ruri, vel in civitate ad habitandum: nam præterquamquod aptum domicilium in omni vita non infimum lo-

locum tenet inter bona fortunæ (habet enim plus opportunitatis, quam prædia) augetur etiam urbis ornatus & pulchritudo. Eam ob rem lege lata iis interdum privilegia irrogantur, qui appoſito & congruente ædificio operam ſuam conferunt ad honeſtandam, exornandamque civitatem. Nec fere ædificatio nocet propter exemplum: qui enim pecunioſi minime ſunt, raro audent opus moliri, cui perficiendo ſint impares, atque ædem magnificam fabricari, cum qua cenſus, & copiarum exiguitas male cohæreat (*vid. Muratorium in libro de Publica Felicitate, quæ propoſita debet eſſe Principi. cap.19.*) Similiter non valde peccat ob luxum, qui vaſa congerit argento, auroque conflata: quoniam non modo ornamento ſunt, & voluptati, ſed etiam, ſi qua incidat cauſa, opportunitatem habent ad neceſſaria inſtar pecuniæ; quamquam non tanti fere venduntur, quanti ſunt empta; in gemmis multo plus ineſt periculi, quarum pretium in opinione eſt, quæ mutatur in dies: quocirca ſæpe fit, eas magni emi; tum minoris vendi oportere, quadam cogente neceſſitate.

XXII. Deterrimus quidem eſt luxus in menſa: nam in eam rem expenſæ quotidianæ magnam quærunt pecuniam; atque id omne perditur, quod immittitur in abdomen: ſtulta quædam luxuria eſt, alimenta, & vinum ex exteris regionibus aſportanda curare, cum quæ naſcuntur in patrio ſolo, ea ſint ad victum ſatis, & ſæpe æque bona, atque idonea corporis ſanitati; at fallimur vulgi opinione, rerum bonitatem ex locorum longinquitate, in quibus gignuntur, pretioque metientis. Luxus item in nuptiis, ac dote cum privatis maxime perniciosus eſt, tum reipublicæ: nam iccirco nobiles puellæ quamplures aut repelluntur a conjugio, & domi vivunt ſibi ac domeſticis moleſtæ & graves, aut in aliquo ſacrarum virginum collegio, quaſi in carcere, clauduntur invitæ. Quid dicam de impenſis funerum, quarum non pietas in mortuos cauſa eſt, ſed aut dolor, aut oſtentatio?

XXIII. Quæ cum ita ſint, neſcio, cur quibuſdam in mentem venerit, ut Melonio Gallo homini [*in libro, cui titulus: Eſſai politique ſur le Commerce apud Murat. in libro de Publica Felicitate, quæ propoſita debet eſſe Principi. cap.19.*] luxum laudare ac probare, a quo tot incommoda in privatos,

tos, in familias, in communitatem proficiſcuntur: videmus non raro ex profuſis ſumptibus egeſtatem exoriri, ex egeſtate deſperationem, ex deſperatione capitalia ſcelera, quibus in extremum diſcrimen adducitur ipſa reſpublica. Præſertim vero in liberis civitatibus luxus eſt plane exitialis: cum enim latiſſime propagetur, nec poſſit de ſuo vivere, ſe rapinis ſuſtentet, neceſſe eſt: quo fit, ut iniqua ac nefaria ſit juſtitiæ & munerum adminiſtratio, & per nefas extorqueantur pecuniæ & dona, ſine quibus nemo fere id, quod cæteroquin æquum eſt, conſequatur.

XXIV. Si luxus in ſupremo etiam principe dominetur, quot malorum origo ſit, dici vix poteſt. Cajus Cæſar Caligula, exhauſtis regiis opibus, totaque conſumpta immenſa vi pecuniarum in cœnas, in balnea, in ædificia, & alia generis ejuſdem (*Suetonius in vita Caligulæ cap.* 37.) tandem egens ad rapinas convertit animum vario & exquiſito calumniarum & auctionum & vectigalium genere (*Sueton. ibid. cap.* 38.) Caligulæ ſimilis fuit Nero, immo eum facile ſuperavit cum profuſione & luxu, tum latrocinio & ſacrilegiis: nam & templa ſpoliavit, & inde argentea, atque aurea abſtulit ſimulacra ad ſubveniendum egeſtati propter luxuriam (*Sueton. in Neronis Claudii vita cap.* 30. *&* 32.)

XXV. Quapropter jure hoc vitium ſemper damnatum eſt, maximeque reprehenſum a ſapientibus. M. Porcius Cato contra luxum præſertim feminarum egregie, graviterque diſſeruit [*apud Livium lib.* 34.] Ex ea oratione hæc tantum tranſcribere opportunum duco: *ſæpe*, inquit, *me querentem de feminarum, ſæpe de virorum, nec de privatorum modo, ſed etiam magiſtratuum ſumptibus audiſtis, diverſiſque duobus vitiis, avaritia, & luxuria civitatem laborare: quæ peſtes omnia magna imperia everterunt. Hæc ego, quo melior lætiorque in dies fortuna reipublicæ eſt, quo magis imperium creſcit, & jam in Græciam, Aſiamque tranſcendimus, omnibus libidinum illecebris repletas, & regias etiam attrectamus gazas; eo plus horreo, ne illæ magis res nos ceperint, quam nos illas. Infeſta, mihi credite, ſigna ab Syracuſis illata ſunt huic urbi. Jam nimis multos audio Corinthi, & Athenarum ornamenta laudantes, mirantesque, & ante fixa fictilia Deorum Romanorum ridentes &c.*

XXVI.

XXVI. Quibus efficitur, privatos ſumptus non eſſe ab iis, qui reipublicæ præſunt, negligendos: domus enim, ut monet Paulus Manutius (*de Legibus Rom.*) & nos ſupra diximus, exhauriuntur, & ex domibus civitas conſtat. Itaque valere non poteſt, ſicut corpus aliquod membris male affectis. Id cum intelligerent principes & magiſtratus, multæ ab eis ſunt leges latæ diverſis temporibus ad luxum comprimendum in domeſtica ſupellectili, in funeribus, in cœnis, in nuptiis, aliove in genere. Earum quædam a Romanis datæ deſcribuntur ab A. Gellio (*Noct. Attic. lib.2. cap.24.*) plures a Paulo Manutio (*de Legibus Rom.*) noſtra etiam ætate magna eſt legum copia, quæ ſunt hac de re promulgatæ; eas tamen fere ubique abrogat, atque irritas facit confirmata vitiorum conſuetudo, obſtinatioque luxuriæ, quæ etſi remitti videatur aliquandiu objecta lege; tamen paullo poſt, ſublato aggere, ut flumen ſolet, eodem revertitur.

XXVII. Itaque ſibi quiſque conſulat neceſſe eſt, neque hac corruptela ſe rapi, abducique ab honeſtate patiatur; at decorum tamen copulet cum parſimonia; qua laude M. Antoninus Philoſophus commendatur ab Julio Capitolino [*in vita Antonini Pii collect. Salmaſ.*] Secus ea virtus declinabit ad ſordes, hoc eſt, ad vitium, quod parum eſt, eidemque ipſi virtuti contrarium. De ſordida parſimonia dixi alio in loco (*lib. 3. par. 3. cap. 20.*)

CA-

CAPUT X.

De Taciturnitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Taciturnitati contraria.

I. TAciturnitas eſt conſtans ſermonis continendi modus ac ſcientia; hoc eſt, ars loquendi ac ſilendi, cum decet: ut enim abſtinentia & ſobrietas non in eo poſita eſt, ut nunquam edas, aut bibas, ſed in eo tantum, ut modum teneas in cibo, atque potu; ita taciturnitas non præſcribit, ut nunquam loquaris, ſed ut ne loquaris ſine modo. Itaque ut ſilentii vis & natura perſpecta ſit, exponam in primis, quam regulam ſervare oporteat in loquendo. Enimvero is modum tenet in dictis, qui ſolum vel utilia dicit, vel neceſſaria, & quorſum, & quando, & quomodo, &, quo decet, loco, & ut perſona fert cum loquentis, tum audientis: iccirco enim a natura locutio hominibus data eſt: quo fit, opus hoc divinun contaminare, eoque ad aliud perverſe abuti, quoddam eſſe ſacrilegii genus.

II. Oportet igitur, ut ſerves in loquendo mediocritatem, primum videre, quid dicas: ut enim ſalutaris cibi delectum habere temperantis eſt viri; ita verba prius conſiderare, quam effundantur, prudentis & cauti. In quam rem multa præcepta ſunt data a ſapientibus: notum eſt illud Pythagoræ (*apud Gaſſendum tom. 2. Ethicæ lib. 2. cap. 4.*)

Η" λέγε τὶ σιγῆς κρεῖττον, ἤ σιγὴν ἔχε.
Aut dic melius aliquid ſilentio, aut ſile.

quod & præſcribit Euripides (*apud Stobeum de Tempeſtiva Oratione Serm. 34.*) & Iſocrates (*Orat. ad Demonicum*) *quicquid dicturus es*, inquit, *prius cum animo tuo reputa: multi enim ſunt, quorum cogitationi lingua antevertat*. Et rurſus Pythagoras (*apud Stobeum ib.*) præſtare ait, temere, inconſiderateque ſaxum, quam verba jacere. Certe qui ſapiunt, ii pluris faciunt verba, quam aurum, atque inconſulto pro-

Digitized by Google

fundere nummos malunt, quam loqui ſine ratione. Quamobrem ſapienter monet Epictetus (*in Man. cap.* 30. *num.* 1.) *ſilentium tene plurimum, aut neceſſaria loquere, & paucis. Raro autem occaſione quandoque invitante, ad dicendum aliquid veniemus: verum non de quibuſvis rebus, non de gladiatoribus, non de ludis Circenſibus, non de athletis, non de cibis, aut potionibus, quæ vulgo in ſermonem veniunt; maxime autem nihil de hominibus dicemus:* nam ea narrare, quæ geruntur in civitate, in theatris, in conventibus, ſaltem otioſi hominis eſt, nimiumque curioſi, & indagantis aliena; & de hominibus loqui periculoſum & ſæpe nefarium, & caritati, aut juſtitiæ contrarium, ac ſimiliter ſermonem habere de epulis & conviviis cum minuti animi eſt, tum etiam intemperantis. Neque ea dicenda ſunt, quæ non bene intelligas, qualia ſint; nec quæ non omnino cohæreant cum honeſtate: *duo loquendi tempora conſtitue*, ait Iſocrates (*Orat. ad Demonicum*) *alterum de rebus tibi plane cognitis; alterum de iis, quæ dicenda neceſſario ſunt:* ſemper enim hæc tecum reputa, oculum eſſe, omnia introſpicientem, aurem omnia audientem, ac librum, in quo ſingula facta, dicta, & conſilia accuratiſſime deſcribuntur.

III. Tum non modo ea utilia oportet eſſe, & neceſſaria, quæ dicuntur, ſed etiam ad honeſtum finem referri: multi enim ſunt, qui loquantur optima, verum ad inanem gloriam, ad eloquentiæ oſtentationem, ſcientiæ, prudentiæ, ingenii, memoriæ; aut ad emolumentum & quæſtum: quo fit, ut vitioſa exiſtat oratio.

IV. Mox obſervanda eſt opportunitas temporis ad loquendum; qua in re plurimum valet prudentia: quod enim intempeſtive dicitur, tametſi bonum, pulchrumve ſit, non probatur ſapientibus. *Oportet autem*, ait Dion (*apud Stobæum tom.* 1. *Serm.* 34. *de Tempeſtiva Oratione*) *occaſionis modum noſſe: is enim ſapientiæ terminus eſt. Qui vero intempeſtive cantilenam muſicam quamvis docte cecinerint, illi non approbantur, ſed crimen ſtultitiæ ſubeunt.* Maxime in admonitionibus habenda eſt ratio temporis: quamobrem apte Cleoſtratus (*apud Stobeum ib.*) *ei, qui dixerat; non te pudet ebrietatis? reſpondit: te vero non pudet ebrium admonere?* Occupatum hominem V. C. velle colloquio & longo ſermone

quam-

Digitized by Google

quamquam non inepto detinere, inurbani eſt & imprudentis; quemadmodum & in conviviis de morte loqui, de vitæ brevitate, de morbis, de graviſſimis præceptis philoſophiæ, aliiſque generis ejuſdem (*de Inſcitia temporis Theophraſtus in Charact. cap.* 12.) Idemque de eo judicandum eſt, qui alienam orationem interrumpit, qui prius reſpondet, quam probe intelligat, quid ſit id, de quo quæritur: ſæpe enim eſt inepta reſponſio, atque id evenit, quod eſt in proverbio:

Ego poſtulabam rutra, ſarcula hi negant.

(*apud Plutarchum de Garrulitate*) Similiter qui, cum alius quiſpiam interrogatur, ſponte profert ſententiam ſuam. Nam, etſi apte reſpondet, moleſtus eſt; ridetur autem, ſi male: deinde videtur exprobrare quodammodo cum ei, qui interrogatur, tum ei, qui interrogat; alteri, quaſi non poſſit idonee ad quæſtionem dicere; alteri, quaſi neſciat rem ab eo poſtulare, a quo poſſit accipere [*vid. Plutarchum cit. loc.*] Multa alia huc pertinent; ſed ſtudeo brevitati.

V. Loquendi opportunitati conjunctus eſt locus: ut enim res omnes ſuo loco collocatæ præferunt venuſtatem, ita verba: in ſchola, in templo, dum habetur concio, in academiis plura conſentaneum eſt dicere, quæ non decent ubique. In conviviis ſapiens fere habetur is, qui pauca dicit, aut tacet: Solon, cum inter pocula nihil loqueretur, interroganti Periandro, an propter verborum inopiam, aut propter ſtultitiam taceret: atqui reſpondit, ſtultorum nemo in convivio ſilere poſſit (*apud Stobeum tom.* I. *Serm.* 34. *de Tempeſt. Orat.*) Idem fere a Biante dictum ſcribit Plutarchus (*cit. loc.*) qui & reſponſum refert Zenonis legatis quibuſdam interrogantibus: de te quid dicemus regi? aliud nihil, ait Zeno, quam eſſe Athenis ſenem, qui inter pocula ſilere & ſciat, & velit: *adeo profundum quiddam*, concludit Plutarchus, *& arcani ſacri ſimile, ac ſobrium eſt ſilentium.*

VI. Deinde in ſermone ſummopere habenda eſt modi ratio; hoc eſt, vocis ſonus ſuavis debet eſſe, & concinnus, & fere remiſſus ac tenuis; & quamquam non ruſticus, atque agreſtis; at gravis tamen, ut virilem formam, & ſuccum habere videatur, geſtu ac motu quovis ſublato, qui minus de-

Digitized by Google

deceat, frontis, ſupercilii, oris, brachii, oculorum. Suavitate præſertim opus eſt, cum increpatio, adhortatiove adhibenda ſit: multum enim facilius flectuntur animi manſuetudine, caritate, benevolentia, quam aſperitate verborum: niſi interdum expediat audaciam maxime puerorum, & adoleſcentum comprimere acerbitate ac metu. Quo efficitur, ſapientis eſſe fugere contentionem. Diogenes (*apud Stobeum tom. 1. Serm. 33. de Taciturnitate*) *ad quemdam, qui ſe philoſophum profitebatur, interrogabat vero contentioſe; vah miſer,* dixit; *cum id, quod optimum eſt in vita philoſophi, corrumpas; verbis tamen audes te jactare philoſophum.* Reprehenditur etiam ſermo nimium artificioſus & exquiſitus cum oſtentatione prudentiæ, & venditatione ſagacitatis. Ad modum ſpectat etiam brevitas in dicendo, hoc eſt, expedita oratio, amputatis verbis omnibus, quæ redundant: neque enim multa eloqui, ſed paucis multa complecti laudabile eſt; cum eſſe debeat locutio inſtar nummorum, in quibus materia præſertim ſpectatur, non multitudo. Magni ſunt pretii breves illæ quidem, conciſæque ſententiæ: *noſce teipſum: ne quid nimis: ſponde, præſto noxa: occaſionem cognoſce: induſtriæ nihil difficile: modus eſt optimus: vivitur parvo bene,* & aliæ, quæ multum gravitatis, ſapientiæque concludunt in ſumma brevitate.

VII. Poſtremo in omni ſermone ſpectatur perſona cum quæ loquitur, tum quæ audit; ad quas accommodandus eſt ſermo. Adoleſcentis quidem eſt parum loqui coram ſenioribus obſervantiæ in illos, & verecundiæ cauſa: ſenum item coram junioribus ea dicere, quibus illi officia, vitæque præcepta doceri poſſint, & ad urbanitatem, humanitatemque erudiri, & a vitiis abduci. Alio modo loquendum cum viro principe, cum nobili, cum docto, ac cum obſcuro & ignaro; cujuſque etiam indolem, atque ingenium obſervare neceſſe eſt, atque alia, quæ, ne ſim nimius, prætereo.

VIII. Quocirca, cum tam multa ſint, quæ adjuncta debent eſſe ſermoni familiari, plerumque præſtat ſilere, quam loqui: vix enim vitio caret oratio; cum ſæpe aliquid deſit eorum, de quibus dixi. Eam ob cauſam maxima laus eſt, commendatioque ſilentii, quod quidem in ingenio non hebete ac tardo, ſed erecto, & alacri, & rerum minime ignaro

Digitized by Google

ro certiſſimum argumentum eſt ſapientiæ: quoniam vir ſapiens cavet, ne quid proferat, niſi quod utile eſt, quod neceſſarium, quod decet: atqui non paſſim occurrit, quod tale ſit cum acceſſione adjunctorum, quæ ſermonem comitentur, neceſſe eſt. Quapropter errant plurimi, qui diſerti laudem quærunt in verbis; at non potius ſapientiæ in taciturnitate: *tempeſtivum enim ſilentium*, ait Plutarchus (*de Liber. educandis*) *res eſt ſapiens, & quavis oratione potior*. Et Euripides in Antiope (*apud Stobeum Serm.36. de Garrulitate tom.1.*)

Decorum ſilentium corona eſt viri boni.

Plato ſimiliter Lacedæmonios laudat, qui tantum pro temporis opportunitate pauca dicerent, atque ut perite jaculans ſagittam ſolet, ita illi verbum breve, ſed magni ponderis contorquerent, & addit, hoc modo loqui, hominis eſſe abſolute ſapientis. In horum numero fuit Thales Mileſius, & Mitylenæus Pittacus, Bias Prieneus, Solo Athenienſis, Cleobolus Lindius, Myſo Chenæus, Lacedæmonius Chilo, qui omnes æmuli fuerint, ſtudioſique Lacedæmoniæ ſapientiæ (*Plato in Protagora*) Adde Epaminondam Thebanum, qui maxime probatus eſt, quod nemo plus ſciret, loqueretur minus [*Plutarchus de Auditione*] quod & narrat Gaſſendus (*tom.2. Ethicæ lib.2. cap.4.*) & Franciſcus Patritius (*de Inſt. Reip. lib.5. tit.5.*) Cato etiam Uticenſis, cum eloquentiæ operam daret, & nemo unquam declamantem ipſum audiret, dicenti amico: *Homines ſilentium tuum, Cato, reprehendunt*: reſpondit: *modo ne vitam, tunc loquar, cum non digna ſilentio dicturus ſim* (*apud Capaſſum in Hiſt. Philoſophiæ lib.4. cap.1. in Catone Minore*) Multa taciturnitatis exempla vide apud Andream Eborenſem (*in Exempl. Memor. v. Taciturnitas*) Propterea ajunt, duas eſſe homini a natura aures datas, linguam unam, & hanc circumſeptam quaſi vallo dentium & labiorum, quod multo pauciora debeamus dicere, quam audire.

IX. Erit autem facilius tueri taciturnitatem, ſi quot, & quam uberes ex ea fructus exiſtant, perſpectum ſit: primum quidem, ut alia vitia ſenſim ceſſatione remittuntur, ac tandem evaneſcunt & diſſipantur omnino; ita vitium, ſi quod eſt in ſermone, ſilendo tollitur: dediſcit enim male lo-

loqui, qui diu abſtinet a loquendo: interim vero diſcit, quid deceat fari, & quomodo, ſi modo verecunde, attenteque audit, ſtudetque imitari ſapientes (faciet autem, ſi ſapit) qui verborum pondere & gravitate, & comitate, hilaritateque, & modo utuntur in dictis, qui nec aperte, nec clam & obſcure, nec joco, nec ſerio id dicunt unquam, quod cuipiam diſplicere jure poſſit, qui diſſimulant, ſi quid audiant, quo mordeantur, qui licet occupatiſſimi ſint, eodem ſemper vultu, eademque ſuavitate verborum excipiunt venientes, qui jubenti aliquid placide, modeſteque reſpondent, qui nec rixis, nec contentione delectantur. Ad hæc, & alia horum ſimilia qui mutus, taciturque animum refert, ſcit profecto, ac videt, quem modum teneat in verbis: quoniam loquendi ars, ſecus ac in aliis fieri ſolet, tacendo diſcitur. Iccirco Pythagoras, quos reciperet in diſciplinam, eos jubebat ſilere quinquennium, & tantum audire, quæ dicerentur (*Stanlejus in Hiſt. Philoſoph. tom.2. part.8. cap.16.*) Hi quidem appellabantur ἀκουστικοὶ, ut ſcribit A. Gellius (*Noct. Attic. lib.1. cap.9.*) qui addit, non idem præſcriptum eſſe omnibus tacendi tempus, ſed brevius, aut diuturnius pro ratione ſolertiæ, brevius tamen, quam biennium, nemini. Cum vero ſilentio eſſent eruditi, & loqui didiciſſent, tunc eis poteſtas erat & interrogandi, atque id expromendi, quod opinarentur.

X. Deinde taciturnitas maxime valet ad contemplandum, & procreatrix dici poteſt ſapientium cogitationum: qui enim ſecum loquitur, in rerum ſcrutanda veritate, præſtantia, pulchritudine hærere poteſt, & ipſius Dei natura, bonitate, ſapientia, præpotenti vi, tum etiam vitiorum turpitudine, & ſpecie virtutum: qui contra nimius eſt in familiaritatibus & colloquiis, eum in multa diſtrahi neceſſe eſt, & quicquid boni incluſum habet in animo, diſſipare. Quemadmodum vero ex taciturnitate naſcitur contemplatio; ita ex contemplatione taciturnitas: quoniam qui utilia & magna ſpeculatur, huic ingratum eſt, fruſtra in loquendo tempus terere: ſic videmus homines, qui gravia meditantur, eſſe taciturnos. At qui nihil habent, quod ipſi ſecum agant, libenter loquuntur de iis, quibus dolent, aut delectantur: cum enim ſine ſolatio non poſſint vivere, id quærunt extrinſecus, quo carent domi.

XI.

Digitized by Google

XI. Mox ſilentium eſt ad virtutem via, & quaſi inſtrumentum emendandis moribus, & perficiendis aptiſſimum: ſublatis enim peccatis, quæ ex linguæ licentia manant plurima, facilius innaſci poteſt in animo honeſtatis ſeges: immo indicium eſt abſolutæ virtutis nunquam errare & labi loquendo: id enim fieri non poteſt, niſi pertubationum motus ſedati ſint, ac fere compreſſi, & ſubjecti, obtemperanteſque rationi. Quocirca ſilentium a priſcis patribus maxime cultum eſt, quippequi judicarunt ſine illo in virtutibus non poſſe proficí, & quovis tempore, a quibus ſacræ familiæ ac ſocietates conſtitutæ, ſapienterque adminiſtratæ ſunt, ii curarunt, ut ſummopere vigeret ſilendi diſciplina; quæ aliis etiam de cauſis opportuna eſt & neceſſaria communitati, hoc eſt, ad quietem, ad charitatem, ad tempus, ut cujuſque munus poſtulat, fructuoſe & utiliter conſumendum, ad exemplum cum familiarium, tum exterorum, & ad alia hujus generis.

XII. Præterea taciturnitate opus eſt ad arcana retinenda, & conſervandam fidem, quæ nec levitate, nec ſpe, nec metu violanda eſt; *diligentius tuere*, ait Iſocrates (*Oratione ad Demonicum*) *depoſita verborum, quam pecuniarum: nam boni viri eſt, ita ſe gerere, ut ejus mores plus fidei, quam aliorum dejerationes mereantur*. Euripides objicienti cuidam, os ejus fœtidum eſſe, reſpondit: quia multa in eo arcana putruerunt (*apud Paſchalium de Virtutibus, & Vitiis cap.32.*) Inſolens eſt, quod fecit Zeno philoſophus, ne ullo modo poſſet arcana prodere: linguam enim præciſam dentibus vi expulit in tyrannum (*Plutarchus de Garrulit.*) Enimvero non modo multis conſentaneum non eſt arcana committere, ſed ne uni quidem etſi bono ac fideli viro, niſi cogente neceſſitate: quoniam jure objurgari, ac reprehendi non poteſt is, qui de re non tacet, quam ei dixeris: poſtulas enim, ut ſit te melior, magiſque taciturnus. At enim dixi amico: atqui & hic amicum habet, cui credat eodem modo, & iſte alios: ita ſenſim, quæ ignota erant, in hominum ſermone, atque ore verſantur: verba enim alata vocat Homerus (*Odyſſ. 1. v.122.*)

Et ipſam (Palladem) *allocutus verba alata dicebat.*

Ita-

Itaque cum ex ore evolarint, comprehendi rurſus, & retineri non poſſunt.

Nec retinent patulæ commiſſa fideliter aures.
(*Horatius lib.* 1. *Epiſt.* 18.)

XIII. Ad hæc taciturnitas facit, ut ſæpe negocia præclaro exitu concludantur; quare parens nominari ſolet rerum perficiendarum: cum enim conſilia in apertum proferuntur, plerumque objectis impedimentis & difficultatibus franguntur & concidunt. Imperatores igitur, duces, qui gerunt magiſtratum, & generatim qui aliquid adminiſtrant, ii debent eſſe taciturni. Q. Cæcilius Metellus, cum ex eo a quodam Centurione quæreretur, quid eſſet facturus, reſpondit: tunicam meam exuerem, & incenderem, ſi eam conſciam putarem eſſe conſilii mei [*Plutarchus in Apophthegmat. Rom. v. Cæcilius, & de Garrulit.*] & Antigonus rex filio interroganti, quando caſtra eſſent moturi: *quid?* inquit; *metuis, ne ſolus tu non audias tubam?* (*Plutarchus de Garrulit.*) Sunt interdum qui tacent lingua; ſed loquuntur motu oris, aut geſtu: parum autem refert, diffluat ne aqua per apertum foramen, an per rimas.

XIV. Accedit, quod taciturnitas ad gravitatem, & auctoritatem plurimum valet: *tum ſeni, tum juveni*, ait Chares (*apud Stobeum tom.* 1. *Serm.* 33. *de Taciturnit.*) *conciliat honorem compos ſilentii lingua tempeſtivi:* quo ſpectat & illud Amphidis (*ib.*) *nihil eſt quicquam præſtantius, quam tacere:* quamobrem laudi quibuſdam eſt datum facto loqui, non verbis: Sciluſus Scytharum rex filios ſuos, quorum erat copioſa multitudo, moriturus ad ſe venire juſſit, oblatoque virgarum faſciculo, hunc colligatum ſingulis frangendum dedit; cum autem negaret quiſque illum ſe poſſe frangere, ipſe, una virga extracta poſt aliam, facile omnes confregit (*Plutarchus de Garrulit.*) Hoc facto melius, graviuſque, quam verbis filios id docuit, quod quaſi eſt in proverbio: *concordia res parvæ creſcunt, diſcordia etiam maximæ dilabuntur.* Sæpe vir ſapiens aſpectu tantum, ac ſilentio facilius turbas comprimit, quam vociferatione & minis, quod & ſcribit Virgilius (*Æneid. lib.* 1. *v.* 152.)

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus;
Jamque faces & ſaxa volant; furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant.

Silentium habet ſimiliter gravitatem, cum quidam inepte interrogant, aut riſus & joci cauſa provocant ad dicendum, aut contentionis ſtudio. Theocritus, cum ex eo homo litigioſus ſciſcitaretur, eſſet ne virtus utilis, nihil reſpondit, ut præcluderet litigandi viam (*apud Stobeum tom. 1. Serm. 36. de Garrulit.*) Eſt etiam auctoritas ſuſtentanda ſilentio contra iniquos, qui verbis flecti & molliri non poſſint: neque enim eſt e dignitate, cum eo, qui dicta contemnat, diſputare. Nec minus pertinet ad gravitatem ſilere, cum appetimur maledictis; eſtque hoc *Socraticum quidpiam*, ait Plutarchus (*de capienda ex hoſtibus utilitate*) *aut potius herculeum: ſiquidem Hercules etiam*

Non, quantum vel muſca, animum advertit maledictis.

Tandem multa pericula vitat is, graveſque calamitates, qui opportune ſilere ſciat, ac fere quiete vivit cum ipſe ſecum, tum cum aliis. Prætereo, quæ patiaris, aut facias honeſte, ea taciturnitate cuſtodiri: quoniam prædicare benefacta, eſt eadem projicere ac diſſipare, & inani gloriæ quaſi vento, diſjicienda permittere. *Omnem factis initam gratiam*, ait Plutarchus [*de Garrulit.*] *dictorum importunitas corrumpit, atque diſperdit.*

XV. Cum ex ſilentio tam ſuaves, atque uberes capiantur fructus, ut illud ſancte obſervet & colat, quiſque enitatur, neceſſe eſt; præſertim vero hæc virtus ornamentum quoddam eſt, & præclarum decus adoleſcentum, & feminarum. Pueri quidem, & adoleſcentes tacere debent, ut diſcant loqui: idcirco diu ſunt ad ſilentium inſtituendi, ut equi ad parendum freno, ne devii & præcipites ferantur: quæ fuit cauſa, cur Lycurgus cives ſuos juberet ſtatim a pueritia ad ſilentium, & preſſe loquendi ſcientiam erudiri [*Plutarchus de Garrulit.*] ut enim in addiſcendis re-

Digitized by Google

liquis artibus oportet multum temporis, operæque conſumere, ita in loquendi diſciplina, quæ ſilendo diſcitur, ut paullo ante dictum eſt: refert autem plurimum, an a puerili ætate aſſueveris ad tacendum. Eſchines quidem, cum reprehenſus eſſet propter taciturnitatem; non loqui tantum dixit, a Socrate (hunc enim præceptorem habuerat) ſed etiam ſilere didici (*apud Stobeum Serm. 34. de Tempeſt. Orat.*) Quocirca audiendus eſt Sophocles, cujus eſt illud monitum (*ib. Serm. 33. de Taciturn.*) *O puer tace: multa continet bona ſilentium. Linguam in primis ubique moderari coneris.* Profecto adoleſcentium opportunum ſilentium ſpem magnam facit futuræ aliquando ſapientiæ, cujus quaſi flos apparet primo ætatis tempore. Ut adoleſcentes, ita feminæ taciturnitate maxime commendantur, quippe quæ index eſt, & cuſtos pudoris & verecundiæ: *mulieri*, ait Ariſtoteles (*lib. 1. Politic. cap. ult.*) *ornamentum affert taciturnitas.* Sed nullus eſt ſexus, nulla ætas, nulla vitæ conditio, cui non conveniat hæc virtus; ut res, locus, & tempus poſtulat. Senes etiam propterea cavere debent, ne quid delinquant in dictis, ut juniores habeant exempla prudentiæ ad imitandum. Cave autem putes, rem triſtem eſſe taciturnitatem: nam ut fruſtra loqui, moleſtum eſt ſapienti, ita, niſi utilitatis, aut neceſſitatis cauſa aliquid dicendum ſit, tacere jucundum; præſertim cum fructus ampliſſimi ex ſilentio capiantur: nulli autem exiſtant, immo noxii ex verborum inanitate; ut mox dicam.

XVI. Taciturnitas tamquam extremum vitium, quod nimium eſt, habet loquacitatem; quæ ſtrictim ac breviter definitur a Theophraſto (*in Charact. num. 7.*) *ſermonis intemperantia.* Hæc autem contingit, cum in dictis non habetur ratio finis, loci, temporis, rerum & perſonarum; quod conſtat eſſe hominis imperiti, imprudentis & ſtulti. *Si continue*, inquit Nicoſtratus [*apud Stobeum Serm. 36. de Garrulit.*] *& multa, celeriterque loqui ſignum eſſet prudentiæ: tum hirundines dicerentur multo ſapientiores nobis.* In ſumma interdum verborum affluentia nihil apparet præter cerebri & judicii vacuitatem ſingularem, & compertum eſt, orationem in ore naſci, non e mente fluere: *quid eſt enim tam furioſum*, ait Tullius (*lib. 1. de Orat.*) *quam verborum vel optimorum, atque ornatiſſimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia,*

nec

nec ſcientia? Facete Theocritus, cum Anaximenes orationem eſſet habiturus: *incipit verborum quidem flumen*, inquit, *mentis autem gutta* (*apud Stobeum cit. loc.*) Contra qui tacent, etiamſi fatui ſunt, ii videri poſſunt non raro ſapientes: nam ſtulti fere non tacent: Demaratus, cum in quodam conſeſſu ex eo quæreretur, ob fatuitatem ne, an potius ob inopiam materiæ taceret: *atqui*, ait, *ſtultus tacere non poſſet*. (*Plutarchus in Laconicis Apophthegm. v. Demaratus*)

XVII. Loquacitas non modo argumentum eſt, homini deeſſe ſapientiam, ſed etiam virtutem & probitatem: neque enim pretioſæ merces recondi poſſunt in animo, qui quoquoverſus patet: cum arcam videmus ſine clave, judicamus nihil intus eſſe, quod magni æſtimandum videatur: immo ſi quid boni ſit in mente, per apertum oris aditum erumpat, atque avolet neceſſe eſt, aut ſordibus inficiatur, quæ cum nihil obſtet, ingrediuntur. Certe qui ſit loquax, idemque inſigni virtute præditus, reperietur nemo: nam ipſa loquacitas animum vitiat, ejuſque vim, roburque debilitat & enervat. Itaque nec cum prudentia, nec cum virtute conſiſtit.

XVIII. Sed præterea multa ſunt, quæ ab eo vitio oriuntur, mala: nam qui loquax eſt, facile ad impudentiam delabitur, ad inanem gloriam, ad mendacia, ad maledicta, ad contentiones & rixas, ad querimonias, ad ſcurriles jocos, nunc mordet aliquem, nunc detrahit alienæ dignitati, ridet, iraſcitur; atque ut effutire poſſit de multis, vult multa & inveſtigare, & audire curioſius, quæ occulta oportet eſſe. Scit, quid cuique in mentem venerit, quæ ſit principum, & regum indoles, quod ingenium, quæ facta, quæ debeat eſſe magiſtratuum, & reipublicæ adminiſtratio.

XIX. Quod ſi vivat cum aliis, perturbat garriendo omnem communitatem; hunc ait eſſe terræ filium, parentibus natum ruſticis & humilibus; illum ingenio carere, urbanitate, morum elegantia, omnibus fortunæ bonis, ſordido uti ac plebejo veſtitu, faciem habere incultam & horridam, invenuſtamque cæſariem, ſimilem videri aut ſtipitis, aut belluæ; qui ſocietati præſunt, eos expertes eſſe omnino prudentiæ, caritatis, humanitatis, & aptiores, qui animalium gregi, quam ingenuis hominibus præficiantur,

ignaros, quæ ſit gubernandi ac gerendi magiſtratus ratio & diſciplina; nunc habet de loci incommoditate, nunc de cibo & potu querimonias; aliquem accuſat, quod greſſu tardior, aliquem, quod ſit concitatior. Tandem cujus os nimium patet, is peſtis eſt quædam, qua inficitur multitudo, graveſque motus cientur.

XX. Quo ſit, inviſam & moleſtam eſſe loquacitatem: loquax enim fere dicit vel male, ut vidimus, vel inepte: narrat enim quid ſomniarit ſuperiore nocte, quid cœnaverit, quanti frumentum veneat in foro; quærit, quotus ſit menſis dies, uberes, ait, fore fructus, ſi pluerit, velle ſe agrum ſuum colere; queritur, qui nunc vivunt, homines priſcis multo eſſe deteriores, difficilemque hac ætate vivendi rationem, aliiſque in nugis verſatur. Sic fere garrulum deſcribit Theophraſtus (*in Charact. num.* III.) atque concludit: *id genus homines demiſſis manibus, grandique gradu fugiat oportet, quiſquis febre carere volet. Qua in re,* addit Plutarchus (*de Garrulitate*) *ſummus honor pedibus debetur ſecundum Archilocum: immo autem de ſapientiſſimi Ariſtotelis ſententia: hic enim a garrulo quodam vexatus, & abſurdis quibuſdam narrationibus exagitatus, ſubinde dicenti: nonne hoc mirum eſt, Ariſtoteles? reſpondit: non profecto hoc eſt mirum, ſed ſi quis pedibus prædıtus te ſuſtinet.*

XXI. Certe fere nemo eſt, qui cum loquace una velit eſſe vel in convivio, vel in via, vel in navi, vel uſquam: idcirco Theocritus homini ejus generis interroganti; ubi cras te viſam? *illic*, reſpondit, *ubi ego te non videam* (*apud Stobeum Serm.* 33. *de Taciturnit. tom.* I.) Lepide Horatius ſcribit, olim prænunciatum eſſe, ſe confectum iri a garrulo (*lib.* I. *Satyr.* 9.)

. . . . . Inſtat fatum mihi triſte, Sabella
Quod puero cecinit divina mota anus urna:
Hunc neque dira venena, nec hoſticus auferet enſis,
Nec laterum dolor, aut tuſſis, nec tarda podagra:
Garrulus hunc quando conſumet cumque: loquaces,
Si ſapiat, vitet, ſimulac adoleverit ætas.

Hanc ob cauſam hominem multa garrientem, ne caput, atque

atque aures obtundat, ne audiet quidem, qui ſapiat: Ariſtoteles cuidam *poſt multa verba dicenti: moleſtus tibi mea loquacitate fui, philoſophiæ non mehercle*, inquit: *non enim adverti animum* (*Plutarchus de Garrulitate.*)

XXII. At loquax homo non aliis modo moleſtus eſt, ſed etiam ſibi: nam quos pungit quaſi aculeis, & notat vel tarditatis, vel paupertatis, vel ignominiæ, ii excitantur ad inquirendum, quo ingenio loquax idem præditus ſit, qua indole, qua natura, quis ejus ſit vel avus, vel proavus, vel atavus, & ſæpe comperiunt, eum in aliis id contemnere & deridere, quod in ſuis majoribus nolit deſpici: qui enim paullo ante e pulvere, cœnoque emerſerit, idem ſolet inſolentius tenuioris fortunæ hominibus inſultare. Apte Oſorius: *cum igitur eos homines*, inquit, (*de Nobilitate civili lib. 2. cap. penult.*) *maledictis inſectaris, qui tuis majoribus ſunt ſimillimi, & ea probra ingeris, quæ poſſunt in tuos retorqueri; non id tantum agis, ut dedecore tuo labem illorum laudibus aſpergas; verum etiam ingrate & impie te geris, dum illorum ſplendorem convitiis extenuas, a quibus hanc ſpeciem dignitatis accepiſti.*

XXIII. Verum hæc forte leviora ſunt: loquaces enim in calamitates incidunt multo graviores, & non modo fama fortuniſque periclitantur, ſed etiam vita: *niſi continueris linguam*, ait Euripides, (*in Ægeo apud Stobeum Serm. 34. de Tempeſt. Orat.*) *mala tibi contingent.* Fulvius Auguſti arcanum ex linguæ levitate indicavit uxori, & hæc alii, cumque mane, ut ſolebat, ad Auguſtum veniſſet jam facti conſcium, eumque ſalutaſſet, Auguſtus contra: *ſanam mentem, Fulvi.* Senſit rem Fulvius, ac rediens domum, vocata uxore, ait, velle ſe ob hanc cauſam ſibi mortem inferre; at illa ante virum arrepto gladio ſe interemit (*Plutarchus de Garrulitate*). Hæc quidem mors fuit voluntaria, quæ autem ſequitur, violenta. In tonſtrina quadam cum ſermo incidiſſet de tyrannide Dionyſii, eamque, qui aderant, vinci non poſſe dicerent, ridens tonſor: hæc ne vos, inquit, de Dionyſio, cujus ego cervici novaculam paucis identidem interjectis diebus adhibeo? Hæc allata ſunt ad Dionyſium, qui hominem juſſit in crucem agi (*Plutarchus cit. loc.*) Innumeri ſunt, quos loquacitas dignitate, muneribus, amicitia, gratia, for-

Digitized by Google

fortunis, libertate privavit (*vid. Plutarchum & cit. loc. & de Liber. educandis*) Quocirca jure ajebat Simonides (*apud Stobeum Serm. 33. de Taciturnit.*) *nunquam ſe pœnituiſſe ſilentii, dictorum autem ſæpius*: ex quo circumfertur tritum illud.

.... *Nunquam tacuiſſe nocet, nocet eſſe locutum*:

Atqui in quovis negotio præſcribit prudentia, ut ſequamur id, quod eſt tutius: eſt autem tutius ſilere, quam loqui: nam de quo taceas, idem potes deinde dicere; at quod dixeris, ut ne dictum ſit, fieri non poteſt: quoniam, ut ſcribit Horatius, (*lib.1. Epiſt.18.*) & nos ſupra vidimus,

.... *Semel emiſſum volat irrevocabile verbum*.

XXIV. Illud etiam ex loquacitate incommodum exiſtit non leve, quod garrulo non habetur fides: etenim compertum eſt, eum temere & inconſiderate loqui: qua de cauſa, ſi quando alium moneat (quod ſolet facere) deridetur: *nulla fides linguæ eſt*, ait Euripides (*in Hippolyto coronato apud Stobeum Serm.36. de Garrulit.*) *quæ alienos quidem animos hominum admonere callet: ipſa vero ex ſeſe plurima mala poſſidet*. Igitur aperti oris uſus eſt fere nullus, ut domi, quæ ſemper pateat, & claudi non poſſit: os enim, quod tale eſt, nec valet ad faciendam fidem, nec ad admonendum, nec ad increpandum, nec ad conſilium, ad doctrinam, ad auctoritatem: quandoquidem id accidit loquaci, quod ebrio: uterque inepte loquitur; ſed hic aliquando, nimirum cum ebrius eſt; ille autem ſemper.

XXV. Porro ſunt plurimi, qui labuntur in vitium loquacitatis; ſed pueri præſertim & feminæ. Adoleſcentes ac pueri garriunt quicquid in buccam venit: cum enim ſemper aliquid cogitent ipſi ſecum, [quod mentis eſt proprium] nec poſſint id, quod cogitant, retinere, fit, ut aut ſemper loquantur, aut velint loqui, & plerumque inſulſe & jejune: eſt enim fere leve & puerile, quod animo complectuntur. Cum vero id ſæpe faciant ex quadam arrogantia, icciřco monet Plutarchus (*de Audit.*) elatiores ſpiritus

tus non minus ſtudioſe ex adoleſcentum animis excutiendos eſſe, quam aerem ex utribus; & fortaſſe proderit ad eorum aures id inſuſurrare familiariter, quod ait Zeno adoleſcenti, qui de ſtultis quibuſdam negociis in academia loquebatur (*apud Stobeum tom. 1. Serm. 36. de Garrulitate*) *niſi lingua in mentem intincta diſſerueris, adbuc multo amplius dicendo delinques*. Sed hæc tandem magna calamitas eſt: ſolet enim uſuvenire, ut prægrandis, atque inſolentior ſit lingua, ubi mentis eſt ſumma vacuitas, & ſilere nunquam velint ii, qui neſciunt loqui: cum enim nuſquam ſit domi, qui linguam moderetur, ea vagatur, & huc, illucque diſcurrit pro libito.

XXVI. Ut puerorum & adoleſcentum eſt loquacitas, ita plerumque feminarum: rem facetam narrat Plutarchus [*de Garrulit.*] Cum Romanus ſenatus aliquot dies de re gravi & occulta deliberaret, ideoque magna eſſet commota ſuſpicio in civitate, ſenatoris uxor ab eo admodum cœpit efflagitare, ut arcanum conſilium aperiret, ac de ſilentio minime dubitaret. Vir tandem victum ſe precibus & importunitate cum ſimulaſſet, ait, a ſacerdotibus nunciatum eſſe ſenatui, viſam volantem caſſitam cum galea aurea, & haſta; Patres ſollicite & anxie quærere, fauſtum ne hoc oſtentum futurum ſit, an grave reipublicæ. His dictis abiit in forum. Tum mulier, præſente ancilla, quæ ſe obtulit omnium prima: heu, meus vir, inquit, mea patria, quid nobis fiet? doloris cauſam ancillæ ſciſcitanti rem omnem aperuit, ea adjecta loquacitatis clauſula: cave, ne cui dixeris: ancilla id narravit alteri, quæ erat in famulatu, hæc amatori ſuo: quo pacto tanta celeritate fabula diſſeminata eſt, ut ad ſenatorem, qui vix in forum pervenerat, accurrens amicus; audiſti ne, inquit, volantem caſſitam conſpectam eſſe cum aurea galea, & haſta? Ridens ille: laudo, ait, mulier, celeritatem tuam, qua factum eſt, ut me hic ſermo in forum venientem anteverteret. Hoc loco hominis ſolertiam laudat Plutarchus, qui in vas plenum rimarum aquam injecerit, non vinum, aut oleum. Quocirca qui velit facti rumore compleri vicinitatem, illud pueris ſecreto narret, aut feminis, aut loquaci cuipiam; cujus generis ubique eſt maxima multitudo. Sed tandem videamus, poſſit ne aliqua eſſe medicina loquacitati.

XXVII.

XXVII. Primum ratione opus eſt, qua cernatur, quantum in eo vitio ſit cum turpitudinis, tum detrimenti & moleſtiæ: quiſque enim cavet ab iis, quæ moleſta eſſe perſpicit, quæ fœda, quæ pernicioſa. Loquax in notam incurrit levis, inepti, imprudentis, infidi, temerarii, inviſus eſt omnibus præſertim ſapientibus, irridetur, periclitatur interdum fortunis & vita, ut dixi; cum contra uberrimi ſint fructus, jucundique taciturnitatis. Verum adeo difficilis eſt ejus morbi curatio, tanta eſt pravæ conſuetudinis vis & corruptela, ut illi ipſi, qui damnum experti ſunt propter loquacitatem, ſibi tamen in lingua non temperent (*vid. Plutarchum de Garrulit.*) Adde, quod adhortantem, admonentemque non audiunt, ſed copia obruunt inanium verborum, quaſi affluentis maris æſtu: quamobrem hæc in eos cadere,

Implere te nihil admittentem ego nequeo,
Sapientia dicta infundens in fatuum virum,

Plutarchus putat (*de Garrulit.*) qui feſtive addit: *in eam venire poſſis cogitationem, auditus foramina garruli non in animum, ſed in linguam deſinere.* Cæterum non eſt deſperandum: qui enim aſſueſcat ſilere, paulatim linguæ licentiam comprimet, fietque taciturnus.

XXVIII. Oportet autem modum in primis, cautionemque in iis ſermonibus adhibere, ad quos ſit quiſque proclivior: ſolemus enim de rebus intemperantius loqui, quibus maxime delectamur; ut bellicoſi viri nimii ſunt in pugnis, belliſque commemorandis, litigatores in litibus; ſic qui exercent ſeſe in certis artibus & diſciplinis, ii frequentius de illis ſermonem habent, ut de poeſi poetæ, de orationis artificio grammatici, mercatores de mercibus; & cum de alia re ſermo incidit, homo loquax importune ad conſuetam cantilenam redit millies interdum auribus inculcatam.

XXIX. Valet etiam ad linguæ comprimendam procacitatem frequens cum iis conſuetudo, qui gravi ætate ſint, & auctoritate ac doctrina præſtantes, non modo ut eorum exemplum loquaces erudiat ad recte loquendum, ſed etiam ad tacendum compellat auctoritas. Semper autem, dum verba in promptu ſunt, & jam linguam quaſi pungunt & fodicant,

cant,

Digitized by Google

cant, ab eo vitio abſtinere qui velit, cogitet, quid dicat, & quorſum: eſt enim ineptum, quod neque dicenti utile eſt, neque audienti neceſſarium, nec familiaritates honeſta quadam voluptate, tamquam ſale condit, id dicere. Neque judicandum eſt, verba eſſe ut onus, quod omnino deponi neceſſe ſit; non enim moleſtiæ ſunt, cum retinentur, ſed cum effunduntur ſine ratione (*vid. Plutarchus de Garrulit. in fine*). Tandem fugienda eſt, quoad fieri poteſt, ac repellenda ſuperbia, quæ cauſa ſolet eſſe loquacitatis: multa enim dicimus, ut alios docere, & ſapientes ac prudentes eſſe videamur.

XXXI. Vitium taciturnitati contrarium, quod parum eſt, vacat nomine. Moroſitas nominari poteſt, ſi taceas propter loquendi faſtidium, & nullam tibi partem aſſumas in communi colloquio inter amicos & familiares, ad mutuam conſuetudinem ſermonum ſuavitate condiendam. Quod ſi taceat, qui debet loqui ad utilitatem vel reipublicæ, vel ſingulorum, aut ad damna præcavenda, quæ impendent, is juſtitiam, charitatemve violabit. Nec vero pauci peccant ſilendo: quamplures enim, cum impigre loqui oportet, ſpe, metu, vitioſo pudore, aut alia impediti difficultate non audent hiſcere, & illi ipſi, quibus prompta eſt, & perfacile currens oratio ad inanitatem, ad dicendum, cum res & tempus poſtulat, ſolent eſſe tardiores: tunc enim non lingua tantum, ſed præterea mente opus eſt, animi robore atque conſtantia, qua laude carere garrulos dubitari non poteſt.

Finis Tomi II.

LIII

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

QUÆ IN HOC TOMO II. CONTINENTUR.

LIBER I.

DE *Virtutibus, & Vitiis.* Pag.1.

PARS I.

CAPUT I.

Quid ſit Virtus. Pag.3.

CAPUT II.

An Virtus omnis in mediocritate conſiſtat. pag.7.

CAPUT III.

An Virtus poſſit eſſe ſine Prudentia. pag.15

CAPUT IV.

Moralium Virtutum partitio. pag.16.

CAPUT V.

Sint ne Virtutes inſitæ in natura. pag.18.

CAPUT VI.

Sit ne Virtutum efficiens honeſta actio. pag.23.

Digitized by Google

CAPUT VII.
Quonam modo ſit Virtutis procreatrix honeſta actio; tum qui contingat, ipſam eamdem remitti, aut interire Virtutem. pag.33.

CAPUT VIII.
An Virtutes pares ſint inter ſe. pag.36.

CAPUT IX.
An Virtutes uno quaſi vinculo inter ſe contineantur. pag.40.

CAPUT X.
Quæ ſit Virtutis præſtantia. pag.44.

CAPUT XI.
Profit ne animum in Virtutibus exercere. pag.52.

CAPUT XII.
Quæ ſit Virtutis jucunditas. pag.55.

CAPUT XIII.
Animum in Virtutibus exercere an facile. pag.68.

CAPUT XIV.
Quid ſit Vitium. pag.76.

CAPUT XV.
Peccatorum partitio. pag.81.

CAPUT XVI.
Quo pacto turpis actio Vitium efficiat; tum qui fiat, Vitium ipſum remitti, aut interire. pag.83.

CAPUT XVII.
Quæ ſit vis pravæ conſuetudinis, ac Vitiorum. pag.85.

CAPUT XVIII.
Sint ne in nobis ſemina innata Vitiorum. pag.90.

CA-

CAPUT XIX.
Sint ne paria Vitia, & Peccata. pag. 92.

CAPUT XX.
Sint ne Vitia connexa. pag. 98.

CAPUT XXI.
Quæ ſit in Vitiis ac Peccatis turpitudo, & infamia. pag. 105.

CAPUT XXII.
Vitium, ac Peccatum ſit ne pernicioſum. pag. 114.

CAPUT XXIII.
Sit ne Vitium, ac Peccatum moleſtum. pag. 119.

CAPUT XXIV.
Sit ne Vitium, & Peccatum difficile. pag. 125.

PARS II.

DE *Prudentia.* pag. 128.

CAPUT I.
Quid ſit Prudentia. pag. 129.

CAPUT II.
Quotuplex ſit Prudentia. pag. 131.

CAPUT III.
Quæ ſint generatim Prudentiæ munera. pag. 132.

CAPUT IV.
Quæ ſint privatæ Prudentiæ munera. pag. 134.

CAPUT V.

Quæ ſint Oeconomicæ Prudentiæ munera. pag.146.

CAPUT VI.

Quæ ſint generatim Politicæ Prudentiæ munera. pag.150.

CAPUT VII.

Quæ ſint Togatæ Prudentiæ munera. pag.156.

CAPUT VIII.

Quæ ſint Prudentiæ Militaris munera. pag.158.

CAPUT IX.

Quæ ſint Legumlatricis Prudentiæ munera. pag.161.

CAPUT X.

Quæ ſint Legalis Prudentiæ munera. pag. 163.

CAPUT XI.

Quæ neceſſaria ſint ad munera obeunda Prudentiæ. pag.169.

CAPUT XII.

Quæ ſint vitia Prudentiæ contraria. pag.181.

PARS III.

DE *Juſtitia.* pag.188.

CAPUT I.

Quid ſit Juſtitia. pag.189.

CAPUT II.

Quotuplex ſit Juſtitia. pag.191.

CAPUT III.

Quæ ſint Juſtitiæ munera. pag.195.

CA-

CAPUT IV.

Quæ ſint vitia Juſtitiæ contraria. pag.198.

CAPUT V.

De cauſis Injuſtitiæ, & Injuriarum. pag.203.

CAPUT VI.

Quæ ſint Virtutes Juſtitiæ comites. pag.208.

CAPUT VII.

De Religione, ejuſque muneribus. pag.209.

CAPUT VIII.

Quæ ſint vitia Religioni contraria. pag.216.

CAPUT IX.

De Pietate, ac de Vitiis, quæ ſunt Pietati contraria. pag.232.

CAPUT X.

De Pœnitentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Pœnitentiæ contraria. pag.237.

CAPUT XI.

De Obſervantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Obſervantiæ contraria. pag.244.

CAPUT XII.

De Obedientia, ac de Vitiis, quæ ſunt Obedientiæ contraria. pag.247.

CAPUT XIII.

De Veritate, ac de Vitiis, quæ ſunt Veritati contraria. pag.256.

CAPUT XIV.

De Fide, ac Vitiis, quæ ſunt Fidei contraria. pag.265.

Digitized by Google

CAPUT XV.
De Vindicatione, ac de Vitiis, quæ ſunt Vindicationi contraria. pag. 273.

CAPUT XVI.
De Gratia, ac de Vitiis, quæ ſunt Gratiæ contraria. pag. 277.

CAPUT XVII.
De Amicitia, ac de Vitiis, quæ ſunt Amicitiæ contraria. pag. 286.

CAPUT XVIII.
De Benevolentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Benevolentiæ contraria. pag. 325.

CAPUT XIX.
De Beneficentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Beneficentiæ contraria. pag. 328.

CAPUT XX.
De Liberalitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Liberalitati contraria. pag. 342.

CAPUT XXI.
De Magnificentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Magnificentiæ contraria. pag. 371.

CAPUT XXII.
De Hoſpitalitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Hoſpitalitati contraria. pag. 378.

CAPUT XXIII.
De Miſericordia, ac de Vitiis, quæ ſunt Miſericordiæ contraria. pag. 384.

CAPUT XXIV.
De Clementia, ac de Vitiis, quæ ſunt Clementiæ contraria. pag. 392.

Digitized by Google

CAPUT XXV.
De Affabilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Affabilitati contraria. pag.401.

CAPUT XXVI.
De Comitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Comitati contraria. pag.406.

CAPUT XXVII.
De Facilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Facilitati contraria. pag.417.

CAPUT XXVIII.
De Urbanitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Urbanitati contraria. pag.419.

PARS IV.

DE *Fortitudine.* pag.426.

CAPUT I.
Quid ſit Fortitudo. pag.427.

CAPUT II.
Quæ ſint munera Fortitudinis. pag.431.

CAPUT III.
Quæ ſint Vitia Fortitudini repugnantia. pag.438.

CAPUT IV.
Quæ ſint Virtutes comites Fortitudinis. pag.447.

CAPUT V.
De Fidentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Fidentiæ contraria. pag. 448.

CAPUT VI.
De Magnanimitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Magnanimitati contraria. pag. 454.

CAPUT VII.
De Conſtantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Conſtantiæ contraria. pag. 478.

CAPUT VIII.
De Patientia, ac de Vitiis, quæ ſunt Patientiæ contraria. pag. 486.

CAPUT IX.
De Perſeverantia, ac de Vitiis, quæ ſunt Perſeverantiæ contraria. pag. 507.

CAPUT X.
De Securitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Securitati contraria. pag. 512.

PARS V.

DE *Temperantia.* pag. 516.

CAPUT I.
Quid ſit Temperantia, & quæ Vitia ipſi contraria. pag. 517.

CAPUT II.
Quæ ſint Virtutes comites Temperantiæ. pag. 523.

CAPUT III.
De Continentia, ac de Vitiis, quæ ſunt Continentiæ contraria. pag. 524.

CAPUT IV.
De Modeſtia, ac de Vitiis, quæ ſunt Modeſtiæ contraria. pag. 536.

CAPUT V.
De Manſuetudine, ac de Vitiis, quæ ſunt illi contraria. pag. 549

CAPUT VI.
De Chriſtiana Humilitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Chriſtianæ Humilitati contraria. pag. 552.

CAPUT VII.
De Abſtinentia, ac Vitiis, quæ ſunt Abſtinentiæ contraria. pag. 575.

CAPUT VIII.
De Sobrietate, ac de Vitiis, quæ ſunt Sobrietati contraria. pag. 592.

CAPUT IX.
De Parſimonia, ac de Vitiis, quæ ſunt Parſimoniæ contraria. pag. 604.

CAPUT X.
De Taciturnitate, ac de Vitiis, quæ ſunt Taciturnitatis contraria. pag. 617.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google